

11972671

Del Collegio de la Compañia de Jesus de granada

P2-5729

EPISTOLARVM MI-
scellanearū ad Fridericum Nau-
seam Blancicampianum, Episco-
pum Viennensem, &c. singu-
larium personarum,
Libri x.

Harum uerò editionis rationem atq; usum in
Præfatione reperiēs.

ADDITIONVS EST SVB FINEM OPE-
ris, eiusdem Episcopi Viennensis lucubrationum
Catalogus.

Cum Cæs. & Regiæ Maiest. gratia & priui-
legio ad quinquennium.

BASILEAE, M. D. LXX
Mense Martio.



2 400 40
Helm
MADE IN GERMANY

EPISTOLARVM MI-
scellanearū ad Fridericum Nau-
seam Blancicampianum, Episco-
pum Viennensem, &c. singu-
larium personarum,
Libri x.

Harum uerò editionis rationem atq; usum in
Præfatione reperies.


ADDITIONVS EST SVB FINEM OPE-
ris, eiusdem Episcopi Viennensis lucubrationum
Catalogus.

Cum Cæs. & Regiæ Maiest. gratia & priui-
legio ad quinquennium.

BASILEAE, M. D. LXX
Mense Martio.



AD CANDIDVM LECTO-
REM, PRÆFATIO.



VVM EGO ANNIS PAVLO SVPE-
rioribus, cādide Lector, à secretis & abe-
pistolis effem transcribendis Reuerendis-
simi Patris, Domini FRIDERICI NAV-
SEAE Blancicampiani, Episcopi Viennen-
sis dignissimi, Serenissimi que Principis ac
Domini, D. FERDINANDI, Romanorū,
Hūgarie, Bohemiaeque, &c. Regis inuictissi-
mi, & Archiducis Austriae, &c. illustrissimi, à Sacris studijs &
Cōsilijs fidelissimi & diligentissimi; cœpisse meque, circūspecto nimi-
rum illius iussu, nō Centurias solum & Chiliades, sed & Epistola-
rum pariter ad ipsum ultrò citroque conscriptarum Myriades recol-
ligere, earumque singulas in suas classes serie quadam (ueluti in id
genus scriptis fieri cōsuevit) digerere: mox selegi, & inter relegen-
dum statim seorsum submouī non parum multas, quas nonnul-
læ singulares de rebus miscellaneis personæ, ad eundem Episco-
pum, multis sanè modis incomparabilem, conscripserunt episto-
las, cæteris perinde hac dubia nauseabundaque tempestate insignio-
res, utiliores, iucundiores, & plausibiliores. Quæ quum non mihi
duntaxat, uerum cæteris etiamnum magni certè iudicij consilijque
hominibus, uti palam prodirent, perquam dignissimæ uideretur,
haud equidem post continuam deliberationem committere po-
tui, quo minus illas Ioanni Oporino, cui Basiliensi honoratissi-
simo, & summæ citra controuersiam industriæ, integerrimæ fidei,
laboriosissimæ diligentiae, eruditionisque exquisitissimæ Chalco-
grapho, typis excudendas, edēdasque traderem: idque uisus sum mi-
hi nec absque imitando exemplo, nec sine multiplici ratione, & ea
quidem (nisi planè fallor) modis omnibus probabili, facere.

Si enim (ut cæteros transeam) Marcus Tullius ille Cicero,
Romanus: si Plinius ille iunior, Comensis: si Seneca Corduben-
sis, Lucius ille Annæus: si Capnio ille Phorcensis, Germanus
Sueuus: si Erasimus ille Roterodamus, Germanus: si denique
complures id genus alij nostra, nostrorumque patrum memoria,
non doctrina minus quam prudentia uiri præcellentes, non suas tan-
tùm, sed & aliorum pariter ad ipsos, ipsis etiam adhuc in humanis
existentibus, & quidem in demonstratio dicēdi genere, planèque
Panegyricas, passim conscriptas epistolas, nulla, quod equidē sci-
am, ratione manifesta suffulti, non solum ut in lucem proferrent
sustinuerunt: uerum, sicut credi par est, ut publicitus ederent, am-
bitiosius paulo curauerunt: si denique, inquam, homines tantę nimi-
rum dignitatis & prudentiæ, tantæ nomenclaturę & authoritatis,

non suas solum, quas ad alios ipsi, uerum etiam quas uel quilibet Panegyricas ad eos alij scripserunt epistolas, quas nec illi in lucem proferrī egrē tulerūt, ac id ipsum non manifesta ratione (quē admodum creditur) uel sustinuerūt, uel ut in publicum prodiret, cuaruerunt: quur minus ego edere debuerim, uel auctore ipso infcio, quas alij ad ipsum, *NAUSEAM* dico, scripserūt epistolas, tot utpote tantisq; rationibus, ad hanc ipsam editionem compulsus?

Qui enim (obsecro) epistolas tot sanē modis commendabiles, omnibusq; cuiuscunq; cōditionis hominibus, ob uarietatem pręfertim phraseon, rerum & argumētorum, dubio procul per quam maximē proficuas, intra parietes delitescere, quando sint illæ eius modi, quib. cum possis (ut dici solet) in tenebris micare, suerim?

Qui etiam tot, clarissima in omni doctrinarū uirtutūq; splendore lumina, contra Dominum prohibentem sub modio ponere, contegerēq; potuerim: & nō multo magis illa in montem & super candelabrum altissimum, unde non sibi solum ipsa, sed & ex æquo plerisq; omnibus relucere ualeant, collocare debuerim? Disperam enim & anima & corpore, si non in hoc ipso subsequēti Miscellanearum Epistolarum opere, aliquot, & earum quidem non parum multas, sis lecturus, epistolas, quæ si tam uetustiorum quam recentiorum epistolas, in omnibus epistolarum & generibus & speciebus non omnino superant, certē prorsus æquant. Inter eos enim qui scripserunt, reperies, qui (sit uerbo uenia, quod cum aliorum pace dixerim) uui Demosthenem, copia Platonem, iucunditate Isocratē, eloquentia Ciceronem, lactea ubertate T. Liuium, acumine Quintilianum, elegantia Plinium, lenitate Curtium, candore Suetonium, breuitate Salustium, iudicio Fabium, sententiarum grauitate Senecam, facilitate Aeneam Pium, Politianū, & Sabellicum, &c. planē referunt. Adde, quod illæ ipsæ epistolæ sic in uniuersum scriptæ sint, ut nullius non ætatis hominibus æquē prodesse adedō possint: ut nemo de ipsis non uerē cum Q. Horatio dicere queat,

Id quod Aequē pauperibus prodest, locupletibus æquē,

Aequē neglectum pueris, senibusq; nocebit.

Adde præterea, quod ex lectione harum Miscellanearum Epistolarum, lectoris indubiē eundem sint cōsequuturi fructū, quem iuuenes quondam illi Romani ex inspectione imaginum excellentium uirorum cōsequuti sunt. Memorīe quidem proditū legimus à Salustio, Romanos illos morituros, iussisse suas, & rerum quas præclarē gesserant, imagines in loco quodam celebri editiorē que erigendas, ut posteri illas intuentes, ad eandem uirtutes, uirtutūq; laudes allicerentur: utpote non nescij, exempla maximē ad uitæ institutionem conducere. id quod illi planē experiebantur, quū uel sibi ex maiorum imaginum intuitu uehementissimē animū ad uirtutes

tutes accendi uidebant. haud tamen cereas illas imagines, uel figuras pictas, tantam in se habere uim: sed memoria rerum gestarum eam flammam egregijs uiris in pectore crescere existimabant: neque prius sedari, quam uirtus eorum famam atque gloriam adæquarit. Iam uerō, quid in hoc opere Miscellanearum Epistolarum præclarissimo aliud, quam planē iucundam & ueridicam de rebus hisce temporib. passim apud nos, præsertim Germanos, mirē, fortiter, præclare, religiosēq; gestis, historiam, potius uides, ac legis: unde non possit tibi non ad ueram religionem, fidem, pietatē, doctrinam, et id genus alias diuinas uirtutes, animus usq; adedō succendi, ut cum Aenea illo Vergiliano tecum colloqui ualeas,

Quæ regio in terris nostri non plena laboris?

En Priamus, sunt hic etiam sua præmia laudi,

Sunt lachrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt.

Solue metum, feret hæc aliquam tibi fama salutem.

Sic ait: atq; animum pictura pascit inani,

Multa gemens, largoq; humectat flumine uultum, &c.

Insuper qui fieri possit, ut eiusmodi ad ipsum Nauseam epistolis, pro eodem cōtra ipsius malē feriatos æmulos & osores, quibus nec amabilis innocentia, nec inclyta uirtus unquam caruit, nec carere potuit unquam, Apologiarum uice non usurus sim? Quandoquidem non defuerunt iam pridem nonnulli, totius scilicet honestatis obliiti, omniscq; uirtutis expertes, qui (reluctatē etiamnum omni ueritate) cæca quadam duntaxat inuidia perciti, modis nescio quibus, certē malignis, planēq; (quod nunc abundē satis constat) cōfictis, nomen illius, utcūq; toto orbe apud optimos quoscq; per quam optimē audiens, apud monarchas etiam præcipuos non tam palam, quam clam traducere moliti sunt: sed quorū impudentissima mendacia per iugulum redire coegit uita illius, omnis honestatis plenissima, & ab ineunte ipsius ætate ab omni semper la-be uel minima, prorsus illibita: testimonio etiam testium præter alios, quorum meminisse hoc loco necessum non est, nec quidē operæ precium, eorum qui omni nimirum exceptiōe maiores, suis ad illum nec retortis, nec ambitis, nec precario (sicut uidere & legere est) impetratis epistolis, & in hoc subsequenti Epistolarum uolumine contentis, luce meridiana multo clarius contestantur. Eæt igitur nunc inuidiosa istorum scribarum, & Phariseorū quorundam, sacrificulorum, & eorum sycophantarum parasitorum quæ iniquitas, sibiq; more suo uenenoso mentiatur, nugandoq; Nauseam simultatis, aut suspitionis, aut conscientia mille testium, aut ambitionis, aut ambidexteritatis, aut partialitatis, aut (ut ita dicam) neutralitatis, aut simulationis, aut dissimulationis, aut facilitatis, aut familiaritatis, aut illiberalitatis, aut prodigalitatatis, aut

PRAEFATIO.

inhumanitatis, aut tyrannidis, aut conniuentiae schismaticae, aut hoc genus accuset aliorum uiciorum: à quibus ipse tam est alienus, quam qui esse possit alienissimus. Eat insuper eadem malignantium iniquitas, ac nugetur et deblatteret ipsa, & dicat, ipsi NAVSEAE nihil unquam nec fuisse, nec esse, nec intercessisse, nec intercedere consuetudinis & amicitiae cum hominibus eruditis, doctis, uereque pijs: utpote quales inter Papistas (hac enim isti plus quam hoc infœlici nostro seculo odiosa nomenclatura Catholicos dignantur) esse nequaquam reperiendos, sed illos esse plerisque omnes asinos bipedes, & insulos Theologastros: quum tamen in hoc uno soloque Epistolarum uolumine tot recenseantur homines, qui scriptis suis ex diametro contrarium testantur & probant: Quorum nonnulli propter nudam Christianae religionis & incorruptae fidei Catholicae ueritatem, nonnulli propter pietatis & iustitiae rectitudinem, nonnulli propter uirtutis & probitatis eminentiam, nonnulli propter eruditionis & doctrinae praecellentiam, nonnulli propter generis & profapiae claritudinem, nonnulli propter auctoritatis & potentiae sublimitatem, nonnulli propter consilij & iudicij magnitudinem, nonnulli propter raræ prudentiae & sapientiae celsitudinem, nonnullique propter res id genus alias haud illaudatas, uerè meritoque singulares haberi possint, ac debeant: suis usque ad eam litteris ipsum NAVSEAM ab omni naeuo tuentur, ut is nulla prorsus indigeat Apologia, qua nec ipse propterea usus est unquam: quippe contentus, & hoc Venusini poetae, de homine innocente, Sapphico consolatus & confortatus,

*Integer uita, scelerisque purus,
Non eget Mauri iaculis, nec arcu,
Nec uenenatis grauida sagittis
Fusce pharetra.*

*Sive per Syrtes iter aestuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, uel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.*

Atque hinc est, quod tantum abest, ut ulla ipsius NAVSEAE indignationem propterea formidem, quia eo nesciente, quicquid harum est Epistolarum, ediderim: ut me etiam propter hanc editionem apud illum uel ideo magnam initurum gratiam sperem, quia simul omnes illos ferme sub eius conspectu collocauerim, quorum frequens intuitio memoriaque repetita, non poterit ei non esse multo dulcissima. Verum quid frustra hoc uel illud, aut aliud multis ambagibus causari conitor? quando res ipsa pro loco & tempore se ipsam satis abundè sit excusatura. Quid si ipse NAVSEA in suo cauisset testamento, ut post suum obitum quicquid huius est Episto-

laris

PRAEFATIO.

laris operis, aut Vulcano, aut Neptuno consecrari deberet, nec editum iri unquam? Nonne (quæso) optimus quisque merito sit exclamaturus, uti quondam Octavius ille Augustus Imp. doctis, ob comburendam P. Maronis Aeneiden, quam ille post mortem suam testamento concremari iusserat, exclamauit, inquiens:

*Ergo ne supremis potuit uox improba uerbis
Tam dirum mandare nefas? Ergo ibit in ignes,
Magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis?
Sed legum seruanda fides: suprema uoluntas
Quod mandat, fierique iubet, parere necesse est.
Frangatur potius legum ueneranda potestas,
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauferit una dies, &c.*

Habes igitur candidè Lector, quibus equidem ductus, imò compulsus rationibus aliquot, quæ subinde sequuntur, ad ipsum FRIDERICVM NAVSEAM, Episcopum Viennensem, &c. quarundam personarum uerè singularium epistolas, illo etiam nesciente, diuulgandas procurauerim; nempe, ne præter alias, quas lubens prætereo, rationes, si secus fecissem, tot tâtasque earum epistolarum utilitates inuidere tibi, totque singularium personarum uirtutes præter omne demeritum silentio transire, suaque commerita laude ipsum Nauseam fraudare uoluisset, uideri potuerim: sed ut potius etiamnum plerique omnes cognoscerent, quam sua semper sponte laus uirtutem sequatur: quamque longè præstet, ob tuendam præsertim famam, ab alijs, quam à se ipso quenquam laudari. Nec insuper est, quod inuidiosior quispiam Momus, rebus alterius marcescens opimis, obijciat, literas aliorum, ueluti rerum secretiorum significatrices, reuelare non omnino conuenire. Cui respondens, inquam, locum habere hoc ipsum, quando res edita in eius, cuius res est, præiudicium cedit. Id quod hinc tantum abest, ut etiam, quod hic editur, ac reuelatur, in eius, cuius res editur, non minus, quam in edentis laudem & utilitatem dubio procul cessurum sit: quem admodum suo te loco & tempore periculum, non sine summo fructu tuo, facturum, bene confido. Quicquid autem illarum in subsequenti opere Miscellanearum est Epistolarum, iuxta ipsius NAVSEAE, quas ipse pro tempore nactus est & habuit, condiciones, iuxta numerum Musarum, in nouem libros partitus sum: Quorum,

Primus

P R A E F A T I O.

Primus	} complectitur Epistolas, conscriptas ad ipsum Nauseam existentem	Bonarum literarum, liberaliumque artium studiosum.
Secundus		Legum Imp. & Theologiae doctorem.
Tertius		Secretarium L. Campegi s. R. E. Cardinalis.
Quartus		Ecclesiasten Maguntinensem.
Quintus		Designatum Ecclesiasten Regium.
Sextus		Ecclesiasten & Consiliarium Regium
Septimus		Coadiutorem in dicitur Viennae Ecclesiae.
Octauus		Episcopum Viennensem confirmatum.
Nonus		Episcopum Viennensem consecratum.

Supereft modò non aliud, optime lector, quàm quòd Deum opt. max. mecum preceris, ut eius diuina benedictione foelix faustumq; fit tibi, mihiq; edenti, quicquid huius est operis Epistolarum Miscellanearum.

EPISTOLARVM MISCELLANEA

NVM, AD FRIDERICVM NAUSEAM BLANCICAMPIANVM, Episcopum Viennensem singularium personarum, Liber primus.

M. VALERIANVS AD S. AVGVSTINVM PAPIENSEM Praepositum, clariss. Poetae & Oratori Friderico Nauseae S. D.



IX dici queat, Friderice mi perquam erudites quam mihi gratæ fuerint tuæ hæ, quas uoca extemporarias, Epistolæ: uel quòd tuæ sint, id est, ab amico suauissimo profectæ: uel quòd ipsam demum latinatam redolent, quaqua uersum illas inspecte. Vix item dici contra possit, quam me poeniteat, non certe amicitia tuæ, qua nihil poterat fortunatius euenire mihi: sed

quantulicunq; nominis, sinistro meo genio apud te olim de Valeriano comparati: qui mox re ipsa facturus sum periculum, quam indignè prædicatus sim à uiris, amicis quidem illis, sed nimium in amore studiosis. Cæterum mihi perferendum est, quod ardore animorum erga me agitur: ne uelim unus pugnare (quod ne Herculi quidem licuit) aduersus te, gratiosissime Nausea: simulq; Hieronymum illum Venturinum, cui Deus bene faxit, pro hac mihi iniusta gloria. Quanti uerò te faciam, mi Nausea, neq; calamo nunc possum, neq; lingua olim exprimere. sed & hoc unum habeo compertum, neq; pro dignitate meritorum tuorum cuiquam hominum id datum esse dico, quod sentio: & sentio sanè, quod dico. De tuis uerò in Lactantium distichis, si unico uerbo dicendum est, id audacter asseruerim, digna prorsus esse, quæ in Lactantium Firmianum excusa sint. Plena nempe sunt lactæ eloquentia: tum grauitate sententiarum mira quadam, rotunditateq; firma subsistunt singula, tanquam in suis sedibus: & sicut stelle in firmamento, Firmianum illustrat. Te igitur oro & obsecro, ne tibi ipsi desis. Sunt namq; ea naturæ dona in candidissimo illo pectore tuo reposita, quæ si non per torporem emarcuerint, lacta re possint uniuersum orbem plus, quam Lactantius Christianam rem pub. uel aurea tua hac eloquentione, uel (quod potius est) fidei sapientia & pietate. Quicquid apud me rerum uisitur, id tibi scias esse tam commune, quam amicissimo. Ex Papiæ, Calend. Septemb. Anno reparatæ Salutis, M. D. X. I. X.

I A F R E D V S D E G R A N G I S, S E N A T O R R E - gius, disertiss. iuueni, ac utriusq; lingue doctiss. Friderico Nauseae, S. D.



I S T I C H A, quæ ad me misisti, puto esse optima, quando iuuenis ea finxit ingeniosus, eruditus, & in poetica uersatus. sed uix mihi fuerunt reddita, quòd statim repetita sunt, ut Papiæ imprimerentur: adeò ut non datum fuerit ea legere, & cuiusmodi essent, considerare, ac quid de ijs existimarè, rescribere

A bere

bere. quamuis meum non sit, de poetis ferre sententiã, opus est enim ad id uiro longè magis, quàm ipse sum, & acuto, & docto, nec ita curis negotijsq; impedito. Fateor tamen studijs istis, cum adolescens essem, me ualde fuisse delectatum: neq; nũc etiã abhorreo: imò quantum mihi per occupationes licet, si nequeo literis toto (ut aiunt) pectore incumbere, quod magis cuperem, saltem earum studiosos non amo tantum, foueoq; sed etiã ueneror: nihilq; prætermitto, ubi possum illis prodesse, quin aliquid beneficij ultrò in eos conferam. Atq; utinã is ego essem, qui muneribus possẽ & dignitatibus doctrinã deditos ornare: nihil (mihi crede) libentius facerem. Nunc quoq; qualiscunq; sum, nunquã pro uiribus cessabo eos iuuare, qui Musas colunt. E' quibus cum te unum esse probè intelligam, si quid opera nostra tibi opus fuerit, me semper habebis paratissimum: nec pro te ipso tantum, qui me in amicitiam sponte prouocasti epistola elegantissima, beneuolentiãq; in me plenissima, sed pro tuis & familiaribus & necessarijs. Vale, & quando quidem carmina tua fuerunt mihi quasi erepta, ubi primũ erunt impressa, curabis illicò ad me mitantur. Mediolani, quarto Calen. Septemb. Anni M. D. XIX.

QVINTIANVS STOA, FRIDERICO NAV,
scilicet Germano suo S. D.



Conuenisti me Nausea, apertèq; ostendisti, quanto gaudio afficereris, si ulla spes uideretur nostri erga te antidoti: id est, si encomio quod olim misisti, expetitur uotũ adimerem. In quo quidem nõ minus ignauiam excusasti meam, quàm tuã auiditatem pollicè erexisti. nam & meritò laudandus uideor, quod diutius Harpocrati paruerim: nec iniuriã laudandus emergis, quod mutuum præstolatus fueris emporium. Quos enim per Deos immortales arctius cõplecti debeo, quàm hos, qui magnificis laudibus meã qualiscunq; eruditioni fauent, & accedunt. Utinam Deorum beneficio id ostritus essem, quod emunctim diserteq; conscripsisti. Timeo me hercle, ne in poetarum ritum cadas, qui nefarium Minoem, umbrarum æquissimum iudicem insimulant: Tantalumq; omnium uiuentiũ humanissimum, pœnã acerbissimã substituant. Ita nos amet Iupiter, habebis recte, si Quintianum collaudes, quem inscitia circumuallat, & barbaries uti propolam contaminat. Quapropter non nescius quàm arida sit musa, quàm ue curta sit ingenij supellex, hæcenus distuli: nec calamo in his admouissẽ manum, nisi penes te indignationis locum inuentũ iri autem assem. Itaq; soricinam hodie induere nœniam malui, quàm expectationem diutius tuam fraudare. In causa demum adscriberis, si enerui uerborum serie, delumbatoq; ordine ad te scribam: quem adẽ famigeratum reddit lingua, ut si quis tibi conferatur, nõ secus eum excipias, quàm Cluenum Maro, & Homerus Zoilum. At faxe, ut mei adrogantiam deprehendas.

deprehendas. Proferis huc commigrare ea te coactum auiditate, qualem ex ultimis nationibus uisendi Liuium grãtia Romam uenientes illi concepere. Sed an hac in urbe eos sis expertus, quos fama pertulerat, tu ipse iudicaueris. De nobis quid afferam, compertum habeo: quando is sim, quem conuenientius inter proletarios sellulariosq; connumerer, quàm inter clasiarios colloces. Arguis a Quintiano Bilbilitano, Quintianum esse carminum adfertorem. Id profecto Iuuenius olim comprobauit: sed nescio quo pacto Dolidamanti nomen conuenit, aut Saturioni Plautino fauerit, quod decreueris latiore uirtutum nomenclatura, foecundiorèq; librorum pelago me exornare. Malè formido, ne Pædiam Xenophontis representes. in ea siquidem Cyrus, non qui fuit, sed qualis esse debuit, ostenditur. Epographiarum te summum agyrtem, & uocalissimum buccinatorẽ afferis. Huic officio non irascor, quod iuuentuti nostræ adplaudas, unum hoc me angit, quod ex illis fortè, qualis futurus ueniẽte essem æuo, perceperis: Et nunc flaccescentibus alis tibi surgere non poterim, ubi sedendum præ se adolescentia ferebat. Legi elegũ de me carmen: dii boni, quæ pressa eloquentia, qualis Romanã redolens simplicitatem grauitas. Utinam eorũ uel minimam particulã indeptus essem, quæ tam ubertim Musæo aulace perstrinxisti, quum narras mei potissimũ gratiate Papiã contulisse. Exhorresco: qualis sim, quod ueneris, inspice, num palato tuo satisfaciam. Sic nonnullos piscium fama allectos, accepimus aliò enauigasse: ubi, ijs non repertis, regiones eas summis deuouere conuicis. Elucubrationũ nostrarum te sititorem affirmas. Quo potero siti tantæ suppetiari: quando hic fons siccis arenis deficiet. In encomij calce, non uerũ sit encomium. Quintianum obseruare te prædicas. Verũ in hoc te saltem uincam, cum literis omnibus inferior, omnes obseruatu superare contendam. Sapientum legi tuum, defecatum certè, & excoctum: cui tantum defero, ut Horatianis immiscere non dedigner. Scribo hæc quidem interpellatibus grauioribus Musis. Sed uelim scias, me susque deque facere, modò inhiatui tuo morè geram. Vale: & me Germanis tuis, & meis omnibus commendato, quos uti Gymnastij nostri flores suauissimos delegi. Datum uelocissimo calamo, Papiæ, ex ædibus nostris, ultimo Martij. Anno salutis requisitæ, M. D. XXI.

M. AMANVS, VNDECVNQVE DOCTISSIMO

Viro, D. Friderico Nausea, S. P. D.



REDITAE mihi sunt tuæ literæ, Nausea doctissime, imò meræ Veneres, meri lepores: quibus, dispereã, si quid unquã uel doctius, uel accuratius, uel humanius deniq; legerim. quantum uerò uoluptatis pariter ac gaudij mihi attulerint, non ullis uerbis consequar: non si mihi Attica facundia foret, pro magnitudine isthuc ipsum dixero. Proinde infantia meã probè

gnarus, simul ac rei magnitudine difficultateque deterritus, cōsultius ipse esse duco (ut Salustianis uerbis utar) prorsus silere de ingenij tui excellentia, quam parum dicere. Quis enim uel Demosthenes apud Græcos, uel apud Latinos Tullius, pro dignitate satis explicarit, ut de eruditione omniuaria, ac dictionis tuæ eleganti facilitate, itemque copia orationis exuberantissima sileatur, inauditam illam atque adeo nouam tuā humanitatem, incredibilemque animi tui erga me beneuolentiam. Qui quidem prior ad eum dedisti literas, ne à facie quidem tibi cognitum, doctissimus ad indoctissimū, eloquentissimus ad infantissimum, Germanus denique ad Heluetium: nonne hæc maximæ humanitatis argumenta maxima? At, quod scribis, Vdalricum nostrū, summæ spei iuuenem, Heluetiæ nostræ iacturā, quam superioribus mensibus factorum inuidentiā, immaturo tū summi uiri Falconis, tū unici studiorum Mecœnatis interitu fecimus, accumulatissemè expleturū eumque miro linguæ suæ penicillo (ita enim scribis) quasi quempiam Apellē, animi pariter ac corporis mei simulachrum depinxisse, adeo, ut non uulgariter absentem, itemque antea non uisum, cœperis amplecti: rectè id quidem eloquentiæ eius attribueris, quæ tanta est, ut de musca (quod aiunt) elephantem queat facere. Sed tamen grata interim mihi est ipsius uoluntas, grata humanitas, atque beneuolentiā singularis, qua me omnibus suis amicis cōmendat, & notū facit. is mihi nuper misit Opusculū tuum, de quo quid dicam in præsentia non habeo: doctissimū mehercle, & in quo admirabilem tuā erga patriam nostrā beneuolentiam licuit facile perspicere, quo primū ad amorem tui impulsus sum. Auxit hūc deinde exoptatus Vdalrici nostri aduentus, qui me propemodum, ut aliquid ad te scriberem, perpulerat, nō inuitum sanè, sed tamē uerecundantem, neque id iniuria. Quid enim excellenti tua doctrina dignū, ab adolescente, usque adeo pœnitendo ingenio prædito, scribi potest? Rogauit tamen, ut me intimè tibi cōmendaret: moxque literis ad eum datis, idem precatus sum: quas tamē nō perlatas esse, multæ sunt coniecturæ, ut credam. Cæterū quod epistolas, quas ad Vdalricum scripsi, tātō opere laudibus extuleris, præter animi in me tui amorē nihil prorsus agnosco. Nā ex meo ingenio cæteros æstimo, qui amicorum ad me scripta, non eloquentia, sed beneuolentiā soleam metiri. id quod te quoque facturū esse, libens mihi persuadeo. Porro quod me hortaris, ut Heluetiam, antehac armis nobilem, literis quoque nunc ad laborē illustrare: uellem quidē, si id ullo modo per ingenij absurditatem facere liceret. tamen perinde ac in exercitu maximo, itemque fortissimo, calonis uel lixæ fungar officio, sæpe numero gratulari soleo Germaniæ, ubi uideo nulla ex parte ingeniorum fertilitate atque præstantia Heluetiæ cedere. Cui rei tu non leue affers testimoniū, ingenio prorsus Attico præditus. Postremò, ut aliquando garrire desinam, persuasum uelim habeas, te mihi, etsi incognitum, tamen ex animo charum esse, itaque amicitiam nostram bonis

bonis aũibus, uti spero, inchoatam, ad finem usque perducamus. finis autem mors erit, ultima rerum linea. Profecto quantum in me erit, si non benefaciendo, quantum per fortunę tenuitatem conceditur, certe bene loquendo, sinceri animi officio neuiquam deero. Vale felicissimè, Nausea doctissime, et has extemporales schedas ac frigidas Vulcanano limãdas trade. Cõubernales omnes te saluū uolunt. Vale iterum, Mediolani, v. Cal. April. Anno post natū seruatorē M. D. X I X.

IOANNES MALATESTA, CANDIDISSIMO

literarum professori, Germanicę decori, Friderico Nausee S. D.



YSTICA oblaturus liba, iam sacro ex more amictu caput uelauerā, cum ecce Pullestrillum uestrum, Friderice suauissime, stare præ foribus nunciatur à ianitore. eum igitur, charitate impellente, conueni, ac quātis potui precibus institi, ut equo descenderet, apud nos diuersaretur, pranderet, quiesceret. At ille columbina, ut arbitror, simplicitate, ac uirginali quapiam erubescencia præpeditus, ne equo quidē sibi uoluit: sed oblati opusculis literisque tuis, Patauium repetiturus, duplici quodammodo me uulnere transfixit: dum scilicet gratisimam sui præsentiam tam insperato subtraxit, & charissimi Nauseæ ægritudinem nunciauit. Fateor, tanto mœrore concussus, uix substiti: collectis tamen uiribus, ad altare redij, salutaremque hostiā, quantulacunque potui attentione, pro incolumitate mei Friderici, Deo Opt. Max. ac sanctissimæ eius Genitrici, cuius humillima ad Elizabeth salutatio tum celebrabatur, obtuli. Sacris ex more peractis, luculentissimas tuas resignaui; quibus dum, quanta reditum meum præstoleris anxietate, significas, amoris erga me tui immensitatem attestaris. Confundor planè amicorum amicisime, humilium humillime, cum tantam erga me, nullo prorsus præuio merito, beneuolentiam perpendo. Cum uerò tantam de me opinionem, nullo ex me uirtutis monumento extante, ex te audio, obstupefactus satis admirari nequeo:

Iudicium euertit modica indignatio rectum,

Nausea, in hoc etiam sæpius errat amor.

Aduersam ualetudinem tuam non secus, ac si meis ipsius medullis infusa febris foret, ægrè fero. illā enim abs te ægerrimè ferri, cõiugio. Sed cõfortare, & esto robustus, memor illius Apostolici, Quod uirtus in infirmitate perficitur: illa inquam uirtus, qua sola præeunte cœlum ascenditur: illa inquam uirtus, quæ præcipuè uirtus Christi ab Apostolo dicitur. Sic enim ait: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi. Quæritur ab orthodoxis, quæ nam sit ista uirtus Christi, cum Christus omnium uirtutum pater perfectissimus sit, utpote uerus Deus. Post uarios spirituales discursus, humilitatem hanc esse denique irreprehensibili sanctione concludunt. Tantillum igitur cum febres, tum literarum studia intermis-

6
 fa susque deque feras, in Christi interim uirtute profecturus. Si quid tamen, quod incolumitati recuperade conferat, apud nos esse digno scis, audacter pete, & quamprimum exorabis. Opellas tuas, quandoquidem eas sic adpellas, grati animi argumentum, gratissimo suscepti animo: eas cum premisis, nactus opportunitatem, gratiori animo ac studio perlecturus. De his etenim, deq; alijs, licet grauioribus praeputus negotijs uix inspexerim, optimè sentio: laudo opera, gratulor auctori, gratulor aetati nostrae litteratorum feracissimae. Magnae demum gratulor Germaniae, quae ultra innumerabilia Dei opt. max. naturae munera, & artis insignia uehementer stupenda, suu & ipsa posthac Quintilianum habere se laetabitur. Quem Dominus sospitem quamprimum reddere, ac foelicem diu, ad totius orbis gaudiu, commodumq; per immensam clementiae suae largitatem conseruare dignetur: cui me etiam atq; etiam commendo, quidquid sum libentissimi me offerens. Prataleae, ex sacris Deiparae Virginis, pridie nonas Iulias, Anno à natiuitate diuina M D X XII.

QVINTIANI STOAE EPIGRAMMA,
 in Librum Distichorum Friderici Nauseae.

*Scripta Palaeophatijs miracula quanta papyris,
 Sed tamen ad ueram non bene compta fidem.
 Phinea quis credat? Cent aurorumq; figuras?
 Quis credat uolucrem Bellerophontis equum?
 Mirandum, o lector: maius tamen accipe, certo
 Certius, & uero uerius Oceano.
 Ecce sub hoc paruo caelum latet omne libello,
 Et breuis immensum continet urna fretum.
 Rides? depositis haec Disticha uolue cachinnis,
 Inuenies totum sub breuitate sophos.*

IOANNES BAPTISTA PAVIDRA
 pius, doctissimo Legum professori Friderico Nauseae, S. D.



IDI, optime mi Friderice, quae scripsisti ad me his proximis diebus: unde & dolui plurimum, & simul quoque gauisus sum. Dolui quidem, quia audiui dolere te, ex intermissione mea. Gauisus sum, quia cognoui amorem erga me tuum esse maximum: & non solum erga me, sed erga alios quoq; amicos meos, siue nostros potius, quorum literas tu incredibili ardore desideras. Verum quia uidi epistolam, scioq; D. Hieronymum sacri uerbi concionatorem nos abunde literis suis purgare, non habeo necesse alia uti excusatione. Fortassis enim tibi iam copiose sa-

7
 tisfacit, & certè sic omnino res se habet, ut ille de me scribit. Iam enim uix uiuere aut respirare possum, ex continuis laboribus & fatigationibus, in officina nostra literaria contractis. Eoque pauca haec propter easdem scribo, ne quicquam de amore meo dubites, qui stabilis, uerus atque firmus sit, & ad utriusque nostrum cineres futurus. Mitto etiam ad te Libellum, quem iam diu à me expectasti, quem iam dudum etiam misissem, nisi cum literis amicorum mittere maluissem. Cum ijs igitur eum habes, ut amplius excruciaris te non habeas opus. Ignosce uero, si ad nutum saepe scribere nequeunt, & tardius aequo suum faciunt officium. Amas tu quidem eos, sicut & me, uehementer: sed illi uicissim me hercle, te redamant uehementius. Ergo quod non ex incuria, uel negligetia fit, optime doctissimèq; Nausea, non id crimini illis esse committas ut uelis. Vale foelix, faustusq; ac me amantem uicissim ama. Commendo enim me tibi semper: neq; me solum, sed meos omnes, à quibus tibi salutem renunciare iussus sum. Papiæ, VIII. Cal. Aug. Anno M D X X.

De Egnatio praetermissi. Scias igitur, ab eo me recepisse nihil, praeter schedulam breuem, eamq; statim fratri meo remisisse Venetias. Data est autem Michaeli bibliopola Patauino, tibi non ignoto. Is ut curarit receptam, sanè nescio: curasse existimo. Vale iterum.

IOANNES LYDOVICVS MARCHIO DE SA.
 lucijs, amico singulari Friderico Nauseae, S. D.



Ratissimae nobis fuerunt literae tuae, quas ex Francharetij sermone te scripsisse animaduerti: qui pro suo in nos studio & beneuolentia singulari, plura fortassis de nobis praedicauerit, quam ipsi praestare possimus, praesertim à te oratione sic amplificata. Quaecumq; tamen illa sunt, quae certè mediocria sunt, siue naturae, siue fortunae beneficio tributa, siue meo labore parta, ea ita tibi à nobis prompta semper parataq; erunt, ut reliquis nostris. In quorum te numerum, pro tuis maximis & clarissimis uirtutibus ascitum uolumus. Vale, Patauij, ex nostris aedibus, quarto Cal. Octob. Anno redempti mundi M. D. XX.

FACINVS ERICIVS, CLARISSIMO POETA
 & Oratori Friderico Nauseae, S. D.



Bsecro suauissime Friderice aequo animo feras hanc meam in scribendo tarditatem, quam nulli adscribas incuriae meae, aut contemptui de te: quem propter bonarum artium studia, excellentemq; doctrinam, & colo, & summe diligo: sed incommodis ac molestijs, quibus tot simul hoc tempore opprimor, ut uix compos mei sim. Sed ea, quae, & cuiusmodi sint, malo te ex me coram (ubi per ocium licuerit) audire, quam nunc ex literis cognoscere. Quod uero ad rem attinet, ego magnitudine et multiplici-

iplicitate curarum obrutus, neq; ad legendum, neq; ad scribendum
ocij quicquam nactus sum: atq; id ipsum quod nunc scribo, ita con-
fusus ægréq; scribo, ut quid scribam, planè nesciam. Summa tamen
hæc sit, me, ubi per præsentia incommoda respirare datum fuerit, in
quibus tamen non me diu fore arbitror, libellum tuum summa cum
diligentia & attentione perlecturum: tum pro tenuitate iudicij mei,
quicquid esse ingenij in me potuerit, id omne in rem tuam amicè &
cum fide allaturum. Cæterum tu an adhuc ex tua febricula conualue-
ris, scire cupio. Vale, Patavij, III. Idus Sept. Anno MDXXI.

FACINVS ERICIVS, FRIDERICO NAVSEAE,
Poetae atq; Oratori insigni, S. D.



*Vid nomen celebras immeriti meum,
Et desiderium Pieriæ mihi,
Musarumq; tuo carmine suscitæ,
Sopitum ac renouas uulnera refricans.*

*Quid fortuna tibi mecum erat improba,
Quem raptum à dominæ Palladis artibus,
A Phœbo, atq; sacri uirginibus chori,
Curarum in pelagus tam tumidum rapis,
Committisq; minax fluctibus aulicis,
(Fati mancipium, mancipium mali)
Tanquam foedifragæ Syrtibus Apricæ,
Sæuis Trinacrij uel canibus freti,
Exutam solito remigio ratem.
Nec damna se fuit sat tibi, perfida:
Insons exilio non nocui caput,
Et multa se tuis immeritum bonis,
Ni me Pieridum fontibus arceas
Asuetum querulis Aoniæ uadis,
Mentis sollicitæ fasciculos graues,
Languentisq; animi mergere tenditur.*

IOANNES MALATESTA FRIDERICO
Nauseæ, de re literaria benemerito, S. D.



Es scio quo fidere subita ui febrium correptus, nauseantè
stomacho, Nausea mi candidissime ac suauissime, hoc ta-
men tantillū responsi non potui nō dare. Et quando quid-
dem epistolæ luculentissimæ uerbis (ut par erat) nō pos-
sum, affectui tamen tuo effectu satisfacere studui. Regulam igitur
diui Benedicti, & uitam à beatissimo Gregorio compositam, trāsmir-
to: hoc te non præterire cupiens, quod apud Casinense cœnobium
immensa de gestis Benedicti uolumina habentur, ex quibus ea tan-
tummodo

tummodo excerptis Gregorius miracula, quibus eum utriusq; in-
strumenti patribus persimilem, parem q; doceret, alias plura. Sospi-
tatem tuam quam ocys recuperare festina. Te enim bene ualète, e-
go quoq; incolumis euadam. Ex sacris Prataleæ ædibus, xvi Ca-
lend. Aug. Anno Domini MDXXII.

VITVS BERLERVS OPTIMO VIRO
Friderico Nauseæ, S. D.



Gitur iam uigesimus primus dies, quando Pataviū An-
tenorium reliqui. En adhuc in Villaco principis aulam
sequor, ubi dum hominum mores exploro studiosius,
adulationes crebræ ita mihi tacito risum mouent, ut ni-
hil æquè magis. Ego, quando hæc & alia apertius ipse contemplor,
ad meos amicissimos conuersus, in ea uerba sapius exclamo:

*O fallax hominum uultus, ne credite fronti:
In blando raram uidimus ore fidem.*

Martinus noster solito agit more: sed relinquamus eum, furijs o-
lim infernalibus excruciantum. Sic uideo, sic sunt mores, sic impia
poscit uita: malis, finis non solet esse bonus. D. Christophorus Po-
tinger, iuuenis ita mihi uero amore iunctus, ut possit iunctus esse ni-
hil, me hodie salutando miris refecit modis. Sed repētina amicissimi
hominis abitio, me tanto tristiorē reddidit, quāto sum illius aduētū
factus alacrior. Sequitur autē FERDINANDVM, Austriæ Ar-
chiducem, quem ex insperato Villaci apud Antistitem nostrum re-
perit. Profecturus hic est ad CAROLVM fratrem, maioribus auspi-
cjs daturus operam. Dij cœpta secudent. Res Hungaricæ, ut au-
dio, semper (proh dolor) in peius labuntur: ita per ferocissimā Tur-
carum gentem, & igni & ferro in pleracq; oppida sæuitum est: o no-
stra Donna de Loreto.

Et uidet ista Deus, nec fulmina torquet ab alto?

Irasci quando iustus ille potest?

Belli Italici euentus tu melius quàm ego nosti. Si quid tamen in
posterum emerferit noui, quod ego saltem sciam, hac te uoluptate
non priuabo, modo locorum longa distantia me id agentem non re-
moretur. Nam post octiduum hinc soluemus. Deus optimus max.
faxit, ne loca diro ueneno infecta, per quæ iter facturi sumus, immi-
tius nobiscum agāt. Alioquin ad omnem paratus fortunam, fero li-
bēs, quicquid ferre coactus ero. Vale, nostrosq; saluta, Ex Villaco,
ult. octob. Anno MDXXI.

FACINVS ERICIVS MERCVRII ET
Musarum alumno, Friderico Nauseæ, S. D.

B Redditæ



Eddita mihi sunt suauissimæ tuæ literæ, plenæ humanitatis & gratiæ: quibus nunc tandem, quando negotij mihi nactus sum, breuissimè respondebo. Ego si te honestis titulis appellauit, nõ discesi ab instituto meo, q̄ plus semper alijs tribuere solitus sim, quàm mihi uel assumamipse, uel ab alijs tribui postulem. Simul uolui & stimulos addidisse festinanti tibi ad eam palmam, ad quam toto te animi impetu ferri uideo, cuiq̄ iam appropinquare te cernimus: & me longissimè ab inuidia ponere, qua peste optimi cuiusq̄ animus carere debet. Quod miraris tuum nomen in carmine suppressum fuisse, etsi id casu potius quàm cõsulto à me factum est: tamè tueri me possum grauissimorũ authorũ exẽplo, qui tituli atq̄ inscriptionis solius appellatione cõtenti, nõ ultra illius ad quẽ scriberet, nomẽ expressere. De redargutione uerò quod quæris, qui possum ego, alioquin incurius, hominẽ modestissimũ, atq̄ omni carentè redargutione, reprehẽdere. Quòd si ego ab illa interrogatiõe exordiri malui, ut lectoris animũ ab initio statim excitare, magisq̄ ad omnes partes cõmouere, ne reprehensionẽ dixeris quod à me de industria in aliam rationẽ factum est. Necq̄ mirare quod alienũ à Musis esse me dicam, à quib. sum certè temporũ iniuria distractus, & fortunæ nouercatis iniquitate, & necessitate, nõ mea uoluntate diuulsus, unde, ijs iam diu dimissis profusus, non intermissis artibus & studijs, ad quæ me ipse contulerã, in aulas principũ tanquam in turbulentissimos fluctus coniectus sum: ex quibus an adnare tandem in portum aliquem liceat, nõdum intelligo. Quo fit, ut cum nihil in me sit, quod aut tu, aut mortalium quispiam admirari debeat: illud tamen mirandum maximè sit, quomodo tot grumnis & calamitatibus, quas ab ipso ætatis flore, & in medio optimorũ studiorum cursu ad hæc tempora perpessus sum, hæctenus superesse potuerim, nisi ad maiora etiam mala fatum me meum referuat malum. Ex quo intelligere planè potes, à nobis iam dudum Phœbum ipsum cum Musis longissimè abijisse. De gratia quod scribis cum principe meo inuenda, non erit profectò laborandum tibi: accedere licet, ubi collibuerit. Facilitatem atque humanitatem, in uiro præsertim tanto, experire singularem; tum præcipuum quendam eiusdem amorem in ingeniosos homines, & bonarum artium cultorem in primis admiraberis. Vale, ex ædibus nostris, v. Idus Septemb. Anno MDXX.

VITVS BERLERS IURISCIENŦIÆ SECTATOR
rigilantissimo, Friderico Nausea, S. D.



Aucis modò tecũ agam, Fridericè mi. Deinceps autem, ubi ubi occasio sese obtulerit aliqua, longior fortasse futurus. Hæc interim rerum capita attingere uix licuit, & id quidem ad lucernam, cæteris capaciora pocula exiccantibus.

tibus. Villacum, in quo princeps noster aliquandiu moratur, miris mihi blanditur modis: sed mulieres, teneraq̄ puellæ, plus quàm Vito tuo credere possis. De hac re plura scribere me prohibent. Parcè, atq̄ uetat Saturnia luno. Genialibus epulis, quib. mensa frequẽ instructa est, ita distendor, ut nulli rei sim magis quàm dormitioni aptus: fuitq̄ ob id unus & alter dies molestior. Amicos hic habeo optimos, & iureconsultum & medicum, qui me plurimum amant. D. Ulrichus, Antistitis nostri sacrificulus, ut est homo facetijs abundans, risum mihi crebro mouet. Plurimorum nobilium strenuè bibendo familiaritatem maximam (ita enim aulicorum mos est) cõparo: quibus me ut conformem, præsentia tempora iubent. Sed dii magni, Martinũ tuum, imò meũ, quid nã acturum putas Fridericè? eo præcipuè loco, quo nemini ociari licet: hunc inquã, qui peiora timens, in Patauino Gymnasio discordes plerumq̄ spargebat causas, & semina belli nequiter miscebat. En quandoquidẽ nõ datur aliud, suo Mecœnati ita pudentissimè adulatur, ut illũ non adulatorẽ, sed ex ipsa (quod dicitur) adulatione compositũ esse, constanter affirmare ausim. Sed abeat is in rem malã, ne dicã aliter, qui amarorem reb. tam dulcibus nobis frequẽter infudit. Indignus certè, de quo sermo habeatur. Literę tuæ adhuc fideliter custodientur apud me, ut Bambergæ illis, ad quos scriptæ sunt, quamprimum reddantur. Princeps noster omnia nuper itinera, quibus in Germaniã itur, diligenter excussit. Sed pestifer ille morbus ita sequitur undiq̄, ut nullus uiquam de lectus haberi possit. Accedunt niues, & uetis raucescentes scopuli, ad quorum sonitum nõ mediocriter horret animus. De rebus Turcarum tibi scriberem, sed uereor ne fidem desideres. Diuum tamen CAROLVM Tolosam urbem feliciter cæpisse, Celsissimus noster Præsul inter prandendũ nobis nuper narrauit: sed quo authore, nõ memini modò. Alij alia tibi retitabunt, fortassis melius. Vale, & cõmunes amicos saluta meo nomine omnes. Villaci, ipsa diuæ Vrsulę die. Anno MDXXI.

Domino Antonio Francisco, de doctiorib. præceptori nostro, non sine honoris præfatione nominando, post innumeras salutes, quas instanter illi opto, me plurimum commendabis.

BAPTISTA EGNATIVS ERVDITISSIMO
uiro Friderico Nausea, S. D.



Vi tibi hoc cognomen tradidere, siue id est à proauis, siue quacũq̄ alia tibi causa traditũ, malè (ita me dii amēt) factum: cum tu nõ mihi solum, sed omnibus Germanis, qui ad nos aedeunt, suauissimus & iucundissimus sis. Ut non modò mihi nõ nauseam moueris, tam crebra literarũ scriptio ne: uerũ etiam multo maximã uoluptatẽ attuleris. Quòd uerò me plurimũ consolabatur, id erat, quod animaduertẽ te facillè intelli

gere, me tot ac tantis distringi negocijs, ut non facile rescribere multis alijs possim, nedum tibi: cum praesertim, mihi Epigrammata tua nulla sint reddita. Ego uero ex Papiâ literas abs te acceperam, & eas sero admodum, quod per eos dies aberam ab urbe procul, studiorum gratia: quibus cum primum redij, literas eidem librario ad te dedi, à quo mihi tuæ fuerant reddita. Quare, mi Friderice, bono sis animo uelim. Id tibi persuadeas, te non solum Germaniæ tuæ nomine, cui multum debeo, sed de uirtutibus tuis & literis esse mihi, foreq; semper quam charissimum. Vincti enim in amore turpissimum est, praesertim ab eo, qui moribus ac eruditione tantum me amet. Quare si Epigrammata tua cupis à me legi, uel remitte alia: uel ueni ad nos, & de re tota agemus, & quidem coram omnia melius. Vitum Berlerum saluere à me suauissimè cupio, cuius ego discipulos ita complexus sum, ut maiore amoris significatione non potuerim: non solum quod nobilissimi habentur, sed (quod semper magni feci) quia bene morati mihi uisi sunt, & indole admodum leta, praesertim quos Berlerus mitteret. Illi mihi prandium hodie condixere: & ego praeter ingenium, stomaticumq; mei genium, ut iuuenibus nobilissimis gratificarer, & Berlerò, conditionem accepi: quorum beneuolentia & amoris negare nihil possum. Vale, Venetijs. VIII die Maij. M DXX.

LVCIVS PAVLVS RHOSSELLVS, HUMANARVM
diuinarumq; legum consultissimo, Friderico Nausea, S. D.



Idimus carmen, uidimus epistolam. Carmen doctrinam, epistola etiam beneuolentiam declarat. Sed quid dico? Et carmen & epistola maximum praeseferunt tuum in me amore. Aequum est igitur, in amore me tibi respondere. Amo igitur & ego te nec minus, quam tu me: in hoc concedo nemini. Sed tamen amor hic ex amore proueniens, nihil ad huc qui ex uirtute. Quae quanta in te sit, ex operibus tuis facile perspicio. Carmina enim et profana oratio citra ambiguitatem demonstrant, esse te & hominem alti ingenij, & praestantis doctrinae. Quamobrem uix perlectis literis audebam calamum arripere, ut aures tuas delicatas, emunctas & doctas, inani mea infantia obtunderem: quippe quae uere esse noui *ἄμω λυχρότομον*, ut est in Graeco proverbio. Humanitas enim tua, candorq; ille uere Germanicus, in ijs literis impressus, omnis uirtutis me impunitatem laturum persuasit. Ne tamen ultro incitiam uenditare uidear, modum scribendi faciam. Tantum igitur dico, à me te amari plurimum, tum propter tuam in me beneuolentiam, tum propter doctrinam: adeo, ut aliquando sis experturus, ipse cum fueris Py-lades, Orestem te certiorē habere non potuisse. Sed haec tempus docebit. Gregorius noster se tibi plurimum commēdat, cupidusq; opus illud Problematum, de quo in epistola tua memineras, uidere. Quare & illi & mihi gratum feceris, si ut id percurrere possimus, effeceris.

ris.

ris. Vale, Venetijs, VII Idus Apr. Anno incarnati Iesu MDXXII.

GEORGIVS SVNNENSTAINERVS OMNIUM
facundissimo Friderico Nausea, S. D.



Vas heri ad me dedisti literas, Nausea disertissime, me tam delectarunt, quam permagna admiratione affecerunt. Illas enim solis naturam imitari deprehendi. Nam quem admodum sol matutino tempore exoriri, uespero uero ad consuetas redire uias solet: sic tuas literas, summo mane politissima egredi officina, sero autem ad nostra incultissima applicare littora animaduerti. Cum uero tarditatis causam diligenter perscrutarer, primo locum, unde soluerant, considerabam, & quanquam in ea sumus urbe, quae haud paruū occupat spacium, tamen haud magno intervallo nostra distant contubernia: ita ut distantia nulli obstaculo fuerit, quo minus ad me maturius ueniret. tamen cum altius inuestigarem, nimirum illico omnis euauit admiratio. Nam cum eas attentiori quidem animo perlegissem, fulgentissimam quandam Latine linguae eloquentiam ostentabant: ut satis constituere non poterim, quae te satis dignè uocitaret. Mercurium certè, propter imparè eloquentiam, quod ille magis ingenij sit deus, appellare non potui. Porro nouis ac inusitatis titulis opprimere te nolui, ne coram in os laudare te uiderer. Et quidem propterea maxime modum praesentis sensus mei faciam, nec ultra sententiam de te meam proferre pergam. Prestabo potius, ut ex alijs iudicium, quam ex ipso me, cognoscas meum. Illud saltem deprecabor, ut balbuties mea locum mereatur uenire, nec infantia ista, quo minus amer à te, causam praebet. Scio enim uerum amore ex uirtute gigni, perdurareq; sperare uero, praestitutum id te mihi, ideo non diffido, quod etiam candorem ac beneuolentiam amorē conciliare scio. Naturam certè eos quos integros esse, nobiscq; bene uelle scimus, amare cogimur. sed hoc tu per te melius, doctissime Nausea. Quod restat, persequar. Restat autem, me summis precibus à te petere, quod tuis illis honoratis comilitonibus commender, aut meis potius Meoenatibus, Carolo de Limpurg, & Paulo de Schuartzberg, apud eos enim, sicut apud omnes magnos homines, te plurimum posse scio. Vale feliciter: Vitumq; Berlerum, unde quaq; doctissimum uirum, & parisi eruditionis N. Rechenbergerum, ac Pottingerum, nomine meo salutare ne grauerè. Vale iterum, praestantissime Nausea, mihiq; amicissime: Patauij, ex rudi officina nostra, decimo octauo Cal. Iul. Anno mundi restaurati MDXXI.

IOANNES BARO SCHVARTZENBERGIUS

Reuerendiss. Domini Bambergensis Curiae praefectus, Friderico
Nausea, bonarum artium studio, S. D.

B 3 Literas

Lteras tuas ex Padua datas, per filium nostrum, Paulum Baronem de Schuartzenberg, Villaci accepimus, easque propenso tibi animo perlegimus. Quod igitur scribis de aduētu ad nos tuo, non equidē habeo; de cōditione aliqua splendidiore quod scribā. Spero autē, priusquā sis ad nos uenturus ex Italia, nostra quoque opera tibi honestè prouisum iri. Porro literas, quas filio nostro Christophoro de Schuartzēberg, prouincialis curiæ Magistro inscripsisti, reddi curabimus: nec dubitamus, quin eandē tui curā sit suscepturus. Quod si posthac ad nos scribere fuerit animus, literas in Franconiā diriges, quò cras sanè cogitamus. Interim documentū nostri erga te amoris et fauoris mittimus **x x** numos aureos Renenses, quos ut tibi reddat Venetijs D. Vuolfgāgus Turnerus, aut ibidē Valerius Lūbardus, demandauimus. In postērum autem nos magis nostram beneuolentiā declaraturos, tibi per suadeas. Ex Villaco, die lunę post omniū Sanctorū. Anno MD XXI.

Cognoscimus te præterea uigilantius præter rem literis incumbere, usque eò, ut periculum inde ualitudinis sentias. Nos autē te monemus & hortamur, ut iudicium adhibeas, & ita frugem eruditionis colligere contendas, ut minimum circa sanitatem mali accipias, alioqui enim, tali incommodo tibi peribit omnis huiusmodi labor & conatus.

PAVLVS SABARELLA ARCHIEPISCOPIVS
Parisiensis. Friderico Nausea S. D.

LVm, Friderice, candidum de Puerō instituendo opusculum perlegi: simul & carmen elegans Lactantiij Firmiani, oratoris facundissimi, diuinas sententias continens: in quibus cum ipso Dei unitatē, ac Prophetarum oracula ita adprobas: deorumque pluralitatem sic eleganter, copiosè, distinctèque refellis, ut non somniasse modò (ut de Homero inquit Hesiodus) sed ueram ipsius animam sumpsisse uisus sis. Hæc cum legere cœpissē, mirari cœpi ingenium tuum: uerū admirationem sustulit operis Titulus, qui te Germanum esse declarabat, quo Germaniam tibi patriam esse noui: quæ uiros in omni uirtutum genere clarissimos parit, qui laudis & gloriæ cupiditate inter mortales præcipui fuere. Fecisti enim, quod Germana nobilitas poposcit. Quæ enim nobilitas, aut quæ potius uita sine gloria est? Gloria namque orta est, atque aucta Nobilitas: nullaque alia re potest contineri atque conseruari, quam gloria. Sed quæ gloria inter mortales maior, quam laudis & famæ: pro qua nobilissimi quique omnes subire labores non recusarunt. Breuissimum est uitæ spacium, ut diuturnum uerè haud queat nominari: & tantum quis assequi potest ætatis, quantum est eius apud posteros datura fama. Scripta enim hæc tua te nobilem, te illustrem, teque ita perpetuum reddent, ut nulla unquam ætatis obliuione

uione sis periturus. Verum hoc admirari me iubet Plato, inquitens: Illum uerè & nobilem & foelicem esse, cui etiam in senectute scientia frui contigerit. Quod plurimorum etiam exemplis comprobari potest. Legimus M. Porc. Catonem literas Græcas iam senescētem didicisse: Simonidem iam octuagenarium in certamē carminum descendisse, & propè centenarios Hecratem & Sophoclem præclarissimi ma edidisse uolumina. Denique Solonem senē, post conditas ciuibus suis leges, Poeticæ inhiantē, semperque literarū sitientem, et denique in ipsa morte discentē. Quomodo tu in flore ætatis medio uestes plurimarum doctrinarum attingeris, nescio. Age modò mi Nausea, perge iter assumptum, excita te ipsum, adde calcar ingenio: hinc honoris, hinc famę premium percipiturus. mandē cœpisti, noli sub meridiam torpere. Solēt pigri uiatores, dum solem cœli mediū prospiciunt, multum sibi lucis superesse cogitantes, umbras querere, sed somno & quieti tradere: serò tandem experrecti, & inclinatum iam diē cernentes, illusos se intelligere. Id ex te profectò non metuo. Non hoc tui animi ardor spondet, non hoc tua scripta declarāt: quæ si studio, quo conuenisti, fueris prosequutus, id de te futurum spero, quod de se ipso loquitur Naso:

Perque omnia secula fama,

Si quid habent ueri uatum uestigia, uiues.

Vale, Patauij, IX. Cal. Ian. Anno MD XXI.

FRIDERICO NAVSEAE, OMNIGENA ERVDI-
tione clarissimo, G. Summenstainerus S. D.

REddita mihi est epistola tua, Nausea eruditissime: qua perlecta, mirū dictū, quanta sim uoluptate affectus, continebat enim non obscura tui in me amoris documenta. Quare summas tibi habeo gratias, & eū uicissim me semper amicū fore promitto, quo meliorē uotis animi tui nequeas optare. Sed o foelix illa dies, foelix fortuna, quæ ut tecū literis meis noticiam contraherem, fecit: et ut longè doctissimo uiro scribens, tantum audaciæ conceperim, præstitit. Nequeo igitur hoc calamo maximam meam lætitiā explicare. Illud possum, quod maximo sim atque perpetuo quodā beneficio propterea Friderico meo deuinctus, ob humanitatem tantam, probitatem singularem, studium modis omnibus in immerentem incredibile. Nam quæ mihi tum uirtutum tum laudum præconia tribuis, ea magis humanitati tuæ, quam mihi ipsi adscribo. Nihil certè prorsus in me quidem istiusmodi esse, quod à laudatissimo uiro tantas admirationes mereatur, scio. Quare a te uehementer, Nausea mi amicissime, peto, uelis omnia ista, quæ mihi tantam attulerunt læticiam, humanitatis potius & uirtutis tuæ, quam meorum meritorum esse argumenta. Quod in me erit,

ego

ego semper faciam, ut istius tuæ insignis in me benevolentiae, nunquam omnino posthac poeniteat: in eorum uerbis indubitate tibi facta istis responsura, crede. Valeque foeliciter, ex officina mea Patauina. Anno post natum Christum MDXXI. VII. Idus Iun.

IOANNES PETRVS BONAUITIS MANTVANUS, *hospiti Musarum, Friderico Nauseae, S. D.*



Pistolium tuum, Friderice uir clarissime, atque celeberrime, praesenti mente perlegi, summaque cum uoluptate: nimirum non obscure indicans, esse fonte Caballino sacratum hominem se misisse. Proinde non respondet meae literae, tuae expectationi: dispar est mea supellex, nec ullo modo tuæ doctrinae comparanda. Eorum prorsus erubuissim talia scripta remittere, nisi prius humanitatem tuam cognouissim, qua tuorum omnia semper equi bonique consulere soleas. Non possum autem tum ex temporis angustia, tum ex adulationis timore, satis eruditionem tuam laudare: nec omnino, si tempus superesset etiam, illud saltem possum, pro isto erga me studio, te uicissim perpetuo uereque amare. Iam enim quid aliud praestem, nisi tibi gratias, et si maximas agam, non habeo. Vale decus & ornamentum patriae. Paduae, die VIII. Septemb. Anno MDXX.

MARINVS BECICHEMVS SCHODRENORATOR *Patauinus, Friderico Nauseae suo, S. D.*



Go, mi Nausea, quum te uti filium, uti ueram animi mei, non corporis imaginem diligam, etiam atque etiam doleo, te aduersa ista ualitudine laborare: quodque hoc tempore, quo minime solet, & tam diu morbum alas. Tolle per Musas tanti mali causam: id est, intermitte studium, in quod die nocteque intentus te ipsum conficis. Si me amas, cura ut melius sit tibi, huic rei uni omnium inseruias, huc diligentiam tuam conferas, ualitudini tuae penitus indulgeas, teque bene confirmes, antequam te aurae committas. Quod tuum ingenium offers mihi, noli offerre quod meum est. Sed illud simul tibi atque mihi conserua. Aegrotasti grauius, ut morbi, medicorum curationibus, poculis, purgationibus, inedia simpliciter ad extremam maciem confectus es, ne incurras ultra in aliquam offensionem. Oblanguo, tui completendi desiderio: sed non nisi firmum atque ualidum uidere cupio. Buccinatorum meum agis, scio: sed nolo agas, antequam ualeas. non strae tamen existimationi consultum fore puta, cum bene ualueris. De Alexandriae inquisitionis labore ne uexeris. Sic habeto, eam uerbum olim praestitisse omnium liberalium artium disciplinis: atque adeo praestitisse, ut medicis satis fuerit ad artis commendationem, dixisse,

dixisse, Alexandriae se eruditos. Tanta erat loci dignitas & existimatione, auctore Marcellino, Vale, ex nostra Academia. v. Cal. Decemb. Anno MDXXI.

PAVLVS GASIVS D. FRIDERICO NAVSAE *Cesarij iuris peritissimo, S. D.*



Vis ornatissimis literis summa cum iucunditate perlectis, Friderice charissime, mecum statim cogitare coepi, quis ego ille essem, unde & hoc mihi a superis ipsis munus concederet, ut tam paruo quidem animi mei iudicio, meique in te amoris summi ac benevolentiae testimonio, prout epistolio illo tibi superioribus diebus clare potuit, in tantum iam uiri amicitiam essem quam humanissime assumptus, non parum laudatus, tuis denique literis humanissimis non mediocriter honestatus. & licet non ea sit in me uirtus, quam tu fortasse arbitraris, qua tecum praesertim queam aequo Marte literis contendere, utpote qui ex me nihil tanquam ex me cogitare sufficiam: gratissima tamen fuit tua eiusmodi laudatio, tum quia homo sum, humani nil a me alienum putans: tum quia illa sane laus iucundissima existit, quae maxime ab istis proficiscitur, qui ipsi in laude uixerunt. Accedit praeterea, quod tuis uiribus me satis imparem esse conspiciam. Solatur tamen, quod imperfectum scientiae, supplere potuit perfectio charitatis. Quae enim mihi potius ex tua humanitate, quam mihi exhibere studuisti, uenit praedicatione, magnam mei multisque ignaris opinionem faciet. Quamuis autem tu hoc inficiari contendas, totaque haec faba in me cudi uideatur, non curo. Ad sunt alij quam plurimi testes, me longum ueriores, omnique exceptione immunes: quibus etiam tacentibus, opera ipsa tua satis perhibent, quam fueris a teneris optimis literarum studiis imbutus, in omni quoque uirtutum genere apprimè eruditus: ut terque quaterque foelix patria dici possit tua: foelices istae, qui talem tantum genuere parentes. Sed hactenus omnino si tibi uisus sum loquacior, da ueniam. fecit amoris abundantia mei, tuae quoque epistolae prolixitas, ut ita longus fuerim. Hoc unum te tamen adhuc oro, uelis eum, qui te sincerè ex toto pectore diligit, eodem amore prosequi. In eo te mihi rem gratissimam facturum, prorsus existima: me enim semel oblatum, tui iuris habebis perpetuo. Vale foeliciter. Patauij, post Christum natum Anno MDXXI. Curis alijs implicitus, respondere citius non potui. Da ueniam tarditati, meque, sicut facis, ama.

IOANNES IOSEPHVS AB ECKH DOCTISSIMO *facundissimoque oratri Friderico Nauseae, S. D.*

C Si uales,

SI uales, bene est, ego quidem ualeo. Quanquam Nausea charissime, nullas omnino dederimus ad te literas, egoque præcipue gratitudinem memoriamque tui meam non sim plane testatus: tamen id tibi persuadeas uelim, te nunquam est memoria mihi excidisse. Quod autem nullum habueris istius argumentum, culpa puerilis meæ ætatis est, quam eius incogitantia commisit. Tu, quod præsens hæc pensatio præ se fert, prioris officii gratiam obtinere præsta. Cum enim legerem proximè libellum Ciceronianum de Officijs, in memoriam meum quoque officium locus ille, de gratitudine erga bene meritos, mihi reuocauit. Itaque gratias ago tibi pro eo, quod nos elegantissimo tuo carmine commendaris, ac ornaris, maximas: teque cogniturum recipio, nos propterea tibi semper bene uelle. Saltem in hoc erga nos animi affectu perseuera, sicut perseveraturum mihi persuadeo. Res nouas accipe. Turcam copijs infestis in Dalmatiam irruisse: Dalmatas autem ad regem Ungariæ legatione destinasse, quoniam omni præsidio suo destituerentur, amplius oppressiones eiusmodi non laturus. Vale, meque sicut incepisti, facisque, gere in oculis, ex Patauijs, x Nouemb. Anno MDXXII.

PHILIPPVS A THVN, DOCTISSIMO FACVN-
dissimoque oratori, Friderico Nausea, S. D.

Quam laudes tuas ab omnibus doctis atque claris hominibus proficiscentes considero, clarissime Nausea, rapior in hunc affectum, ut & ipse oratorie operæ dare cogitem. Sed cum uideam, absque eo qui iam penitus eam addidicerit, esse id non posse: prius à te operam mihi impetrare, necessarium esse dixi. Quare tu rationem, tu modum mihi præscribas oro, & equidem uehementer, hac fiducia, te me in hoc non obauditurum, sed libenter propterque uotis atque petitionibus istis satisfaturum. Scio enim quanta sis humanitate, quam mira probitate & sinceritate, quam denique incredibili felicitate. Nullum à te quicquam honestum unquam petisse; non ignoro, quin id à te tulerit, & expectatione sua non sit frustratus. Vnum igitur me præsertim in tantâ honestate, tamque tibi gloriosa, repulsam laturum, qui sperem: Sed ut eo propius id facias, opere precium est, qualem sis habiturus me cuiusque sis in hoc inseruiturus, testari: talē scilicet, qualē ipse uelis, aut tibi fingere possis, diligentem, memorē, gratum, præterea obsequentem. Saltem quod hisce literis peto à te, non frustra petisse experiar. Vale. Patauij, Idibus Maij. Anno MDXXII.

HIERONYMVS PVLASTRELLVS
Friderico Nausea, S. P. D.

Et si id ingenij in me acumen esse non uideo, quod forsitan existimas: nec eam facultatem scribendi, qua me tibi satisfacere posse putas: tamen uoluntas illa tua, literis illis proximis erga me pulcherrimè declarata, incertam meam

meam negligere: amoremque rursus meum potius, licet ineptis modis, tibi probare coegit. Amorem igitur, omnium tuæ ætatis iuuenum facile princeps Nausea, maioris facies, que epistolam: nepe infulsam prorsus, et mihi, hoc est puero conuenientem. Non potui, cum te amare me intelligere, uicissim quoquo modo beneuolentiam erga te meam non confirmare, ac sic amicitiam nostram stabilire. Quod autem id tardius expectatione tua feci, non sit mirum. Diu meditari me oportuit, unde exordier epistolam: deinde, cum exorsus essem, quo modo perficerem. Interim multa uitia immiscui, quæ scio me uidere non potuisse. Tuum erit igitur, emendare ea corrigere, & eam limam addere, quam ipse addere debui. Posthac enim mihi cauere, nec rursus ita peccare potero. Patauij, Anno Virginei partus MDXXII.

VVOLPHGANGVS ROHLINGERVS, DOCTISSI-
mo utriusque iuris uiro, Friderico Nausea, S. D.

Olim dilectissime Nausea, uel potius præceptor obseruandissime, te existimare, literarum intermissionem obliuione tui à me factam: sed quod ad reliquos in Germania amicos scribens, exclusus omnino tempore fuerim: alioqui nullo modo prætermittere potuissem, quin tibi rescriberem. Fuit enim mihi epistola tua longè gratissima, tum ob singularem beneuolentiam, tum ob admirabilem doctrinam. Equidem nunquam alias & dotes animi tui, & affectum erga me tuum melius perspexi, quam istis ipsis ex literis. Itaque quodcumque tibi, tanquam præceptoris meo, obseruantiam genus præstare potero, semper diligentissimè paratissimèque præstabo. Nam quod ad me, quemadmodum uirtutibus meis id merear, scribis, nihil moror: magis humanitatem candoremque animi in eo, quam ueritatem agnosco. Prorsus enim nihil in me esse scio, quod à tanto uiro, tantum amorem, tantum studium, tantam denique curam mereat. multo uero minus, ut laudibus, per tantam facundiam atque elegantiam uehatur. Sed intermittam plura dicere, ne cogar omnino laudare te, quod magis adulationis esse uideretur: aut gratias agere, quas certè condignas uerbis præstare nequeam, in tanta tua de me benemerentia. Veniam potius in eam partem epistolæ, quæ me tibi commendat, & amoris tui constantiam petat. Sic igitur facio. A te maximè opere, doctissime Nausea, peto, ne in hoc tuo erga me quidem animi proposito desinere, sed porro, sicut tuum planè complecti uelis. Ego, quod boni adolescentis officium erit, uigilantissimè semper faciā: sicut facturum, tempus ipsum euidenter aliquando docebit. Te laudabo, te mirabor, tibi seruiā: breuiter, omnem me tibi penitus exhibebo, tuusque semper totus ero. Præterea, si qua tui nominis uicissim commendandi fuerit occasio, uel facultas (ut fortassis aliqua fuerit, si Deus uolet) omnino faciā, ne tui oblitum, siue potius mei me officij obli-

tum experiare. Plura, ne mea loquacitate tibi, grauiora agenti obstrepam, scribere consulto desinam. Vale foeliciter, & me quoque tuum esse tibi persuadeas. Patauij, III Nonas April. Anno post orbem redemptum MDXXII.

VVOLPHGANGVS ROHLINGERVS VTRIVS-
que iuris peritiss. uiro, Friderico Nauseae S. D.



Non fuit, charissime Nausea, siue potius praceptor colendissime, quod munusculum meum tanti literis faceres, quando multis alijs esses occupationibus inuolutus, adhaec aduersa ualitudine grauius impediretis. Sed agnosco maximum tuum in me amore, cum praenimio erga me studio, nec ualitudini operam dare uelis, ut ad me propterea scribere intermitteres. Hic esset iterum te laudandi copia. Fuerunt eiusmodi tuae literae, ut prorsus admiratus istam tuam sum multifariam, cum insigni humanitate, eruditionem. Gaudeo certe nostrae Germaniae, tantum uirum extare. proculdubio magnum adhuc ipsa a te lumen accipiet. Etenim, si in extemporali epistola, nec ullo studio scripta, tantum praeteferens omnium bonarum rerum cognitionis, quid fiet, cum labor & studium maius accedet, et id poliet exercitatio, quod summa profert ingenij dexteritas. Lector igitur, in amicitiam me tuam peruenisse, tantumque amore a te, sic magno uiro, consequutum esse. Cuius amicitiam Principes etiam, iure optimo, gaudere debeant, atque etiam (sicut non temere iudico) uelint.

Sed ad epistolae tuae partem alteram accedam, & paucis quidem respondere debeo. Scribis enim, te nondum constituisse, quid de institutionibus illis sis factururus: quasi res ista sit tibi maior quam ut uires sufficere queant, & quasi ab alio quopiam res melius tractari possit. Ego uero, etsi nihil non praestare te, quod praestare uelis, existimo posse, tamen si id cum tuae ualitudinis iactura fieri debet, non depono, sed tuam rem facio uoluntatis, ut quod libeat, idem & facias. satis obsequutus es mihi, ac inseruisti, quemadmodum nuper in Aenigmatibus, illis Grammaticorum dilucidum soluedis. Quo nomine cum tibi nondum gratias prorsus egerim, plura poscere fortassis etiam esset turpe. Tu gratissimum me fore propterea, semperque de te uicissim bene meritum, uelim existimes, ac bene ualeas: Ex eodem loco Patauino, post Christi natiuitatem Anno MDXXII.

V DALRICVS GARMERSVILERVS TANQVAM
Polluci suo Nauseae S. D.



Vid unquam te charius habeam, Friderice mi, qui literis adeo doctis proximè, mihi uoluptatem summam attuleris? Videbar mihi propè Nestoris facundiam, candorem uero Erasmi nostri Roterodami, in his agnoscere. Tam fuit amoris tui in me tanti, multiplex significatio: nec minor de-

nor disertae scientiae ostensio, cum nihil ego prorsus a te huiusmodi merer er, aut te simili officio prius ad hoc studium excitare. Verum sic uoluit πατήρ ἀνδρῶν τε βωδρ τε, ut generosus homo quilibet, ultro sui similem complecteretur ex natura, saepe nullis ex officijs. Quamquam uideor esse parum tui similis, qui rem cum Marte, tu cum Pallade: ego cum Marsya, tu cum Apolline habeas. Sed scis mi Nausea, sepe numero aliquem alio affectu esse, alio item uitae genere. Sum quidem eius uitae, quae cum Marte coniuncta est: sed affectus malitiam hanc sequi rationem, quam tu nunc apud omnes homines, cum summa laude, nominisque tui claritate, teneas ac sequare. Caeterum quod de tuo in Lactantium instituto scribis, rem mihi sane nouam non referes. Facis ut te decet, hoc est, eum qui studia sua ad communem omnium utilitatem iuuandam contulerit, ac in posterum quoque conferre destinarit. Etenim de difficultate nihil est incommodi, quate grauari, dicere uideris. Nihil unquam frustra tentauit humanus animus, quod obstinato proposito studioque aggressus est. Propterea, cum tibi sit magna quaedam ingenij uis, & maior adhuc doctrinae suppellex, aude: quod que facere queas, id ut facere nolis,

non committas. Sed haecenus. Vale, meque diligenter uicissim, ex Papatia, Calēd. Maij, An-

no salutis MDXXII.

C 3 EPISTO.

EPISTOLARVM MISCELLANEA-
RVM, AD FRIDERICVM NAVSEAM BLANCHICAMP-
num, Episcopum Viennē, singularium personarum,
Liber secundus.

D. ERASMVVS ROTERODAMVVS DOCTISSIMO
uiro Friderico Nausea, S. P. D.



REDITVS est mihi tuus libellus, qui uel hoc no-
mine fuit gratissimus, quod à Nausea ueniret, mi-
hi longè charissimo. Vellē tamen opus istud tibi
sumptū in argumento feliciore, etiamsi conciliū,
ut erat conceptum, processisset: quo magis nunc
friget tuus labor, posteaquā abrogatum est, quod
tractas. Qui parum feliciter nauigarunt, solent alijs non infelici-
ter cauere, ne ueniant in periculum. Ad parandam famam, plurimū
habebit momenti, si deligas argumentum fœcundum & plausibile:
quod utcunque tractatum, suis ipsius dotibus commendari possit
lectori. Scripsit ad me epistolam Cochlaeus, singularis cuiusdam in
te studij plenam. Nunc non uacat pluribus tecum. Sed breui efficiā,
ut posteritas etiam norit, ERASMO cum NAVSEA non uulgarem
amicitiam intercessisse. Interim cura, ut quā reētissimè ualeas. Col-
legae tuo meis uerbis salutem annunciat. Basileæ, III Idus Maij.
Anno MDXXV.

MARCVS ABSTEMIVS EXIMIO LEGVM
Doctōri Friderico Nausea, S. D.



QVOD scribis, nisi compertum haberes me occupatiorē
esse, quā ut tuis literis responderem, me nequaquam
reprehensione apud te uacaturū, propterea quod om-
nino rescribere nūc quidem neglexerim, quo meam ua-
letudinem rerumq; conditionem agnoscere potuisses: Ego uerò pla-
nè non intelligo quas tu literas intelligas, cum ego post tuum discer-
sum, nullas omnino acceperim. Quapropter tu uide, cui tradideris,
& quā in hoc circūspectus fueris. Extra tuas tamen literas etiam, si
quid mihi, quod scriberem, occurrisset, scripsissem. Prætereo quod
cum plumbeos characteres, quibus Præludia tua imprimerentur,
non haberemus, Franciscum Petrarcham in uernacula lingua ab-
soluerimus. Iam uerò quum sit absolutus, opus tuum mox die Ve-
neris, quod erit III Idus Aug. Deo annuente, typis subijciemus: id
que, cum fuerit impressum, per Doctorem Franciscum Moys tibi
perferri curabo. Pro hoc studio Lorius noster nihil aliud à te petit,
quā beneuolentiam, et amorem erga se tuum. Quod tam benignè
studium & operam in rem nostram, cum Romæ futurus sis, pollice-
ris, gra-

ris, gratias ago tibi immortales: ac referam, quæcunq; se dabunt tē-
poru uices, aliās plura, cū plus ocij nactus ero. Interim Vale, & tui
Abstemij sis memor. Venetijs, Quinto Idus Aug. Anno MDXXV.

MARCVS ABSTEMIVS
Friderico Nausea S. D.



ICET ad te, Friderice legum Doctōr præstantissime, supe-
riorib. diebus literas non dederim, non tamen est quod
scribas, ut te nostra consuetudine indignum existima-
rim: nec magis quod te à nobis amandum minime puta-
rim, sed qd expectarim ut simul cum Paratilis tuis illis, literas mitte-
rē: alioqui nil magis gaudēs, quā tecū, tāto nēpe uiro, notitiā cōtra-
xisse. Quid enim negēt (ut est in prouerbio) carmina Gallo: Ego e-
nim cū tuas lucubrationes lego, nō possum nō ad te impense aman-
dū urgeri: cū adeo elegāter & copiose scripte, adeoq; stricte, pictura
te, argute, neruosæ, dilucidæ, festiuæ, acres, ac uehemētes existāt, ut
haud satis laudare possim. Sed si fata sinēt, aliās plura. De distinctio-
nibus, siue cōmatib. nō est quod scribas, nam impressores, siue (ut di-
citur) compositores, apponunt typis plumbeis pauca à nobis nota
ta (si qua tamē apponunt, nisi quæ tuo in chirographo existant) ut à
D. Paulo Ro. intelligere poteris, qui omnia expertus est plus quā
nos. Reliqua quæ scribis, diligēter obseruabo. Mitto ad te aliā char-
tam, ut illam corrigas, quæ typis plūbeis lecta est. ut & illa quæ ad
te misimus, statim ubi recognoueris, ad nos remittas. Et, si fieri po-
test, fac ut illam die lunæ proximo habeamus. Frigidè quidem in ex-
cudendo proceditur, nihil tuis literis, ut uideo, proficis. Mea certè
esset sententia, ut ipse huc uenires, instaresq; ut D. Gre. excudere se
stinaret, et hoc pacto in paruo temporis interuallo efformaretur,
tuumq; scriptum debitè corrigeres. aliter haud scio, an quid profici-
es. Quid enim incommodi tibi esset, hic per dimidium lunaris anni
perdurare? Tuum est opus, neq; tibi cornea fibra superest. Vale:
Rhossellumq; nostrū meo nomine saluere iube. Venetijs, xv. Cal-
lunij. Anno post natum Christum. MDXXV.

PETRVS PAVLVS VERGERIVS DOCTIS-
simo uiro Friderico Nausea,

*Vt isti pereant uiri maligni,
Qui me tam malè, tam ferunt iniquè
Scripsisse in te, hominem bene eruditum.
Ego ne id facerem? tibi ue possim,
Tibi, Nausea, sic molestus esse?
Quā solent mihi nauiscam mouere*

*Hi uiri illepidi atq; pestilentes
 Qui ferunt ea quæ fuere nunquam,
 Ut me Nausea non amaret ille,
 Ille Nausea, quem fouet Marinus,
 Ille ille optimus omnium Marinus,
 Præceptor meus & pater Marinus.
 Si, qui isti fuerint, rescire possum,
 Sat est: tu modò Nausea erudite,
 Crede non fatuis & infacetis,
 Sed mihi magis, ac magis Marino.
 Quippe te ex animo tam amamus unum,
 Quàm tu & ingenio uales, & arte.*

STANISLAVS PRZE BOROVIANVS NAVSEAE
 iuris utriusq; Doctore excellentiss. S. D.



Erunt plurimi multas causas, quamobrem homines inter se mutuos amores esse uelint, eius autem præcipuam causam, cœli uirtutem esse: quod si se diligant, qui nunquam se quidem conspexerunt. Eam enim amicitiam, quæ ex ingeniorum doctrinæq; præstantia existat, esse diuinitatem quandam rationis & mentis in homine causam. Non igitur immeritò te, doctissime Nausea, amo, quem cum omni aliarum rerum, tum præcipuè summa scientiæ gratia præstantissimū uideo: alioqui nec patria mea, quæ solet similitudinem quandam cum politioribus nationibus gerere: nec scientia mea, quæ cum splendidiore eruditione minus conueniret, facere possit, ut ad complectendum te uenirem obuijs, quod aiunt, manibus: ac ut me redamare uelis atque possis, literis meis tanquam tantæ beneuolentiæ manifestis testimonijs, ac indicijs non obscuris, impetrarem. Cum enim eiusmodi uirtutum splendor inuitos etiam sæpe ac nolentes in sui amorem cogit atque attrahit, me uolentem multo magis ille ipse, ad istam beneuolentiam perduxit. Non igitur sit mirum tibi præstantissime Nausea, quod literas hæc, tã rudes uidelicet & insulas, ad te dare poterim. Qui maioris fecerim, amore summo erga te ductus, insignem doctrinam tuam, quàm mei ingenij tenuitatem. Quicquid certè mihi deesse, uel in ingenio, uel in industria uidi, id omne humanitatem tuam, quæ cum scientia coniuncta necessariò est, boni consulari mihi persuasi. Quis enim sit eruditionis tuæ modus, abudè iam intellexi: is uidelicet, ut ab omnibus doctis alumnus Musarū meritò nuncupari debeas, in tanto tuo mentis decore, & omnifaria eruditionis succulentia. Sed affectum meum moderabor, & ne tibi uidear assentari, ad aliam epistolæ partem ueniam. Nudius igitur tertius ad te profici-

proficiens, literas accepi tuas: quas, cum essent elegantes, & summè in nos amoris plenæ, sæpius relegi: nec solum ipse relegi, sed meis omnibus legendas tradidi, eã ob rem, ut omnes mei elegantia earum, & tua incredibili humanitate illecti, magis ad amandum te, colendum, laudandumq; inardescerent, ac inflammarentur. Etsi autem fatis, incredibili illo de tua uirtute rumore, passim per hanc Antenoream urbem, per Italiam totam, ac Germaniam, cum summa tui nominis celebritate laudeq; sparso, te commendatum, ac in præcordijs fixum haberent: ad eò, ut ne tum quidem è memoria menteque ipsorum potueris ullis modis euelli. Sunt enim etiam eius ingenij, ut quos insigniter excellere uident, siue potius accipiunt, eos ob commune studium, communem mentem, ac propositum semper ubiq; laudent, ament, colant, & admirentur. Scribis te magno affici dolore, quod domino Erasmo nostro morè gerere nò possis, propter tuam breui futuram discessionem: rogasq; te ut apud eum purgè. Feci igitur ut uoluisti, iamq; te excusauit ipsi diligenter. Sed ipse non minori afficitur molestia, quod consuetudine tua, ornatissime Nausea, sic ipsi amplius uti non liceat: eòq; me indies magis ac magis orare non cessat, ut tuam presentiam per hos adhuc dies, quibus nobiscum futurum sis, ipsi præstes. Ego uerò, tametsi priorè tua epistola repulsam me ruisse scio, tamen nihilominus iteratò te peto (cò actus illo singulari in D. Erasmo meo studio, amoreq; sicut omnino amari dignus est, in tanta sua tum generis rerumq; gestarū, tum uirtutis & facultatum commendatione) uelis ad eum accedere nò grauari, cum nihil de tuo honore propterea diminutum, nec temporis iactura magna factum uideatur. alioqui posset ægrè ferre, tibi cò iunctissimus iuuenis: aut à te se contemni, cum tuæ existimationis & ingenij aliquo fortassis periculo, iudicare. Negocium meum de quo nudius quintus tecum egi, tibi identidem commendo, & ut tibi cordi sit, uehementer oro. Vale, & id tibi de me persuadeas, maioris erga te animi, constantiæ, officij, beneuolentiæ, si modò me complecti uolueris, omnino nunquam habiturum alium. Postremo quicquid tua ope, studio, doctrinæq; mihi collatum fuerit, tibi semper honori futurū, præ alijs soli. Tuus enim sum æquè ac meus: nec nunc solum, sed etiam quouis tempore aliàs. sed istam insulam epistolam, nimisq; fortassis, ut mihi uideatur, prolixam, quæso, Nausea mi doctissime, amicissimeq; in eam partem accipe, quod amoris tuo è literis abundè cognito satisfacere, nò tecum quasi literis, ut parem, certare uoluisset. Quid enim est in me eiusmodi, quod usquam doctis auribus satisfacere queat? Equidem nisi tuis elegantissimis ac humanissimis literis respondissem, cui non plus quàm barbarus & inhumanus uisus essem? melius igitur erat ieiunè, languidè, sterilitèq; scribere: quàm hoc uicio iure optimo, malè audire. Tu pro

tuo insigni illo candore, quo tuos omnes prosequeris, & pro tua illa summa erga cunctos alios humanitate, quicquid huius est, quod certe multis modis ineptum est, boni consule, meque uicissim te amatem redama. Iterum uale. Dabis mihi ueniam, quod hesternum die te non adierim. non ex industria te delusi, sed amicorum colloquio detentus. Quod hoc tempore semper homines conuenire solent ad epulas, uerbis meis satisfacere non potui. Quare hodie certo tempore te comueniam. Patauij. Anno salutis MDXXIII.

FRANCISCVS MOYS, DOCTISSIMO VIRO
Friderico Nausea, S. D.

Familiaris ille Carolus Erasmi, ad me tuis cum literis uenit, quem nomine tuo fronte hilari sum intuitus, & excepti, meque ac omnia mea ipsi obtuli. Caeterum restitutiones libri Prouerbiorum tuas, quas Francisco Asulano characteribus Aldi imprimendas dedisti, innitor conatu summo ut absoluantur, & ut Carolus post amicitiam Asulani librum etiam habeat. Dabo etiam operam, ut secum non nihil praeludiorum tuorum auferat. Nec quicquam quod te uelle sciam, facere pigebit. Cui enim magis debeo, quam meo Nauseae: qui me sic cognitum curatis fecit, atque ita, ut post Erasmi nomen ipse sit in summa gloria: nec solum Germaniam, sed Italiam quoque propterea decorare dicatur. Eo scilicet nomine gaudeo, quod a laudato passim uiro lauder. Tu modo perge nobis, quod imprimamus, ut cepisti, suppeditare. Discrucior, dispereoque, ut in alijs meis proximis ad te scripsi, quod cum Laurentius & Abstemius, quibus praeludia tua imprimenda dedisti, mihi promississent se aliquot exemplaria mihi daturos, & ego unum Erasmo, de tuo iussu, promiserim, tibi quoque duo missurum scripserim, nil omnino ab illis acceperim, & ita fidem meam fefellerim. Tandem promittit Abstemius iterato, statim opuscula tua praelo subiecta iri: nec me deceptum fore, quamprimum Laurentius a Taruisio rediturus sit: nihilominus tamen ego monitor ero, instaboque, ne rursus negligentia decipiamur. Henricus meus intimus amicus, ecce negociorum nostrorum causa adest: amabo te, da operam, ut ab officialibus citissimè expediatur: simul & loquere D. Oliuero, faciat, ut causae nostrae D. Gerardinum protectorem patronumque faciat. Haec raptim scripsi, sicut & domino Oliuero. Quare si uitium, sicut haud fallor, inerit aliquod, boni consule. Vale feliciter, Venetijs, die XIII. Augusti, Anno redemptionis mundi MDXXV.

CAROLVS HARSTVS DOMINO FRIDERICO
Nausea, doctissimo uiro, S. D.

Rerum

Rerum tuarum non ero immemor, si saluus in Germaniam rediero, ornatissime Nausea. Utinam Florianus nullas mihi dedisset literas. Timeo ne hoc idem sibi, scribat ad Erasum, quod tu cupis fieri tibi: nullam tamen fore in me negligentiam pro te, credito. Detineor hic per commissionem Coelii, qui mihi cupit coram loqui. Per hunc iuuenem tum probum, tum etiam in peregrinos omnes obseruantissimum, cupiebam te de statu meo certior fieri. Bene ualeas. Ferrariae, VI. die Augusti. Anno Christi nati MDXXV.

IOANNES COCHLAEVS IURISCONSULTISSIMO
uiro Friderico Nausea, S. D.

Merentur quidem tuae literae, Nausea iucundissime, ut accuratum ac longum redderem responsum, adeo sunt elegantes, & obsequij plenae: sed ignosce importunitati negotiorum, quibus tantum non obruor. Certe qui me cum hoc uespere sunt cenati, Doctor quidam cum uxore, & nonnullis alijs, plus quam dimidium coenae peregerunt, antequam ego ad eos descenderim, è meo studorio. Putabam quidem Ratisbonae multis me implicatum esse negocijs: nunc ludus mihi uideretur, praeter negocijs, quibus in nundinis modo distringor. Quod in beneficijs collatis tibi non successit aequa fortuna, aequo seruaes animo. Ita placet altissimo, probare uirtutem & patientiam tuam. Ego certe XXXVI annos natus fui, priusquam me Deus donauit Ecclesiastico beneficio, neque adhuc de ijs sum multum anxius. Scit Deus, quando conferre debeat. Caeterum noua quae scribis, iucundissime legi. longè enim grauior hic erat rumor. Utinam mercator ille captus, humiliet se in poenitentiam, ut dignus uideatur, cui longa poenitendi ignominia remittatur. Est enim multo inuidiosa, propter nouitatem & desuetudinem. Excusa me quaeso apud Reuerend. dominum Oliuero: cui certè nunc respondere non possum. Fallitur autem, dum putat me in altissimo hic degere officio. nunquam enim mihi plus negotij usquam fuit. Cras mihi abeundum est, ad Reuerendiss. dominum Cardinalem Maguntinum, & hic multa adhuc restant expedienda. non credo me hac nocte ullum oculum calusurum esse, quamuis alter mihi ex fluxu doleat. Boni igitur consule hanc meam ex necessitate breuitatem. Et comenda me familiae Domini nostri, in primis domino Hartfelder, D. Oliuero, atque domino Ioan. Antonio Comiti: imò & alijs, omnes certè diligo. Ex Francofordia, XIX die Septemb. Anno salutis humanae MDXXIII.

RICHARDVS SBRVLIVS VNDECVNQVE
sane probatissimo iuriconsulto, Friderico
Nausea S. D.

D 2 Nausea

*Nausea Palladios inter uenerande patronos,
Aonios inter Nausea magne choros,
Ut tua descendunt in nostrum hæc omnia pectus,
Simplicitas, Clio, gratia, lingua, fides?
Ergo letheis mihi cor hebetabitur undis,
Aut è meo uirtus quam cadat ista sinu.*

IOANNES COCHLAEVS CLARISSIMO VIRO
Friderico Nausea suo S. D.

Eri literas accepi tuas, Nausea mi clarissime, Bononiæ cuidã Vuestphalo Curiësi traditas, die xxii Septemb. ex quibus intellexi, gratam tibi fuisse conditionem à Decano et Capitulo Francofordien. oblatam. Doleo autem quod non te accommodasti tempori, longè enim facilius è Bononiã per Alpes in autumno ad nos uenisses, quam per Apenninum ad Alpes è Roma in hyeme sis uenturus. Intellexi enim Reuerendiss. Dominum nostrum sub finem Septemb. Romam abiturum. Vix profecto credat mihi aliquis, quam anxius fuerim iam diu de tuo aduentu: nunc tamè maiori crucior angustia, ex hac mora tua. Capitulum enim impatiens est moræ: & audiui te antea non prædicasse: & commendatus est ei alius quidam Theologus Doctor, qui prædicat Augustæ. Ut autem seruarem eos in beneuolentia erga te, remisi nuper ad Decanum opusculorum tuorum Catalogum. Bene ualeas, Nausea mi doctissime: & commenda me Reuerendiss. cui scribere nunc tempus non fuit. Commenda me quæso quoq; domino Flo. & uniuersæ familiæ, quam plurimū saluere iubeo. Ex Colonia. VII. die Octob. Anno salutis M D XX V.

FRIDERICVS MARTDORFFIUS DECANVS FRANCOFORDIÆ CLARISSIMO UIRO D. FRIDERICO NAVSEAE, S. D.

Reuerend. ac doctissime domine Doctor, ex literis domini Ioannis Cochlaei, Decani, communis amici, intellexi, te munus Ecclesiæ Parochialis sancti Bartholomæi Francford. tandem non recusare. Quapropter ego tibi pariter & nobis summè gratulor: non enim quantus uir sis ignoro, sed prorogationè temporis ad festum sacrosancti Paschatis promittere non possum, in tanta hic Ecclesiæ direptorum immanitate. Ego, que literas tuas ad Capitulum misi, si fortè per eos id impetrari posset. Nunc fratres illi ac domini renunciant, id se lubentissimè facturos, nisi tempora istiusmodi essent, quæ moram istam maximè nociturã prae se ferrent. Irruperunt enim huc etiam pseudoprophete, nimium que iam inualuerunt, ut etiam planè periculum sit, ne hinc euelli queant. Itaque deficiente per tantum tempus concionatore, qui tantæ pesti in tempore mederetur, uniuersum istigregem contagio doctrinæ

doctrinæ hæreticæ corrumpere, nec amplius remedio ulli locus esset: spe tamen, et summa de tua uirtute uere Ecclesiastica expectatione, quo pacto poterimus, incommodis præsentibus medebimur, & ad uentui tuo moranti compatiemur: saltem moras rumpere, festinantiusq; uias emetiri studeas, ne nimia absentie tuæ diuturnitate cogamur alio nobis concionatore, qui iam se nobis, & quidem (sicut audio in hac palestra bene exercitatus offert, consulere. Aestima enim ipse, quam malis inualescentibus durationem relinquere sit periculosum: & quam ægrè possit à nobis postea tolli pestis, in omnes homines lōgo temporis interuallo diffusa. Sapiēter certè ueteres dixerunt, Initijs occurrendum esse. Sed hæc cum tute per te scias, non dubito, quin uel sis ueloci uia usurus, uel nos tuis literis edoctrurus, quid facere, quo ue pacto nos instituere debeamus. Habebis uicissim à nobis qd optare poteris: à Deo aut laboris tui certū præmiū. Vale clarissime uir, ex Francofordia, XIX Octob. Anno MDXXV.

FRIDERICVS MARTDORFFIUS CLARISSIMO
Doct. domino Friderico Nausea S. D.



Clarissime domine Doctor, & amice singularis, ex Bononia mihi redditæ sunt tuæ literæ nudius, ni fallor, tertius: è quibus quantum eruditionis omnifaræ haberes, conijcere fatis & abundè potui. Iam igitur non ego tantum, sed omnes alij collegæ mei, tuæ claritatis audiores sunt, acte primo quoque tempore præsentem desiderant & optant. Cum enim ego propter negocia nostra Ecclesiastica tunc temporis, cum literæ tuæ afferrentur, abessem Eßlinge, misi eas ad Capitulum statim, ut, quid de te statuere possent, iudicaret. Sed audi mi doctissime Nausea: Sic inualuerunt suis fallacijs & fraudulosis uerbis apud senatum, plebem que nostram Francofordien. contra nos & doctrinam ueræ fidei, ut omnino te petere cogamur. Velis itaque ante quadagesimam uenire, ac infectos hæresi ad sanam doctrinam reducere. Quod ni si fiat, certa res est, non tantū doctrinã Apostolicã, sed etiam nos simul illorū incredulitate perituros. Etenim iã quoq; malè tuti sumus. Ego coactus timore, nō fortuito uel temerario, sed certo circūspectoq; consilio, cõtuli me Maguntia, ut de salute mea securus, & etiã reliquis dominis ac fratrib. auxiliator esse queã. Necessariò certè formidat illi pseudoapostoli, ueriq; apostata, absentia meã: minus audentes quam si cœptis eorū atq; cōsilijs expositus, in oculis essem omnib. Tanta pestis est, tātum infortuniū, super hanc etiã urbem immissum. Te nimirū propterea sic optamus, tui desiderio tenemur, et ut festinare uelis summè per dominū rogamus & obsecramus. Satis enim intelligimus, per nullum alium, tanta mala, q̄ per te tolli posse: quem in bonis artib. omnino peritissimū, sacrarū uerò literarū equè

callētiſſimum, non ſolum ab alijs ſummis uiris, ſed iam à nobis ipſiſ ſcimus. Quod ſi tamen infra prædictū tempus ad nōs nō uenias, cōtra uoluntatem animūq; noſtrum cogemur alium quempiam ad uocare, curā hanc illi committere, tantisq; hæreticorum cohortib. impigrè aduerſari. Qua in re ne tu quidem, clariffime Nauſea, nobis iratus eris, aut propterea de me nobisq; malè iudicabis, cum binis iam literis de ſtatu noſtro factus ſis certior, & eius miſeriam per Dominum ſuper nos immiſſam, cognitā habeas. Quamuis ego ſic, ut decuit, indicare, ſatisq; (uerborum copia pariter, & ocij facultate deſtitutus) notum facere tibi non potui. Perpenſis igitur rerum tuarum rationibus, an id facturū ſis, aut facere poſſis (nam facere uelle, planè non dubito) da operam ut ſciamus. Ego cum reliquis dominis ac fratribus de te uiciſſim demereri, tibiq; cūctis in rebus præpitiſſimè ſtudiū nauare non grauabor. In hac uerò præſenti cura, quo pacto me ſim erga te habiturus, & omnes alijs, non habeo neceſſe cōteſtari. malo præſens re, ſi fieri poteſt, intelligas. Nihil non certè qd uelle te ſciemus, ob allatā iam deplorato gregi (id enim fore cōſtanter in Domino conſidimus) præſentem ac efficacem medicinā, libèter & ſtudioſe præſtabimus. Vale, uirorum optime: hæc q; meas extemporarias literas pro tua humanitate, candoreq; mentis inſigni boni conſule. Ex Maguntia, nona Nouemb. Anno poſt natiuitatem filij Dei, M D X X V.

IOANNES COCHLAEVS PRÆSTANTISSIMO uiro, Friderico Nauſea, S. D.



Nihil mihi, Nauſea mi chariffime, iucundius nunciari potuit, quàm te tandem ſaluū & incolumem, Maguntia adueniſſe. quod ſi ſic eſt, ego moleſtiarum omnium facile obliuiſcar. Accepi em̄ ſub hoc tēpus à Decano S. Bartholomei literas, quæ tuum aduentum ad natalem Domini, aut ſummum ad Calend. Ianuar. ad Frankfordiē. referebant. Precor ſuperos, ut incolumis ſis, & omnium compos ſias, quæ ſpectant ad honorem commodūq; tuum. Vellem certè, me nunc Maguntie eſſe, ut primus in amplexus tuos ruerem. Sed opera Ruperti Abbatis ita me uinctum hic tenent, ut mihi non liceat citra damnū impreſſorum abeſſe. Duo enim eius opera nūc ſub preſſis ſunt. Tu ſaltem bono ſis animo. Graue tibi, ſcio, erit initium: ſed ſic eſſe ſolet. Superatis primis difficultatibus, perpetuus uictor eris. Præpara uerò te ad concionandū. Eruditionem habes locupletiffimam: eam pietati & uitæ integritati cōiunctam, nunquam deſeret facer ille ſpiritus, qui idiotas, etiam ac ſine literis homines, Apoſtolos, ex improuiſo facundos reddidit, eademq; eſt adhuc illè uirtute, potentiāq; qua fuit ab æterno. Conſide igitur in illum. Facilius enim os tuum, quàm mali prophete

prophete aſinam, ſacundia dotabit. Habes utiq; alia quoq; dona plurima, quib. concionator egregius ſis futurus, et Eccleſiæ fructuoſus. Magna eſt tui expectatio, nec de doctrina tua dubitat clerus. Caue ne te illi odioſum reddas nouis attentationib. ut antecellor tuus, ſiſ illis extra conſuetudinē priſtinā petitionibus. Poſtremò ſcias te à me poſt Deum, clariffimis uiris commendari: Domino Laurentio Truchſes, Decano Maguntino, in primis. Nulla tamen commendatio quicquam proderit, uel tantum faciet, quantum tua diligentia, ac erga cunctos beneuolentia. Vale doctiffime, chariffimeq; Nauſea: meq; cum pleaet, utere. ex Colonia, pridie ſancti Thomæ. Anno à natiuitate filij Dei M D X X V.

SERENISSIMO HISPANIARVM PRINCIPI AVſtriæ Archiduci, Burgun. Duci, Caſaræq; Maieſt. locum tenenti. Domino Ferdinando, mihi colendiſſimo, Laurentius Cardinalis Campegius.



Nter cæteros, quos habui in comitatu meo, in iſta legatione, ſuit et hic Fridericus Nauſea, nationis iſtius homo uir ſanè eruditus, pius ac modeſtus, quiq; ſtudijs ſuis, quantum licuit, iuuit Eccleſiæ dignitatem, & pub. Germanorum quietem. Is à Francofordiē. nunc poſtulatur ad plebem illam imbuendam, & intra priſcæ ueræq; religionis fidem retinendam. Cuius ingenium et mores cum ad id maximè idonei uideātur, omni fauore ad eiufmodi opus eſt euehendus. Et propterea dignus apud me habitus eſt, quem Serenitati tuæ commendem, non modò ut familiarem meum, mihiq; gratum, ſed ut hominem probū, & qui pro pace religioneq; cum apud Francofordiē. tum apud alios conſeruanda efficere poſſit. Quamobrem Serenitatem tuam maximè rogo, ut ipſum mea quoq; gratia benignè ſuſcipiat, atq; literarum ſuarum fauore, ſi ita faciūdum duxerit, apud eoſdem Francofordiē. exornet. Id quod in primis mihi gratiffimum fuerit, pleriq; uerò alijs etiam commodo & foelicitati. Valeat S. T. cuius mandatis & obſequijs me ſemper offero, Romæ, v Nouemb. Anno M D X X V.

FERDINANDVS DEI GRATIA PRINCEPS HISPAN. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Caſaræq; Cath. Maieſtatis locum tenens, Senatui Francofordien.



Ingulares & honorabiles noſtri, quoniam dilectus nobis, & integritate commendabilis, FRIDERICVS NAVSEA, de parochiatus officio per Decanum & Capitulare collegium S. Bartholomæi rogatus & aſcitus, ſe coram, ſuſcipiendi muneriſtius cauſa ſiſtit: & nobis ob inſignem ſuam, tum uitæ probitatem, tum ſacræ ſcripturæ peritiā, charus, notus, acceptus que ſit: faciendum nobis putauimus, ut hac in re, quantum in nobis eſſet, ipſius honori, commodo que non eſſemus,

essemus. Proinde nos singulari studio cupere, uobis notum uolumus, ut hic à uobis legitime uocatus, etiam condigne debiteq; suscipiatur. Nec dubitamus, quin ipse uicissim se sit erga uos in omnibus officijs sic habiturus, ut bono beneque constituto undiquaque conueniat. In eo, quod gratum fuerit à uobis præstitum nobis officium, nos clementem memoriam uos experiri uicissim à nobis præstabitur. Datum Augustæ, XI die Ianuarij, Anno Dominicæ incarnationis MDXXV.

LAVRENTIUS CAMPEGIVS CARD. MA
gnificis, præst. & circumspæctis uiris, amicis & confratrib.
charissimis in senatu Francofordiensi.



Vanquam à uobis & à Germaniæ oculis dudum absumus, uestra tamen & totius istius commoda prouinciæ, dignitatem & pacem desiderio, & quibus possumus benignis, pijs que modis prosequimur & amplexamur. Hinc est, quod Capitularibus istius Ecclesiæ S. Bartholomæi pietatem, religionemq; Christianam, ut decet, sedulo curantibus, atq; ut audimus, in Plebanum & Canonicum FRIDERICVM NAVSEAM designantibus, maximopere lætati sumus: nunc demum oculis ipsis inspicientibus, quod auidè admodum expectabamus, ut scilicet electis & exautoratis impijs hominibus, qui Ecclesijs præsidet, & ciuitatum habenas moderantur, pios iuxta & eruditos bonosq; undique perquirant, & inuestigatos prouehant, ac ueluti magistris plebi præferant, id quod in eiusmodi designatione planè prospicimus. Est enim NAVSEA noster, si oculis, auribus & iudicio nostro credimus, uir & literis, & moribus, totoq; uitæ suæ cursu, temporum horum difficultatibus sanè quam accommodus, atq; ad reponendam in hac ciuitate uestra pietatem, iam aliquorum iniuria et immanitate labantem, maximè indoneus, et cuius opera officioq; tutò in instituentibus hominibus istis uti possitis. Quamobrem læticiæ id nostræ quoque accedebat, ut præfatum nostrum NAVSEAM uobis deuotissimè commendaremus. Cui non modò familiaritatis et obsequij iure, sed etiam uirtutum & probitatis suæ meritis, mirum in modum fauimus, & bene cupimus. Itaque uos hortamur, & per communem charitatè rogamus, ut nostra quoque causa, honestissimum atq; adeò doctissimum hominem suscipiatis, ac fauore autoritateq; uestra maximè dignum iudicetis. Id quod præsentibus liberalissimè præstituros uos, non ambigimus. Interea Capitulares istos confirmabit usque in eius ad uos aduentum, qui paulo tardior futurus uideatur, quam uestra, suaq; sint uota: quoniam instructior & paratior adesse cupit, cum longioris alioqui itineris ratio id fieri maturè, non patitur. Quod uerò ad nos attinet, omnem operam, studium & officium nostrum

nostrum uobis pollicemur. Bene ualeatis. Bononiæ, VII I. Septemb. Anno MDXXV.

LAVRENTIUS CAMPEGIVS CARD. REVERENDIS, & illustris, Domino, & fratri honorando, Domino Guilelmo Episcopo Argentinen. Langrauo Alsatien. Reuerendissimiq; Domini Moguntinen. locumtenenti, S. D.



Euerendissime & illustrissime Domine, ut frater honorandis, promptam ad omnia obsequia uoluntatem. Et scio Reuerendiss. D. V. nihil opis & præsidij negare solere rjs, quorum pietas & eruditio maximè commendabiles facit: uolui tamen FRIDERICVM NAVSEAM, familiarem meum, ei commendare: nec id quidem ea tantum ratione, ut homini honestissimo, de meq; optimè merito, hoc officij genere adessem: sed ut hac quoque parte, ab oculis Germaniæ absens, eius etiam commoda & utilitatem, quibus possem officijs, prouehere. Quum enim nihil magis temporibus his difficillimis nunc conueniat, quam uiros probos & eruditos prouehendo, malos & impios retrudere: dignum censui, ut in hoc etiam homine Reuerendiss. D. T. plurimum studij operaq; poneret. Quapropter ego eam rogo, sic ubi uel autoritate uel præsidio, cum apud omnes, tum apud Francofordien. præcipuè, huic uiro prodesse poterit, id ut facere non grauetur. In eo enim Reuerendiss. D. T. rem se planè dignam, mihi uerò præterea pergratam factura, meq; arctiori uinculo deuinctura est. Cuius ego comòdis omnem meam operam & studium polliceor. Eam foeliciter ualere opto. Romæ, VIII. Septemb. Anno MDXXV.

LAVRENTIUS CAMPEGIVS CARDINALIS REVEREND. ac eximio uiro D. Theoderico Zobelio, in Ecclesia Maguntina Scholastico, & Reuerendiss. Archiep. in spiritualib. uicario, S. D.



Voniam commune religionis ac pacis studium nos satis conciliare uidetur (miram enim audiuius in his procellis erga pios, tuam uoluntatem) nullis præfationibus egere uidemur, ut fratrem NAVSEAM, uirum moribus & eruditione eximium, tibi commendemus, qui familiari consuetudine & conuictu nobis optimè notus, tuo ac cuiuslibet boni fauore dignus iudicari potest. Is apud Francofordien. in Ecclesia S. Bartholomæi plebanus, ut audiuius, designatus, non multo post apud uos futurus erit. Quamobrè rogo, ut pro humanitate tua, hominem, cum aduenerit, mea quoque causa benignissimè humanissimeq; suscipias, atq; interea fauore tuo reb. ipsius adsis. Quo nihil gratius in præsentia à te expectare possumus, ut cumulatisimè aliquando gratiam referamus. Interea tui amantissimos nos, cum libuerit, experieris. Bene uale. Romæ, XII I. Septemb. Anno uirginæ partus MDXXV.

E LAVREN

AD D. FRIDERICVM NAVSEAM
 LAVRENTIVS CAMPEGIVS CARDINALIS

*Reuerend. viro, Domino Laurentio Truchefesio, ampl.
 ciuit. Magunt. Decano, S. D.*



Ridericum Nauseam, quem in comitatu nostro ad hanc legationem Germanicam habuimus, & cuius opera familiarissimè utimur, tibi commendamus: atq; ita commendamus, ut honestissimum hominem, pium iuxta & eruditum tibi commēdari intelligas. Cui ob eximias animi uirtutes, & ipso familiaritatis iure maximè bene cupimus, & nihil non debemus. Is apud Francofordiē, propediem, ut audiuimus, futurus est S. Barth. plebanus. Quod, ut maxima læticia audio, ita commodissimum illi ciuitati futurum spero. Est enim uir, à quo pleraq; multa & uitæ sobrietate, & multiplici doctrinarum genere sperari possint cum ad pietatem & eruditionem, tum ad pacem & charitatem Christianam pertinentia. Propterea alicuius præsidio istic usus, nullū habuit, quem tibi ad se tuendum & prouehendum præferret, cuius peculiaris quædam in bonos omnes propensio & uoluntas prædicatur. Quapropter eum humanitati tui studiosissimè commendo: rogans, ut sicubi uel opera uel autoritate tua, quæ plurima est, egerit, mea quoq; causa eam omnem ipsi impartiri uelis: in quo tibi maximè similis fueris, & me quoq; arctiore uinculo tibi adiunxeris, cuius commodis atque dignitati me commendo, & plurimum offero. Vale, Romæ. XIII Septemb. Anno MDXXV.

LAVRENTIVS CAMPEGIVS CARDINALIS RE
*uerend. iuris utriusq; Doctori, Friderico Nauseæ, fami-
 liari nostro chariss. S. D.*



Vas ex Patauina ciuitate postremas accepimus literas, nobis quidem pergratas: gratiores tamē, si te Fræcoportum applicuisse, & exoptatum beneficium citra quoduis impedimentum, transactis rebus omnibus, foeliciter suscepisse, declarassent. etiam si satis antea putem, pro innata tibi pietate, morum probitate, ac scientiæ præstantia, quæq; rectè iam curasse. Porro negotium pro nobilibus ordinis Teutonicorum domino iam dudum, uti probè nosti, & experimento plus semel comperit habes, nobis extitit commēdatissimum, nec è nostro pectore elabetur. Vnum tamen summopere necessarium existimamus, ut diligens in hac causa sit sollicitator, qui non solum nos aliquando accedat, & quid factò sit opus recenseat: sed etiam ipsius rei seriem & progressum quàm diligentissimè curet, quò citius imponatur finis & effectus. Gratum quoque erit, si absq; intermissione de rebus occurrentibus ad nos undique perscribas, & susceptam per te prouinciam, in Dei gloriam, & Christianæ religionis augmentum (quod te facturum nequaquam dubitamus) intrepidè exequutus fueris. Summum

Summum inde pariter & à Deo & ab hominibus præmium relaturus, & abundantissimè suscepturus. Nostrum erga te animum non ignoras, ut, ubi tibi utile uideatur nostrum studium, nos intrepidè de eo compellere possis. Vale, x. die Februarij. Anno MDXXVI.

IOANNES COCHLÆVS DOCTORI IURISPRVDENTIÆ
ac Theologiæ eximio, Friderico Nauseæ, S. D.



Vmanissime D. NAVSEA, literas tuas pridie nō. Febr. datas, audivissimè legi. Tristis enim eram ob longam absentiam tuam: nec uerò hodie satis pacato sum animo. Vereor enim, ne populus cum senatu per apostatas ita sit inelcatus, ut difficillimum sit, eos in uiam rectam citò reducere. Illi enim latam prædicant uiam, quæ ducit in gehēnam: tibi uerò prædicanda est stricta uia, quæ ducit ad uitam. Neq; igitur mirari debes, aut pusillanimitas inde fieri, si nondum fuerit sermo tuus tam gratus inelcata plebi, quàm est apostatarum. Nam & Augustino, & omnibus nominatis doctoribus, ita contigit. Accepi literas à Decano S. Mau. ex quibus intellexi, tibi iam celsisse Doct. Pet. Mayn. Gaudeo sanè, & cōgratulor tibi, quod si fortè per Luthericas importunitates nō poteris tam citò, honorifico illo statu quietè ac pacificè frui, ferendum est ad tempus, quicquid euenerit siue iudicio, siue permissione Dei. Tu enim cōsuetus es iam pridem neq; laboribus cedere, neq; difficultatibus frangi. Sis igitur constans, & communem fortè cum dominis Capitularibus forti animo suscipe. Erit citò, ut spero, dulce, tot casus superatos meminisse. Quid si diutius legationes, aut Ro. curiā sequutus fuisses? An ibi sine laboribus, tædioq; multiplici fuisti? Aliter certè sonant literæ tuæ. Attamē cupio scire q; primum, quò in statu sint res tuæ. Quantuluscunque profectò est Cochleus, tuus est, & necessitates tuas sibi communes reputat. Noli abijcere animum, si modò res nō procedunt uoto tuo, inueniemus duce Deo uiam, qua honestati tuæ consulatur. Rescribe quæso frequentius. Vereor enim me ad has proximas nundinas non affuturum, ut propofueram, ex multis causis, quas connumerare longum esset. Credo matrè meam, & Iodocum meum, quod præstare queant, tibi nō denegaturos. In nundinis plura scribām, & mittam. Nunc enim occupatissimus sum diuersis laborib. Bene uale, clarissime NAVSEA, & me Reuerend. Dominis Decano & Capitulo tuo commendato. Prior prædicatorum M. Ioannes Dichtenbergius, poterit multis opitulari tibi manuactionibus, si consilio eius, ut suadeo, utaris, ex Colonia, pridie Calend. Mar. Anno Domini MDXXVI.

GVILELMVS DEI GRATIA EPISCOPVS ARGENTINEN-
*tinens. Langraviius Alsatiens. Vicarius Maguntinens. Friderico Nauseæ
 S. Theologiæ & LL. Doctori, S. D.*

E 2 Reddi

Reditæ sunt mihi tuæ literæ, xx Januarij missæ, uenerabilis & eruditissime uir: nec multo post & alteræ, paruo temporis interuallo rursus exarata. Ex quibus cum satis intellexerim, Senatū de priore sententia decessisse, mutatoq; consilio tibi concionandi ius fecisse: nihil sanè plus impedimēti relictu uideo, quin utaris tempore, dieq; Domini proxima, cuius Ecclesiastico numero titulus sit Reminiscere, suggestum conscendas. Iam enim mihi dubium non est, quin tibi potestas ista continuo sit mansura. Ex quo enim feruatus ultrò sic respuerit, et tranquillitatem urbis ex ea religionis inuouatione periclitaturā grauius, iam perperderit: omnino certè quiduis de eo suspicari animus est, q̄ crimen inconstantiæ protinus in se admitturū. Vt cūq; tamen res habitura est, ego tibi nec cōsilio, nec præsidio sum defuturus, salē mihi literis casum esse notū quēuis effice. Debeo id cū Ecclesiæ sanctę primū, cuius cōmodis prospicere teneor, tū etiā tibi, quē non solum summa uirtutū præstātia magnū, sed etiā p̄ij conatus ac propositi ratione cōmēdabilē, perpetuò tueri cogor, uoloq;. Vale. Datū Hœsti, die Veneris, à dominica Inuocauit. Anno post natū Christū MDXXVI.

LAVRENTIVS CARDINALIS CAMPEGIVS REVEREND. D. Friderico Nauseæ, familiari suo dilecti. S. D.

Charissime Nausea, accepimus tuas literas ex Maguntia xvi. Martij datas, adiuncto exemplari ad Reuerend. D. Argentineñ. Legimus igitur, nec sine dolore, cognoscētes tot iniurias insolentia Francofordienſium tibi factas: consolaremur autē te, nisi quis esses sciremur. Hortamur tamen ut pro tua erga fidē Christianā & Rom. Ecclesiam sinceritate, constantiaq; sis in fracto animo, & in Deū speres, qui timētes se, suūq; præfidiū petētes, nunquā deserit. Atq; fortassis ista res in maiorē adhuc tibi laudem & fructum exhibet: quemadmodū iam res statim docere uidetur, quod in concionatorem Maguntinū te assumptū intelligamus, et uideamus. De quo magis gratulamur, successū temporis maiora consequuturū sperantes, quā de casu isto consolamur. Ceterū scripta tua non hic repetenda nobis esse duximus, quę plena sunt pietatis & integritatis. Equidem licet nonnulli sint, qui sectæ Lutheranæ se iam inferuerint, scimus tamen, & speramus, non paucos inter principes esse, qui antiquū Christianę fidei ritū obseruantes, alios in sua impietate sint cohibēturi, prohibēturiq;, iuuante diuina clemētia, iramq; suā tandem à nobis auertente. Consiliū uerò tuum, de edictis aduersus Lutheranos euulgādis, nobis gratum fuit. Id quod & ipsi sequimur. Iam enim dudum id agitur à sanctiss. Domino nostro: spesq; est, successum mox concilij sequuturum: iramq; diuinā, de hæresi ista re belli uindictam abunde sumpturam. Bene uale. Romæ, die xxv Aprilis. Anno MDXXVI.

OLIVERIVS

OLIVERIVS BILAQVA SPECTATO PROBATO Q.
S. Scripturæ interpreti, D. Friderico Nauseæ, S. D.



Omnium amicorum charissime, satis tum è domesticis tuis, tum etiam è meis iam perspexi, sicut nec unquam dubitavi, me à te amari. perplacuit autem, quod cum Cochleō sis in eadem sententia. Nam quod parochi tui tecum rusticè prorsus egerint, mirum non uidetur. Solent enim pessimi semper in bonos pro natura sua defæuire. Et id forsan consequetur, quod cū te proculcare contendant, eo magis uirtus tua cūctis indies illucescat. Quare gratulandum magis esse tibi iudico, qui sis illic, ubi facilius emergere possis. Nunquā certè defunt, qui suis probatissimis testimonijs hic & alibi Nauseam diuulgent ac nobilitent. Hinc binæ isthinc ad D. Simonem Rybeyſen huc perlatæ de tuo nomine literæ, tuam eruditionem, sinceritatem, & apud omnes bonos summam gratiam contestantes. De me ipso quid dicam, nescio. nam quātuluscunq; Oliuerius est, tuus totus semper est. De meis autē rebus quod scribam, non habeo: cum eiusdem sint rationis, cuius semper fuerunt: hoc est, nimis aduersæ, minus indies secundæ. Sed illo nomine maximas tibi ago gratias, quod ad Spirensē illum pro me scripseris, à quo sum hæcenus meris uerbis elusus. Quod si ne nunc quidem soluere debitū istud mihi curabit, extremas rationes persequemur. Quamquam soluturum planè existimo. Scribit enim Reuerendiss. communis noster Dominus, quiq; nunc optimè ualet, hæc de ipsa re quoq;. Non agetur, ut opinor, iam sic, quemadmodū egit hæcenus, ut me iam suis, iam alterius literis, tempus prorogando, multa promittendo, nec quicquam planè præstando, deludat. Pergratum igitur mihi facies, si exemplar literarum tuarum mihi miseris: & an Bulla (sic uocant) quæ penes me sit, ad conficiendum negotium suffecerit. Vale, cum Cochleō nostro simul, quem meo nomine uel millies salutabis. Iterum uale. ex Vrbe, III Maij, Anno redempti mundi MDXXVI.

IOANNES COCHLÆVS CLARISSIMO VIRO D.
Friderico Nauseæ, LL. Doctori, S. D.



Audeo mi charissime NAUSEA, uirtutem tuā tam præclare in tot aduersis nitescere, ac uelut aurum in tribulationum fornace probari. Multis certè mensibus pro te fui anxius, ob uarias causas. Nūc autem, quia audio satis spectatā & uirtutem & eruditionem tuā, plurimum gaudeo: tantū abest ut doleam, propter exilium usque aded benignum & honorificum. Habes hospitem pro animi (credo) sentētia, habes honestam exilij causam, habes Prælatos plebem que Maguntinē. longè beneuolentiores, non te, mi Nausea, pœniteat incepti. Pulchrum & ho-

E 3 noris.

norificū est, te nactum esse & præbendā sancti Bartholomæi, & parochiā tam uberē. Vbi pristina redierint tempora, ne dubites, Deus providebit: & amici procurabunt, ut honestissimam habeas interim conditionē, donec pacatiora reddant omnia. Ego breui, uolente Domino, ascensurus te uisam: non derelinquet nos Dominus. Intellexi ex affine meo, te dominica Oculi egregium habuisse sermonem in Ecclesia Maguntina. Sic perge charissime: non desis gratiæ Dei, que sic operatur in te. Non deerunt tibi amici. Et si omnes te desererent (quod nunquā fiet) Cochlogolus tuus te nunquā deseret, si quid poterit. Bene ualeas mi NAVSEA doctissime, & uide forti sis animo, nil noui est, si boni uiri, qui pie uiuere uolūt in Christo, perfectionē patiunt. Plura nunc scribere nō possum, propter innumeratas occupationes, quibus distringor ac obruor, non opus est ut rescribas mihi, nisi forte sit urgentissima causa. Nam spero ad festum Palmarum uobiscum esse. Iterū uale. ex Colonia. IX. die Martij, Anno M D X X V I.

IVSTVS DIEMVS, SACRARVM LITERARVM INTERPRETI D. FRIDERICO NAVSEÆ, PRÆCEPTORI SVO S. D.



V uero, uir optime, amicē mecum agis: quando gratularis, quod sanitati priorī restitutus sim. Ego tibi quoque gratulor de tanto bono, quod à barbaro populo, atq; a deo tumultuante, tam foeliciter discesseris, & Bononiā sospes perueneris. Nostra uero profectio, licet malē nō habuerimus, longe fuit difficillima: (quod ipse asserueris) siquidē in medijs tumultib; uersantes, & in ijs maximē, qui desperationē nobis afferre debuerant, uitæ nostræ certū nunquā eramus: nisi quod cōsilio egregio usi sumus in eo, cum habitū mutassemus, et mercatorū more per omnia pericula tandē Constantiā peruenissēmus. Sed ibi paucos dies cōmorati, ad uocationē serenissimi Principis Ferdinandi Curiam petiuimus, eque turbatā in tāta cędis cōtinuatione, consiliorūq; protrāquillitate restituenda, multitudine, uarietateq;. Rursus tamen in quietē redijt. Ipse Princeps enim, diuinitus immissa mēte dubio procul, passim cuncta cōposuit: omnibus his fermē abolitis, qui contra magistratū ferre arma, sibiq; potestātē ipsius usurpare proposuerāt, & conati fuerant. Cæterum post tot perturbationes, nos securi non um sumus. Haud enim obscure fertur à spectatē fidei uiris, iteratoru sticos in Sūgaurdia, Brisgouiaq; cōsurgere, pristinos conatus recipere, uindictam q; de magistratu cogitare: murmurantib; interim reliquis rusticis aliarū regionū, sensimq; auxilium suum, si succedat, pollicētibus. Emitterit aut cōtra eos Badenē. Comes, summā fiduciā de uictoria præseferens: incertus tamen est successus. Hęc incommoda unde causam sumpserūt, nisi è leuitate Principum nostrorum, qui cum prostratis rusticorum proximē cohortibus, capita sæuissimē in aliorum exemplum punire potuissent, contenti uictoria pacēque esse maluerint, quā in futurum sæueris documentis prospicere. *Vl*

re. Videtur omnino mihi, nō temerē uaticinatum illum Venetum, Germaniā suis uiribus interituram, redintegratoq; sub imperiū Romanum uenturam. Sed hæc missa faciamus. Omnia stant in diuino arbitrio. Quod à me crebras petis literas, equidem scripsissem sæpius, si de te, ubi esses, sciuissem. Itaq; silētij nostri hæctenus nihil omnino causæ fuit aliud, quā tuū silentium, de quo cum etiam nū timeā, uolui tam ponderosas tibi mittere literas, ut prolixitas earundem tibi molestiam afferre possit, ne posthac possis conqueri, raro nihilq; literarum à me, uel argumenti, tibi uenire. Curiam mihi displicere conqueror, propterea maximē, quod utilitatis ex ea uita uideam nihil, conditio nulla datur, ego per me quicq; efficere nō possum: breuiter, posteriora sunt peiora primis. Nihil mecū equo ferre licet, addisco nihil, maceror immense. Non quod Dominus Faber intolerabilib; me laboribus oneret, id omnino uerē tibi dicere nequeo: sed quod officijs solis omne tempus tribuere cogor. Iam igitur primū agnosco stultitiam meā, quod meorum consilio nō sim obsequutus: sed omnia aurea in aula esse putans, in hoc pistrinū me coniecerim. Quid autē faciā, cum mutare rē factā cum honore meo non liceat: nisi ut, quod & alij faciūt, patientia utar, & melioris fortunæ flatū expectē. Non enim dubito, quin omnia sint prosperiora aliquādo futura, & ista difficultas mihi procedēte tempore sit futura oblectamento. Nunquā certē sinistra fortuna potest esse perpetua, quin ad aliū deflectens locum, in cœrorē lætitiæ cōpenset magna. Vt cūq; tamē futurū est, ego seruire tēpori decreui: nec aliud mihi consiliū melius esse posse, quod sequar, uideo. Iacobū Apocellū, consobriniū meum, Romam ueniēs, si nondū uenisti, saluere multum iubeto. Sed caue multum illi de me quidē, meoq; nunc isto animo referas. Ipse enim esset peracerbas illico mihi missurus literas, et in me uehementer inuectus, quod animo potius meo, quā ipsius cōsilio obsequi maluissem. Præterea conaretur mihi persuadere (ut est ingenio ad istiusmodi suadelas apposito) redirem ut Romam, secumq; uiuerem, nec tantis ultra expositus manerē molestijs. In quo cum honore meo minimē consultū sit futurū, & ego propterea consilio isto renunciarē, perpetuum in me ipsius stomachū excitarē. Ipse se à me contemni, ille me præfractum esse, ille non amplius se mihi uel cōsilio uel presidio profuturum clamaret. Et, ut summatim dicam, omnem à me planē gratiam tolleret, ut posthac neque propter consilia, neque propter auxilia, mihi refugium ad ipsum esset. Quā autem ille diues sit, & bene habeat, non ignoras. Itaque tanto malo circumuenirer, ut omni consolationi locum planē non relicturus essem. Sed nimium iam sum nugatus, & tibi plus satis occupato obstrepui. Ignosce quæso: studium erga te meum, loquacem, non ingenium fecit. Vicissim tibi liberum facio, quæuis, & quantum libet, in epistolis tuis effundere. Noua uerò quæ scio, hæc sunt. Episcopum Salisburgensem, con-

cordia

concordia facta, ab obsidione liberatum esse, manereq; episcopum, cum omni iure privilegioq; in conditione pristina. Vale, mihiq; quod aliena manu scripserim ista, ignosce: cum id non negligentia, sed multiplex occupatio facere compulerit. Ex Tubinga, v. Idus Sepemb. Anno à nato Christo MDXXVI.

F. PETRVS EX CREVTZENACH, EXIMIO SACRÆ PAGINÆ, tum L. L. doctori, Friderico Nauseæ, S. D.



Vemadmodum Cananea illa desiderio misericordiæ diuinæ exclamauit, ut uelceretur micis, quæ caderent de mensa Domini: ita & ego Reuerend. NAVSEA exclamatione desiderans fieri particeps uel micarum, ob indignitatē meā, de pulcherrimis tuis hoc tēpore concionibus. Audio enim miras ipsarum à prijs cunctis laudes, ut omnino tempus istud solenne Paschatis sacrosanctissimi, magis piè collocaturus mihi non uidear, quàm lectione earum. Quoniam igitur cum summa sacræ scripturæ notitia, semper est cōiuncta pietas: ego te reuerēter oro, uelis exēplarium tuorum, conciones istas continētium, mihi copiam facere, meque pio illo beneficio non dedignari. Quicquid ego precibus meis in auctionem scientiæ istius per spiritum sanctum penes Deum prestare poterō, libenter & assiduè præstabo. Vale foeliciter, ex Carthusia Maguntina, secunda Aprilis, Anno salutis nostræ MDXXVI.

IOANNES A' VVIRSPERG, DECANVS EYSTETENSIS, Friderico Nauseæ, doctissimo uiro, ac legum D. consultiss. S. D.



X quo cum serenissimi Principis Archiducis Austriae literis per Bernum Norinbergensem, Francoportum quædam ad me trāsmisisti, nihil adhuc de tua Dominatione accepi, eoq; nomine miror: præsertim cum paulo antè D. Marquardus à Stein, Augusten. Præpositus, te in cōcionatorem Maguntinū esse acceptū, mihi scripserit. Sed de eo tibi pluribus gratulabor, cum tuas literas, quibus etiam fructum et conditionem mihi significaueris, habebō. Nunc cum nec reuera multū temporis ad scribendum habeā, nec de honore isto circumquaq; certus sim, quiescam. Itaq; Vale, ex Eustadio, die VII. octob. Anni MDXXVI.

VVALTERVS A' CHRONBERG, DOMVS FRANCOPORTUEN. Procurator, Friderico Nauseæ, L. L. doctori, S. D.



On mihi dubium est, Honorande D. Doctor, in memoria te habere, ea quæ proximè de mandatis Generosi & illustris Domini nostri, Teutonicæ professionis magistri, ad iter Romam uersus pertinentia tecum egi, recipiente te in deliberationem talia omnia. Cum igitur hinc ad comitia Spirensia mihi proficiscendum sit, & de breui reditu ad uos meo planè de-

nè desperem, te magnopere rogo, uelis sententiam tuam, seu propositum mihi notum facere, quo posthac habeam, quid illustri Domino nostro referre possim. Scio enim, quid trāsegerim, dicendū fore. Obsequiū ego uicissim, diligenti perpetuoq; studio erga te remunerare connitar. Vale, ex Francoportu, VII Septēb. Anno MDXXV.

IOANNES BRVNVS EGREGIO VIRO FRIDERICO Nauseæ, L. L. Doctori, S. D.



Accepi binas eodem à te tempore literas, ult. scilicet Septemb. utraq; Bononiæ: unas decima, alteras XX Augusti datas. Ex quibus intellexi, te molestius ferrè, quod Dominus Conradus Glafer adeo multū cum pecunijs moretur, & ducentos tuos aureos possidens, nil in hanc diem transmittat. Verū ille, cum literis hac de re esset à me appellatus, retulit iam L. aureos nummos per Fuggeros esse Romam à se tibi curatos, & XXII Iulij in mensa ipsorū depositos. Ut autem reposceres & auferres, iam tertio tibi perscripsisse. Porro scribis è re tua tibi uideri, ut aliquo honesto loco te constituas, & munus aliquod suscipias: puta, uel parochiam Francoportensem, uel prædicaturam Maguntinam, uel suffraganeatum Herbipolēsem. Et petis, ut consilium meum tibi communicem. Iam facerem quidem, quantum in me esset, promptissimè hoc ipsum, tibiq; pluribus sententiam meam declararem: nisi ipsum te melius, quid potissimum sit, perspicere posse iudicarem. Nam si natura te compositum ad concionandi munus existimas, & sentis, siue iam doctrinæ, siue eloquutionis accessio sit, nihil æquè pro re tua facies, atque si prædicaturam Magunt. subeas. Et tamen multum quidem heredo propterea, quod extra tale munus ultra refugium & receptaculum uitæ tuæ non habiturum te prospiciam. Suffraganeatum autem nescio quibus rationibus obfirmem: quem casibus & accidentibus tantum niti scio. Et ita quidem niti, ut iam, porroq;, honoris parum, commodi non multum continere soleat. Tenes enim statum Ecclesiasticum hoc tempore, quanquā te meliora sperare scribis. Ego certè nihil minus existimo quàm nos in pristina restitutum iri. Fuit enim multū diuq; apud nos hoc nomine D. uester Cardinalis omni diligentia, nec consilio minore usus. Quantum autem effecerit, res ipsa docet: tantum nempe, ut ego quidem planè existimem, nisi Papa cum Cesare, proximis hisce comittijs consultius & enixius, quàm hæctenus rem egerit, sit acturus, Ecclesiasticum statū alio more, alijs præscriptis futurū. Quamobrē uidetur mihi quidem optimum, te adhuc annum aut biennium illic in Italia permanere, donec tempus aliquid tandem constituendū facultatem ferat. Scripsi uerò hæctenus ad te sæpius: sed an tu literas acceperis nescio, nisi quod ex silentio tuo te non accepisse cōiicio. Quod si est, scias triginta quinque aureorum illorum nomine te mihi liberatum esse.

esse. Postremo de seditione rustica circa Bambergam, Herbipolim, Maguntiam, & alias regiones haecenus foede debacchata, non dubito quin acceperis. Omnino talia inde accepimus incommoda, qualia multis annis nullis modis obliteraturi simus. Dominus Deus dignetur omnia, non secundum spem nostram agere, sed citius gratiae suae donis talia compensare, quam nos opinemur. Tu bene uale, ex Bambergae, ult. Septemb. Anno Domini nati MDXXV.

CONRADVS RYKERS FRI-
derico Nauseae, S. D.

Raratitla unà cum literis tuis accepi, quas exemplò cum perlegissem, de eo, de quo tibi me dubitare perscripsi, satis cognoui, nec quicquam porro dubito. De munere uerò (sic enim melius quam munusculum appello) gratias ago tibi maximas: omni modo uicissim recompensaturus. Videre mihi licuit in eo libello stilum ornatissimum, res pòdere magnas continentem: breuiter, omni laudis genere cumulatum. Cum enim pluribus mihi scribere, tempus non sit, in genere sic mihi pronunciadum est. Quare scias, mihi Enchiridij loco fore: eum me lecturum, perlecturum, & citra tædium quidem sic in manibus uersaturum, si quando negotia molestiam animo incusserint, eam lectione ista ut propulsem. Tu foelix uale: cui me totum dedo, commendoq; Ex Aschaffenburgo, die XV III Feb. Anno MDXXV.

EBERHARDVS SCHIESSERS DECANVS, CELEBR-
rimo uiro Friderico Nauseae, S. D.

Um proximè librum Iodoci Clitoui, quondam Fabri Stapulensis discipuli, contra Lutherum scriptum misissem, statim recepi à te literas querelarum iustissimarum plenas. Sed obsecro, sis forti constantiq; animo. Dabit Deus his quoque finem. Si tamen animus esset in alio loco similiter tale munus subire, haberes hic Maguntiae quietissimum locum, cum pari honestate coniunctum. Quare tu quicquid factu opus uidebitur, constitue. Ego literas ad D. Spiegellium procurabo, & id quod mireris, dudum de te ultro addam. est enim mihi familiarissimus aliqui. Cogor autem esse breuis, angustia temporis. Ex Magun. V I I Sept. Anno Christi nati MDXXVI.

EBERHARDVS SCHIESSERS DEC. PRAE|STAN-
tissimo uiro D. Friderico Nauseae LL. D. S. D.

Non molestus fuissem tibi ineptijs istis, ornatissime colendissimoq; Domine D. nisi accepissem, te in munus & officium concionandi à nostratibus esse receptum. Face-re enim nō possum, quin successum istum & fortunam tibi gratuler: identidem imprecans, ut hoc tibi foelix & prosperum sit. Quamuis autem ipse plurimum desiderauis, & egi hoc ipsum, nempe

nempe ut tu in concionatorē nostrum Magun. asciscereris, tamen et aliorum iudicia uotis meis accedere, laetari cogor. Tu istam gratulationem meam boni consule, & in bonam partem accipe. Quaecumq; in re, in posterum tibi & tuo honori prodesse poterò, faciam quam lubentissimè. Debeo enim cum tuis id uirtutibus, tum etiam in me meritis. Si uerò nil (quod sanè non puto) prorùs poterò, uoluntatem pro re ipsa accipies. Sed iam satis nugatus sum. Tu importunitati meae ignosce, meq; te amantem redama: & tibi cum omnibus facultatibus patentem, pro tuo libito require, omni tempore pro uiribus lubentissimè profuturum. Ex Maguntia, X I I Calend. Feb. Anno Domini MDXXVI.

EBERHARDVS SCHIESSERS CELEBRRI-
mo uiro, D. Friderico Nauseae, Plebano & Canonico Francoportien-
si, Domino & Praeceptoris colendissimo, S. D.

Rost debitam commendationem: Nudius tertius pro aliqua anxietatum tuarum subleuatione hortatus sum te, ut si Francoportienfes uocationi tuae resistere, & pseudo praedicatorum doctrinae obsequi pergerent, tu excusso de pedibus puluere, te ad nos conferres, & domum meam ingredereris, rebus omnibus meis tibi communibus futuris. nunc id etiam consulunt grauissimi uiri, & praesertim in spiritualibus Vicarius, & Fuldanus Abbas, Doctores: ad stipulatur Christofferus de Gabelentz cantor ecclesiae Maguntinae. Vacat autem locus concionatoris hic, cui annexa est praebenda Archiepiscopalis in eadem ecclesia: cui parū bene praefuerunt, quos nosti. Caueas tu omnino ne, cum apostatae esse uelint, illis praedices. Melius enim est nuncq; incipere, q̄m inceptū turpiter deserere. Si licuerit, ad nos solatij saltem gratia descende. Et bene Vale. Ex Maguntia, X XIII Feb. Anno Domini MDXXVI.

EBERHARDVS SCHIESSERS EGREGIO VIRO
D. Friderico Nauseae, Praeceptoris colendiss., S. D.

Celeberrime uir, praceptor colendiss., non onerasssem te his literis, nisi intellexissem te illic hodierna die ad concionem peragendam esse admissum. Cuius foelicem concionem esse precor. Dederam ego ultimis binis meis literis consilium. Gloriosior tamen esset in apostatas illos triumphus, si sic permanere tibi illic contingeret. Tabellarius autem iste ex Bambergae ueniens, me accessit. Itaq; si quid scribere uelis, ad te eum procuro. Qui, si aliquo pacto fieri poterit, ad nos accedas. Et interim foelicissimè ualeas. Ex Maguntia, XXV. Februarij, Anno salutiferi partus MDXXVI.

EBERHARDVS SCHIESSERS VENERABILI
uiro, D. Friderico Nauseae, LL. consultijs, S. D.



Osteaquam heri per clauigeram meam genitricem libellum quendam Antilutheranum tibi misissem, scripsisti te alios quoque eiusmodi libros recepisse. Cetera quae tu per calamitatem pateris, patienter sufferas oro. Dabit Dominus omnipotens his finem. Alioquin posses hic (meo iudicio) habere pacificum & quietissimum locum Concionis in Ecclesia Maguntinensi. Quare si recipere noluerint pacem Francoportiensis, excutiendi erunt pulueres pedum, in testimonium illis. Literas in locum suum fideliter & accuratè destinabo, & de meo, quod pertinebit, addam. Significaui pariter hodie Cochlaeo aduersitates, quas patris propter Christi doctrinam. Valeas diu. Propter diuinum officium cogor esse breuis, pluribus agam postea, ex Maguntia, xxviii. Februarij, Anno MDXXVI.

IOANNES BRVNVS EGREGIO VIRO
D. Friderico Nauseae S. D.



Tudium & obseruantiam praemitto. Venit ad te GEORGIUS NAVSEA, frater, domus industriam inspecturus, atque etiam fortassis de rebus nonnullis tecum colaturus: ut rediens illud gaudium, quod parètes ex ipsius de te expectatione fouent, confirmet, augeatque. Ceterum de Romanis rebus in cōfesso iam omnibus est, quam calamitosa fortuna urbem caeperit, teneatque. Quare cum autoritas summi Pontificis eod iam diminuta sit, periculum est, ne quorundam arbitrijs res ecclesiasticae statuantur. Quod si fiat, certo certius est, nos nostramque dignitatem pessum itaturam. Dominus tamen Deus ex sua potentia, qua tempus nubilum potest ex improviso serenum reddere, dignetur omnia in melius conuertere. Te, ut mihi per fratrem rescribere uelis, oro: non tantum de ijs rebus, quae se in dioecesi uestra exhibent: uerum etiam de ijs, de quibus iam mentionem feci, omnia mihi cognoscere iucundissimum erit. Orationem uero tuam Reuerendis. Domino nostro exhibuit quam singulari cum iucunditate legit, ut ego quidem gratias tibi agam, quod ea mihi causam exhilarandi ipsum sic praebueris.

Vale tu cum tuis omnibus prosperrime, ex Berga, x. Iulij, Anni MDXXVI.

EPISTO

EPISTOLARVM MISCELLANEARVM,
AD FRIDERICVM NAVSEAM BLANCICAMPIANUM,
Episcopum Viennensem. singularium personarum,
Liber tertius.

ALBERTVS ORDINATIONE DIVINA SACROSANCTAE
Romanae ecclesiae Tit. s. Pet. ad uincula Presbyter Cardinalis, Magunt. ac Magd.
Episcopus, Elector primas, Admin. Halber. Marchio Brand. D. Friderico Nauseae, Doctori ac Ecclesiae nostrae Magunt.
maioris concionatori, S. D.



HONORABILIS ac dilecte, literas tuas unam cum oppellis industria tua congestis, quibus orationem ad Ecclesiasticam synodum factam titulum imponis, grato sane accepimus animo. Tibi que pro eo munere gratias immortales referimus, hoc animo ut compensaturi aliquando simus. Quod autem literis ad nos binis tuis non responderimus, copia negotiorum, quibus inuoluimur, fuit impedimento. Faciemus igitur, ut non esse nos oblitos earum intelligas. Ceterum de impudentissimis illis duobus apostatis ex ecclesia Francoportensi submouendis, equidem in eo ita laborauimus, ut nemo nobis omnino crimen desidia possit impingere. Nunc etsi successus non respondit, speramus tamen eos breui premium suum accepturos. Postremo, quod ad sustentationes tuas pertinet, scias nos in memoria te semper habituros, propter merita ista tua in nos & omnes nostros, quoniam nunc occasio se multa nobis offert id in presentia praestandi. Bene uale, pergeque ut coepisti, apud homines gloriam, apud Deum uero tantorum laborum mercedem tibi collocare. ex Aschaffenburg, die xxviii Octob. Anno post natum Christum MDXXVI.

MELCHIOR CLARIUS FRIDERICO Nauseae, S. D.



Icet ego nihil eiusmodi de te simmeritus, ornatissime uir, ut merito me amares: tamen me suauissimis literis, omnisque eruditio nis plenius refecisti. Quod quidem tam in memoria mihi refedit, ut nunquam sim prorsus obliturus. Atque uideo nihil a perpetuo ingenio tuo te facere alienum. Es enim a deo minimis & summis idem, ut non possim satis demirari. Omnes pari amore prosequeris, nulli molestus, comis, humanus, tempori commode seruiens. Non est, scio, uerborum meorum, satis explicare istas uirtutes, ac tibi propterea Encomium decantare. Sed facere non potui, quin affectum declarare quoquo modo meum. Eadem de causa, cum officia in me tua perpendam, facio, quod haec insulsa carmina tibi mitto. Quiduis enim committere malo, quam uel immemor, uel ingratus a te uideri. Suscipe igitur, et in bonam partem accipe. tempus dabit meliora.

Non aurum, nec opes, te non ambitio uexat,
Vnica sed uirtus est tibi clara comes.

AD D. FRIDERICVM NAVSEAM

*Vnde tibi liuor nec ualde nocere malignus,
Nec poterit factis mens inimica bonis.
Euterpes habeas nomen. Te factio sola
Lutheri turpis, sentiat esse uirum.*

IVSTVS DIEMVS ORNATISSIMO VIRO D. FRIDERICO
Nauseæ, Concionatori Maguntinensi dignissimo, S. D.

Reuem esse me, celeritas abeunris nunciij cogit: ad rem igitur accedam. Primum quidem certa sunt apud nos ita, D. Georgium de Fronsperg, Venetos Papisticosq; configasse, cæsis internicione plus quam uiginti duobus milibus: eorq; pleraq; Italiae ciuitates deditionem cogitare, Pontificemq; ipsum ac Venetos quaslibet pacis condiciones admittere. Scio equidem, scripsisse me antea hæc tibi, sed incerta erant omnia. Nunc certo certior res est, Etenim Princeps ipse Ferdinandus hæc Margaretae Reginae nuncianda curauit, & literis ad alios Principes id fieri mandauit. Cochleum meis uerbis saluere iubeas, & reliquos, si qui sunt amici mihi. Quod si scribere uolueris, fac literas ad Conradum Regium mittas, quo cum familiariter sum. Mutina à Cesarianis est etiam expugnata, Casariani totam prædantur Italiam, castra mouerunt ad Bononiam. Ciuitates Italiae magnum pondus argenti offerunt, sed recusatur à ducibus. Omnia ferro igneque aguntur. Vale mi Nausea, ac rudes hæc boni consule literas. Raptim, Spire, III Ianuarij. Anno redempti mundi M D X X V I I.

IOANNES FICHARDVS DOCTISSIMO VIRO
Ioanni Cochleæ, Sacrarum literarum Doctore, S. D.

Agno me hercle cum gaudio tuas accepi literas: sed longe cum maiore legi, relegique. Tantum enim me oblectabant, quantum planè nunquam aliàs: ut uerbis consequi non possim. Proinde poenituit me miris modis, quod ad tantum uirum non scripsissem, & ut ipse prius ad me scriberet commissem, sed fecit illud summus meus pudor, & non ignota mihi tenuitatis in Latina lingua timor. At Deum immortalē, quātis me laudibus oneras? Sed lapsus sum, ornas dicere uolebam: quantum extollis, ut ego magis humanitatem admirer tuam, quam eruditionem iam laudem mecum meam. Tametsi iam adducor, ut omnino non temerè tantum tribuere tē mihi iudicē. Solet enim uanitas à tantis uiris abesse, nihilque minus faciūt, quam ut solummodo turpiter assententur. Itaque tibi summas ago gratias, pro ista beneuolentia & humanitate tua: daboque operam, ne frustra mihi tanta & tot ascribere uideare. Nūc enim quid aliud rependam, non habeo, nisi fortè par pari me referre uelis, & uicissim tibi nunc Encomium canere. Sed id non ullo modo uelis, nec etiam præstare

præstare sit me earum uirium, intermittā potius, quam in eo, quod nolis, tibi ut gratificer, & me satis deridendum propinem. Porro quod FRIDERICO NAVSEAE nil scripserim, ne mireris, cum idē me retinuerit, quod ut ad te non scriberem fecit. Verebat enim, ne meæ apud illum literæ eo magis essent inacceptæ, quo minus erant petita. Noli insuper tati uiri sanctissima studia interpellare. Gaudeo sanè si hæc uera sunt, sicut nec ambigo, quæ de te NAVSEAE que scripsisti: unica Epistola me duos mihi integerrimos doctissimosque uiros reddidisse deuinctos. Foelix ego: sed epistola foelicio, quæ cum mihi nūquam arrideret, alijs in tantum arriserit, ut quarta Luna natam dicere possim. Bene uale, uir optime, teque nobis in columē serua. Quod respondere nostris ineptijs ne grauari uelis, te rogo. Gratiam tibi sum habiturus maximam omnique officij genere perpetuò prosequuturus. Tuo me, patremque NAVSEAE comēda, scripsi enim illi: sed ut à te curentur reddi, summè rogo. Vale in terim uir integerrime. Francoporti, ex ædibus paternis, pridie Nonas Octobres, Anno à Christi natiuitate M D X X V I.

IOANNES COCHLAEVS CLARISS. VIRO D. FRIDERICO
Nauseæ, pietate peritiq; nulli secundo, S. D.

Prime ac humanissime Nausea, quod nondum es huc uocatus (quod sciam) non te mordeat & contristet. non enim tam iucundè hic agitur, ut nolis isthic degere. Prædicant Lutherani duorum Principum concionatores, adhuc magno populū applausu, accursuque. Multi optant te hic esse, quod & ego pro non uulgarī meo solatio fore sperarem. Vereor tamē ne fortè & maior tibi hic molestia cum labore, quam honor et utilitas, reb. ita stantibus, futura sit cum istic summo cum honore & utilitate interim concionari possis. Hic enim festis diebus mane Faber, post prædium Minorita ambonem occupat. Fortē uelint te ad dies feriales amboni tradere. At illis diebus, uel laboribus multitudo dedita est, uel Lutheranos audit. Nollem igitur tibi, ulla occasione, auditorij honorē decrefcere. Quod si me nō fallit prospectus, maius habes isticauditorium, quā habeat hic uel Faber, uel Minorita. Ne ergo discrucieris animo, quod tardius uocaris: uellē tamē uocari te propediē, ut antiquos patronos tuos alloqui possis, Dominos de Schuartzēberg, Christophorū & Paulū, cum quib. hodie pransus sum in Curia Reuerendiss. domini Herbipolensis, & hoc sero eorundem hospes ero in domo ipsorum. Donati ante triduum D. Christophoro Homilias tuas. D. etiam Reuerendiss. nostro Decano Maguntinē. itē Reuerēdis. Dño Argētinen. & D. Iacobo Spiegelio insigni iuriscōsulto. Nesciebā tamen Reuerēdis. domino Magun. à te scriptū esse de libri donatiōe: nō ergo ei dedisē, nisi exposulasset. Quia duo, quæ dedisti, iussu tuo tradidi Do-

di Domino Reuerendis. Argentineñ. & Domino Iacobo Spiege-
lio. Exemplar uerò compactum, simul cum literis honorificè prelen-
tatum est à Fabro, nostro serenissimo Principi, senties uerò propedi-
em, quid profuerit per Fabrum præsentasse. De Heluetijs constans
fama est, XII Cantones cõseruanda, reiectis Lutheri & Zuinglij
dogmatibus. Ego domi esse mallē, quàm hic, magis enim angulos,
quàm aulas quæro. expectandum tamen erit diutius mihi, uel inui-
to. Bene uale, Nausea mi charissime. Commenda me Reuerend. Do-
mino Decano, si dabitur occasio, & uicino tuo D. Præposito, ac fa-
milix tuæ. Ex Spira, II die Augusti, Anno MDXXVI.

IVSTVS DIEMVS, ORNATISSIMO DOCT. DO-
mino Friderico Nausea, Concionatori Maguntino S. D.



VI literas hæc tibi reddit, ornatissime Nausea, sit tibi
summè commendatus. Est enim eius ingenij, eius erga
me officij, ut nihil antiquius habere debeam, quàm eū,
ubicunque possim, prouehere: neq; solum mea causa fa-
cturum te intelliges, si hominem beneuolē susceperis, sed etiam tua.
Solet enim doctissimos quosque, maxima etiam obseruantia pepe-
tuò prosequi. Cum autem inter illos & te esse, non solum ex me, sed
etiā è fama, quæ mirum dictu de te passim increbrescit, sciat, cupit in-
tuam peruenire noticiam, quo grata fore possint omnia sua in te stu-
dia. Qua in re quidem nō indignus omnino uidetur, quem comple-
ctare. Poteris enim iucundè ipsum multis in rebus audire. Quantū
certè iudicio possum ipse sequi, cognitionis alicuius, in honestis do-
ctrinis esse mihi uidetur. Sed ut maximè non sit, hoc uno nomine,
quod in me officiosissimus, in omnes autē doctos optimi sit animi,
commendatum tibi satis fore spero. Senfum enim tuum probè scio:
tum etiam animum tuum, quiduis mea causa facturum, nō ignoro.
Iam igitur, ac si præstitisses tibi me uicissim, quauis in re, satis & pro-
lixè gratificaturū promitto, recipioq; Vale foeliciter, ex Spira, VII
Martij, Anno MDXXVII.

F. ANDREAS PLACVS MAGVNTINVS, INTE-
gerrimo uiro D. Friderico Nausea, Conc. Magunt. S. D.



Actenus, doctissime Nausea, lupum (ut ajunt) auribus
tenui; hoc est, nec literarum intermittere officium, nec
omnino facere, propter incitiam mihi bene notam me-
am, uolui. Nunc uerò mihi diutius imperare non potui,
quin ultrò tibi scribam, teq; tuæ humanitatis omnibus exhibite ad-
moneam. Cupio enim tecum noticiam contrahere, unusq; tuorum
amicorū esse. Nec mireris causam. Causa est, & uerissima, & etiā om-
nium planè iustissima, Nuper cum circa exaltatæ crucis solennitatē
Magun-

Maguntix essem, contigit ipso die S. Matthæi te concionari, meq;
reconcionantem audire. Mox ipse perculsus insigni tua facundia, in-
signi sacrarum literarum doctrina, cum, an tu de quo audiuissem, es-
ses, interrogassem, esseq; comperissem, nihil prius me facturum co-
gitauij, quàm ut te tantum uirum, quoquo modo mihi amicum red-
derem. Quia uerò nulla ratione alia id fieri posse uidebam, quàm
literis: etiam nec hunc modum, licet mihi supra uires positum, omit-
tendum duxi. Non enim sum nescius, quàm alienus sim ab omnium
bonarum artium scientia, quam que tui in nulla prorsus facultate
similis. Equidem cum proximè tuæ doctrinæ gustum fecissem,
teq; concionantem ab initio ad exitum plenè audiuissem, hoc iudi-
cium cum apud me ipsum, tum apud omnes alios alibi, cum sum-
ma tui nominis (absit assentandi suspicio) feci commendatione, ut
nihil ab ullo posse Christianius, nihil unquam grauius, nihil perfe-
ctius, nec omnino disertius proferri iudiciarem. Gaudereq; eo no-
mine Maguntiam debere, quæ præ cæteris omnibus urbibus tantū
tantæq; admirationis uirum consequuta foueret. Tuæ igitur hu-
manitatis est, expectationem meam explere, ac id, quod de te pro-
mittam, mihi amanter præstare. Præstabis autem, si literis tuis,
quæ mihi magni loco muneris futuræ sunt, in amicorum tuorum
numerum me acceptum docebis, ac beueuolentia futuro tempo-
re prosequutus fueris. Sed id cum te facturum non dubitem, ne
meris nugis obstrepam tibi, uanasq; prorsus has esse faciam lite-
ras, affectum temperabo, finemq; scribendi faciam. Prius tamen
ex beneuolentia te summè cohortatus, uelis in hoc animi tui lauda-
tissimo proposito, studioq; prouehendi Christianam religionem
constanter persistere: cunctaq; sicut facis, cœpta tua ad Christi
gloriam augendam dirigere. Tum demum uera te manebit gloria,
uerus honor, ueræ opes, uera uoluptas, omnia bona continens.
Quicquid ex hoc mundo est, breue, malum, fragile est: itaq; quod
mūdanis rationibus comparatur, eiusdem effectus esse cogitur, sed
quod ex spiritu est, solidum, uerum, æternum est: itaq; etiam quod
ratione spiritali nanciscimur, re uera nanciscimur. Manet igitur
te, doctissime Nausea, perpetuus & solidus honor: quoniam
am tuis actionibus inferuis soli Deo, nec temporalia curas. Saltem
firmus in hac mente sis, & nullius hominis persuasionem te deduci
patiare. Scio enim uarias à Diabolo tentationes, omnibus qui re-
ctam uiam sequuntur, & mundo ualedicunt, existere solere. Sic no-
ster Lutherus à recta uia deflexit, cum reluctari non ualeret. Sed
commodum succurrit mihi: Librum quendam de obitu Georgij
cõcionatoris Hallensis emisit, arrodēs Maguntinos nostros patres.
Itaq; si propugnare causam nostram animus est, hic occasio optata
magnaq; datur. Vale, meaq; importunitati humaniter ignosce. Ex
Limpurgo, x VII Cal. Ianuar. Anno post natū Christū MDXXVII.

ALBERTVS DEI GRATIA S.R.E. PRES. CARD.
Arch. Mag. elector primas, Honorabili uiro, Fri-
derico Nausea S. D.



Bseruabilis, erudite, dilecteq; noster: Quoniam inter alia negotia, quæ in comitijs istis discutienda sunt, etiam res Lutherana uersabitur: et nobis maxime, qui sacrae Rom. Ecclesiae Cardinalatum, in Germania etiam Primatum cum Electura tenemus, necessarium sit doctis magnisq; uiris instructos esse, clemēti petitione rogamus, uelis huius temporis spacio domi te continere, nostrisq; rebus usui esse. Certum enim nobis est, quod te simus accituri, tuoq; consilio, doctrina, opera, in sedandis istis ob religionem dissidijs usuri: cum quid prestare possis, & cuiusmodi uir sis, partim nostramet experimento, partim aliorum relatione nō ignoremus. Sis igitur interim intento prijs rationibus & meditationibus animo, constanter inuigila, ne pariter & in causæ & in nominis nostri periculum aliquando incuria ueniamus. Hoc uicissim studium, nos omni beneficiorum genere, perpetuò cumulatè libenterq; rependemus. Vale, Aschaffenburgi, Pridie Idus Ianuarij, Anno MDXXVI.

ERASMVS ROTERODAMVS ORNATISS,
Friderico Nausea ecclesiastice S. D.



Mhi iam nuper exciderat datus annulus, quanquam non exciderat animo Fridericus. Næ tu dignus es maximis, qui sic attollas minima: rectissime iudicans, si munusculi precium animo utriusq; metiaris. Opto in omnium sanctissimo negotio feliciter uerseris, nusquā oculos à Christo dimouēs, ut illi tota cedat uictoria. Nec enim magni refert, opprimi Lutheranos, si uictoriam intercipient Pharisaici quidam, qui gulæ uentriq; seruiunt, non IESU CHRISTO. De Roma diri rumores afferuntur. Qui siue ueri sunt, siue falsi, nullam uideo spem pacis inter Monarchas. Sed Christus omnia uertat in bonum exitum, utinā maturè. Hoc scripsi, ne diceres nihil esse rescriptum. Non enim uacabat pluribus. Bene uale, Nausea charissime, Basileæ, postridie Pentecostes, Anno MDXXVII.

IOANNES FABRI IVXTA PIO AC ERVDITO
uiro D. Friderico Nausea, S. D.



Acepimus literas tuas, mi Nausea, quibus scribis, parū pro animi tui sententia actum esse in quibusdam à Principe. Id quod & mihi minus arrideret, placeretq;, quem tantopere ob uitam, eruditionem que haud uulgarem multum complexus sim. Sed ego mi Nausea, quantum mea conditio potuit, res tuas optime curatas uolui. Nec quicquam in causa fuisse

fuisse quo minus ex sententia tua cōficeretur negotium, uideo, quam illud, quod obscurius tua produxeras, ut nos aliter de tuo sensu cōscire non potuerimus. Tantum autem abest, ut diligentiam in nobis desiderari palse simus, ut etiam maiora si nobis exequenda scripsisses, omnino transacturi fuerimus. Quanquam nondum res incommodi multum habet, dabimus operam, ut quoquo modo emē detur. Saltem ne posthac incuria tua nobis obfit. Sum enim is in omnibus tibi, mi Nausea, quem & amicissimum esse, & tui studiofissimum experiri debeas. Vale, Spiræ, xxviii Augusti, Anno MDXXVI.

IOANNES FICHARDVS, DOCTORI EXIMIO
Friderico Nausea, Domino suo S. D.



QVod haectenus ad te nihil literarum præter unam epistolam miserim, potest omnino à me excusari: sed quoniam à me non requiris, intermittam, et ad epistolam tuam ueniam. Cui si non rescriberem, in expiabile me crimen commissurum putarem: quippe qui non epistola, sed longè doctissima oratione ad scribendum prouocatus fuerim. Quam igitur ea nobis grata fuerit, quantum delectauerit, non scribere necesse habeo. Erat sane, ne multa dicam, Nauseana: id est, arguta, grauis, elegans, et splendida, suisq; coloribus illustris, nec non suis repleta uirtutibus: adeo ut uix sit, quem non tanta orationis amœnitas possit capere. Nec im merito doluit ille, se non interfuisse, qui tantę uoluptatis expers fuit. Quod si mihi, ut Midæ quondam, optandi copia daretur, in primis certè optarem, me Nauseæ eloquentia, cum tanta eruditione ac elegantia dotatum esse: licet in tot tamq; locupletibus argumentis uideatur quasi de industria λακωνίζω. Porro non mihi tu, sicut spero, in dignaberis, quod pro oratione prorsus splendida, magnificaq;, hoc tam ineruditum, rudēq; trāsmittam epistolium, & planè χαλκία χερσίων. Cum secundum Tibulli sententiam,

Quod si deficiunt uires, audacia certè

Laus erit, in magnis & uoluisse sat est.

animo res æstimanda sit. Faciam tamen, ut posthac δελτίων ἀμφοτέρων scribam. Vale uir optime. Francoporti, viii Cal. Iunij, Anno post M D. uigesimo septimo.

IOANNES CHOLERVS PRAEPOSITVS ECCLESIAE
Curien. Canonice S. Mau. Augustæ, Venerando ac egregio
uiro D. Friderico Nausea S. D.



Praestantissime domine Doctor, literas hasce R. D. Ioannes de Vuirsperg, Eystetten. Ecclesiae Decanus, tibi ut transmitterem scripsit. Id quod & facio: mihi subinde gratulans, quod hanc occasionem ad noticiam amicitiamq; tuam

tuā perueniendi, sum consequutus: & ad eum scribendi, causam tractus. Cuius egregias animi dotes, sinceram que fidem, & religiosum Christiani hominis animum mihi per multos prædicatum admauerim, & summopere fuerim ueneratus. Cupio igitur numero tuorum adscribi: habebō que gratiam Domino Decano statim, si te id mihi non recusare intelligam. Quod fiet, cum mihi te rescriptis se uidero, nostramque beneuolentiam firmam esse uelle, literis intellexero. Id que ut facias, etiam ter rogo. Quicquid enim tibi facere, tibi ue prodesse potero, faciam sanè perlubēs, nihil excipio, nec ingenium studiumque meum, tametsi perexiguum. Vale feliciter, Data Augustę, pridie Calend. Ian. Anno MDXXVII.

LAVRENTIUS CARDINALIS CAMPEGIUS Reuerendo familiari suo D. Friderico Nauseæ, Legum Doctori, Concionatori Magunt. S. D.



Harissime NAVSEA salue. dudum apud dominum Schlachek, nobis etiā tuis literis commendatum, unas, mox die XIII Maij & alteras accepimus. Quæ de tua igitur expectatiua commutanda scribis, intelleximus: retulitque Iodocus noster, iam superioribus diebus admonuisse te ipsum de his, quæ ad negotium necessaria forent. Proinde intellecta uoluntate tua, omnem operam nos adhibebimus, ut tibi promissimus, ne tibi defuisse uideamur. Porro etiam fuit grata tua commendatio pro Domino Cochlæo scripta, præcipue quod ad Canonatum S. Victoris ipsius pertineat, eoque illi simul scribimus. Libellum tuum de uerbo diuino differentem, cupide accepimus, unum que exemplar Do. Veronenſi misimus. Ad reliqua literarum capita non necessariū uidetur respondere. Tantum tamen habeas, omnia nobis cognitu fuisse gratissima. Reuerendo domino Datario te fecimus commendatissimum. Vale, Datum Romæ, XVII Maij, Anno MDXXVII.

IOANNES COCHLÆVS CLARISSIMO DOCTISSIMOQUE uiro D. Friderico Nauseæ, S. D.



Ximie D. NAVSEA, incolumis huc perueni, gratiosam que habui audientiam. Fuisset mihi grauisſima futura Principis nostri indignatio, si abſſem ipso inconsulto. Grauatim dimisit me, quia putat sibi opus fore mea opera. Referuat itaque sibi ius reuocandi, ubi opus fuerit. Hodie hic perſeuerandum, cras abeundum mihi est: Deus fortunet. Via enim periculosa est à latronibus, à fluuiorum inundationibus, à glacie, ab alijsque incommodis: sed perferenda sunt hæc, & multa maiora, propter Ecclesiam. Audiui hodie, propter mandatum Ferd. in Braunſchuuig

schuuig affixum, factum esse tumultum, et Clerum partim occisum, partim ciectum. Non tamen habuimus hac de re certa scripta. Vereor equidem, ut cum una ciuitas inceperit, ne sequantur reliquæ. Deus omnia pro sua optima uoluntate disponat. Bene uale charissime, & commenda me in primis Reuerendo & gratioso D. Decano, alijs de recessu meo nil dicito, ex Aschaffenburg, XVIII die Ianuar. Anno MDXXVII.

LAVRENTIUS CARDINALIS CAMPEGIUS Reuerendo familiari suo, Friderico Nauseæ, legum Doctori, Conc. Magunt. S. D.



Harissime Nausea, tuas XX die Maij Mag. datas, elapsis aliquot diebus literas accepimus, quarum ternis tuis prioribus à nobis non esse responsum, conquerebaris: sed infirma ualetudo nostra nos excusare, deinde etiam multiplex, ut fit, occupatio debet. Quamuis & non ignoremus, à nobis tibi binas esse missas, tibique (certiores à Domino Eberhardo Schieshero facti) redditas. Sed cum fortasse tardius tibi allatæ sint, tibi imputare non possumus. Quæ uero de Lutheranis scripsisti, cum summo dolore intelleximus: etiamsi nos pietas tua uehementer delectarit: propterea quod adhuc diuinam in nos iram durare cognouimus. Verum fiat uoluntas Domini. Tu saltem tuis optimis & pientissimis concionibus ne cessa populum instruere, reuocare, confirmare. Sunt etiam nonnulli pſj, quorum precibus fatigata diuina ultio cessabit, & nos amoenissimus Dei uultus recreabit. Eius meriti non tantum feres à Deo præmium, sed etiam ab hominibus bonis commodum. non poterit certè pius aliquis, cognita tua in fide constantia, & in pio studio uigilantia, tibi beneuolle, te laudare, tecum que sua omnia communia esse, nolle. Quod ad me attinet, ego modis omnibus faciam, ut intelligas, isti labori præmium suū non defuisse. Etenim præter id quod ipse pro uiribus, omni iure tibi commodare non intermittam, etiam penes sanctitatem Max. Pont. aliquid efficere tibi recreamenti non desistā. Quod cum intelliget ipsius sanctitas, ita pro fide catholica te depugnare, officij sui non obliuiscetur. Id ego futurum tibi recipio. Quod reliquum est, libellum per Lutheranos impudenter editum non miramur. sed tua illa contra schismaticos Compendia expectamus. Simplex malum raro solet esse, quin multum identidem epullulet. Sed & ipsum quoque non duraturum, quia confido, pluribus non persequar. Quod uero ad negotium Dominorum Teutonicorum attinet, tuam commendationem plurimum ualuisse docebimus. Neque uero dubitamus tibi certum esse, Sereniss. Domino nostro causam illam per nos, tua causa commendatam: diligenter tamen ad huc scriptis in memoriam ipsi reuocabimus. Saltem sit, qui de re nos G 3 admoneat.

admoneat. Vt enim semper alias, ita quoque hac in re tibi seruire parati sumus. Vale, ex Roma, die XXVII Maij, Anno diuinæ natiuitatis MDXXVII.

IOANNES CHOLERVS, PRAEPOSITVS CV-
ri ensis, excellentissimo Doctori Friderico Nau-
seae S. D.



Ecepi superioribus diebus à te, Doctor excellentissi-
me, literas; quibus quòd tardius æquo respondeam,
me excusandum arbitror. Nolim enim, praesertim in
amicitia, tam inconstans uideri, ut cum unum uel alte-
rum epistolum scripserim, illicò mutare animum affectum que er-
ga aliquem iudicet. Auertant hoc à me coelites, *καὶ τῶν μοι χεῖνοι δι-
εῖα χθόνι*: propterea quòd in uiro nihil est, ista muliebri, parum-
que uirili leuitate, reprehensibilis. Hæc igitur intermissionis lite-
rarum mearum fuit causa, doctissime NAVSEA, quòd accerri-
mum morbum uerè *φθισίνουσα*, ut Homerus ait, *κίρτες γὰρ ἀγαυὴ μίλα
υἱοῦ θανάτῳ*: hoc est, febrem uehementissimam duorum ferme men-
sium spacio miserè sustinuerim. Quo que minus id ita esse dubi-
tes, adeò fui oppressus hoc malo, ut de nulla alia re, non de uita
salute que, nisi de morte cogitarim. Quòd autem reualuerim,
debeo misericordiae diuinæ. Cum enim uotis ardentissimis opta-
rem, ut solenni tempore Paschatis, pijs officijs interesset, repente
saluus ac uoti compos extiti, cumq; ipso Christo resurgente reuera
rediuiuus prodij, multis beneficium diuinum demirantibus, meis
etiam pro eo pari modo Deum laudantibus. Hinc scilicet ad te scri-
bendi facultas mihi primum fuit. Sed si compensationem istius in-
termissionis flagitas, equidem non sum tam piger, ut in posterum
me sarciturum non promittam: nec tam superbus, ut quòd amici-
tiae iura iubeant, id omnino detrectare uelim. Itaque hoc nomine
locum excusationi meae facias, quòd omne neglectum à me sim
futura diligentia sarciturus. Etenim spem habeo, fore, ut incolumi
ualetudine sim aliquandiu iam futurus. & ideo cunctis meis officijs
abundè satisfactorus. Attamē et *ἵπτοι μὲν δὴ τὰ πάντα βιάσθη γένεσι κέρτατα*.
Quantum potest humana spes & coniectura, tantum dico. Ne-
que tu, qua prudentia es, & humanitate, diuinæ uoluntatis arbitri-
um mihi fraudi esse uoles. Velles autem, si praeter spem meam asse-
cto, rursus mihi uanitatis ex promisso meo crimen tribueres: & pro-
pterea quòd pollicitis minus fecissem satis, me tanquam leuem, ab
amicitia reijceres. Sed nimium iam nugatum, redeo ad epistolā tu-
am. Quòd igitur te eleuas, me miris laudib. uehis, nihil facis noui.
scio enim qua sis modestia, qua que in omnes tuos beneuolentia,
quanquam cum laudando facundiam exponeres ac proferres tu-
am, atq; sic in immensum quæq; tollereres, ut ingenuè fatear, rubore
simul

simul & pudore fui ferè oppressus, quòd neq; uirtutibus ullis meis
à tanto uiro tanta mererer: neq; quòd ab ullo, qui me nosset, sine iu-
dicij ipsius offensione legi possent. Nihilominus tamen, optime Fri-
derice, me ames, immeritò laudes, ac magnificias. Omnium rerum
optimus est animus: & res animo, non animus debet rebus aestima-
ri. Quòd reliquum est, libellum tuum de uerbo Domini, tersum il-
lum quidem, ac elegantem, non sine summa uoluptate legi, pro eoq;
remissem doctissimi uiri Andreae Alciati de Ponderibus & mensu-
ris librum, si iam prælo exemptus fuisset. Posthac igitur, ut sis eum
habiturus, faciam. Vale, meq; tuum *χρῆσι μὴ καὶ κίρτες* esse tibi per-
suade, Augustæ, II. Maij, Anno Domini MDXXVII.

GVLIELMVS SARTORIUS PAROCHVS DISBA-
chensis, ueræ theologiae Doctori, D. Friderico
Nauseae, S. D.



Non semel, doctissime Nausea, desiderauit, quo mihi ali-
quando daretur facultas te alloquendi, salutandiq; lite-
ris. Tantus enim es apud omnes Christianos & re & no-
mine (citra adulationem dico) ut extra sensus humanos
uideri possit positus, qui non obuijs, ut dicitur, manibus ad te com-
plectendum ferretur. Nunc igitur eam opportunitatē nactus, tanto
gaudio afficior, quāto conueniēter affici debeo. Tu clarissime Nau-
sea pari beneuolentia hæc meas rudes accipe literas, boniq; tui stu-
diosissimi officij um consule. Nulla uerò alia ratione te boni consulu-
isse iudicabo, quā si literas à te qualescunq; recepero. Quid enim
me prohibeat conditionis meae tenuitas id petere, tibi ue prescribe-
re: Familiaritatem non è fructu, dignitateq; ueram, sed è beneuolen-
tia prouenire scio. Vt igitur maximè tibi sim ignotissimus, & facie
& nomine, tamen cum amare me te, propter summas solummodo
uirtutes, intelligas, etiam quiduis te mihi præstiturum dubitare nō
possim. Tu tamen hæc melius, quā tu tibi declarare queā, dispici-
es, & quid in hoc faciendum tibi sit constitues. Illud igitur unum
peto, uelis in memoria tibi positum esse, quòd ad rescriptionem per-
tineat, ut literis uel trium uerborum, si plura non licuerit, me tuis re-
crees, simulq; materiam rescribendi mihi parias. Si tamen hoc officij
um non alpernare meū, nec ut amicitia coire possit inter nos, & con-
firmari, negligas. Sed & id pro tuo iudicio te facturum, cum non
sim nescius, hucusque scribere pergā, nec amplius inanibus uerbis
tibi obstrepā. Vale mi doctissime charissimeq; NAVSEA, ex Dis-
bachio, v. Idus Iulias, Anno post restitutum mundū MDXXVII.

IOANNES FABRI CONSILIARIUS REGIJS
amicissimo suo D. Friderico Nauseae, S. D.

Expostu.

RXpostulas tu quidem mecum, sed absq; omni acerbitate, cum' que summi desiderij significatione. Sed ego, cum reuenter ex Hispania, memini me unas ad te dare. Quod autem ex eo inde tempore nil scripserim, non accidit obliuione tui, sed conditione temporis ipsius, quo non solum quotidianis illis ac uilitatis curis impliciti fuimus, uerum etiam bellicis negocijs inuoluti, ut interdum memoriam rerum etiam priuataru, & ob oculos positaru, nedum absentiu, in me desiderarim. Nunquam tamen ita non meus fui, ut Nauseæ charissimi, minus essent memor: cuius obliuionem nec exhausta Lethe mihi induceret. Licet igitur eius aliquando signu non habueris, curis tamen & occupationibus meis aliquid tribuere cogaris. Cupio mihi denuo mitti Homilias tuas, quas in clyto nostro regi Ferdinando exhibeam: tuq; intelligas, quam uerè te tuus amet Faber, & quam candidè Princeps sentiat de omnibus bene doctis & pijs. Ad extremum te hortor, ut pergas illam ueterè à nefarijs hominibus oppugnatam religionem, tuis pulcherrimis concionibus & scriptis strenuè tueri. Iam suis ipsi uiribus corruunt, homines turbulenti, animi impotes, et factiosi. Maior igitur ad gloriam uerè datur occasio. Vale, Strigontij, in Pannonijs, ult. Ianuarij. Anno MDXXVIII.

IOANNES COCHLAEVS CLARISS. VIRO
D. Friderico Nauseæ, S. D.

RXimie Nausea, Reuerendiss. noster Maguntinus feria quarta sumpsit medicinam, ut toto die non patuerit mihi accessus. Heri bis gratiosum mecum habuit colloquium. De te sentit optimè. incipiebat ultrò se excusare de Coadiutoria. Dixi ego te iam non magnopere illà petere, sed aliquid aliud, ubi fessio deficientiq; sit refugiu. Quid igitur constituerit, hodie intelliga: adituru enim me ipsum spero. Te uerò de cunctis certiorè faciam, Vale feliciter, mi doctissime NAVSEA, frater & amice sinceris, Archiatros Reuerendiss. D. doctor Philippus Buchamerus, petit à me librū compactū, in quo est medicina Plinij, & naturalis philosophia Pāzeti. Promisi, ut uideat. Si certus igitur fuerit nūcius, poteris ad eū transmittere. Hodie hinc abibo, sed multū non emanebo. Vale iterū, ex A'schaffenburgo: die ipsa Galli, Anno salutis MDXXVIII.

PHILIPPVS BVCHAMMERVS ILLVSTRISSIMI
Cardinalis Mag. Medicus, Amplissimo uiro, Sacrarum literarum
consulsiß. D. Friderico Nauseæ, concionatori
Magunt. S. D.

Vperioribus diebus, eruditissime domine Doctor, fuit nobiscum insignis theologus, Ioannes Cochlaeus: utq; ex literis ipsius conijcere potes, de libro quodam insignis utilitatis retulit, ac quod apud te iam quidem esset
Ea de

Ea de re se daturum ad te literas promisit. Ego uerò, cum libri istius sim percupidus, te summè rogo, curare uelis librum eum ad me perferri citissimè. Quis enim non gaudeat, inspicere saltem librum, qui, cum sit utilissimus, uero suo sit nitori restitutus? Omnino nunc est in hoc docto seculo uiuere iucundū, quo omnia bona reflouescunt. Quanquam o te foelicem, cui tempus et facultas ex animo superest, in eiusmodi studio uersandi. Sed uale Ecclesiastes iucundissime atq; eloquentissime, & tuum Philippum commendatum habe, ex A'schaffenburgo, altera Galli, Anno MDXXVIII.

F. ANDREAS PLACVS MAGVNTINVS. MULTIVARIè Docto D. Friderico Nauseæ concionatori Magunt. S. D.



SCrispi quidè antè (si bene memini) quadragesimale tempus, tibi, clarissime NAVSEA, sed tamen nihilominus & nunc scribo. scis enim te nihil adhuc omnino mihi respondisse. Nisi fortè meæ tibi prorsus non sint redditæ, quod etiam suspicari debere uideor. Neque enim te, uel tam occupatum, uel inhumanum esse existimo, quin, ubi meas acceperis, mihi non fueris responsurus. Vt cunq; tamen sit, illud peto saltè, posthac ut mihi respondeas. Cæterum hoc tibi notum uolui, Reuerendissimum patrem, ministrum nostrum prouincialè Coloniensem, ac totius Germaniæ cõmissarium, D. Matthæum Vuesinsem, ad nos Maguntiam uenturum, ac in cœnobio Maguntino diem commoraturum. Si igitur animus erit, cum docto pioq; uiro, tibiq; lōgè amicissimo notitiam contrahere licebit. Etiam si enim te à facie nunquā nouit, nomē tamen è tot pulcherrimorum librorum monumentis habet cõmendatissimum. Et id adeò inde, quod Miscellaneas tuas ipsi aliquando obtuli, & item opuscula aliquot illa Parænetica. Nimirum uix inspecto nomine, auditaq; mea ipsarum debita cõmendatione, obujs (quod aiunt) manib. excepit, ac desiderio se affici te noscendi dixit. Præsertim cum & Centurias Homiliarum te sub prelo habere dicerem. Sed tu quicquid faciendum fuerit, per te quidem facies. Audjo D. Cochleū à Georgio Saxonie Principe accersitum, demortui Hieronymi Emseri locum occupaturum: de quo, ut homini gratuler, fac me certiorè: & uale. Anno salutis acquiescete MDXXVIII.

STEPHANVS MARTIALIS ORNATISSIMO VIRO
D. Friderico Nauseæ, metropolitanæ Ecclesiæ concionatori S. D.



MRedo tibi iam pridem, uir eruditissime, innotuisse, qualiter optimus ille iuuenis, Iustus Diemus, tui studiosissimus (cuius anima Deo uiuat) aquarum suffocatione interierit miserimè, morte profectò cuius bono doctore que grauiter ferenda, que nobis illum tantæ spei iuuenem tam im-

H maturè

maturè misereq; ademit. Qui etsi à sua prima adolescentia multis no-
minibus mihi semper charus fuerit: hoc tamè mihi charior, quòd e-
ius commendatione, in numerum amicorum à te sim ascitus. Cæte-
rum, si minus is sum, ut qui pro dignitate ipsius huic commendatio-
ni factę non respondeam: tuę tamen humanitatis est, quem semel ut
tuū sis complexus, in beneuolētia retinere. Præter id enim, quod con-
statię tuę id cōuenit, etiā uicissim quod uis officij genus à me sis per-
petuò recepturus. Vt autem mihi significationem amicę mentis da-
re uelis, te rogo: quę quidem in hoc consistit, ut istum hominem, qui
tibi reddit literas, suffraganeo Archiepiscopatus Magūt. in clerum
se exponentem, commendare uelis. Facies in hoc remi mihi lōge gra-
tissimam, meq; summo beneficio tibi deuincies. Vale, ex Spira, pri-
die Adsumptionis Marię, Anno MDXXVII.

PHILIPPVS BVCHAMMERVS REVERENDISS.
Card. Maguntini à cura medica, sacre theologie consultif. uiro,
D. Friderico Naufea, S. D.



Ccepī abs te longè antea desideratum proximè librum,
uir ac ecclesiastes disertissime: quem cum alterum Pli-
nium arbitrarer, offendi nihil minus quàm Plinium
referre. Totus enim uidetur Alexandrum illum A-
phroditæum sapere, in eo quod Aristotelizatur in suis illis proble-
matibus. Scribis autem te iam dudum peroptasse, noticiam mecum
inire, unusq; posthac inter meos esse. Tecq; gaudere, quòd hæc occa-
sio tibi, me scriptis appellandi contigerit. Ego uerò, mi doctissime
clarissimeq; Naufea, iam olim idem desiderauī: sed quòd non obse-
querer animo, tibiq; iam pridem amicè scriberem, summæ meæ oc-
cupationes fecerunt. Præterea etiam, cum non solum sacrarum lite-
rarum, sed etiam naturalium rerum te callentissimum audirem, du-
bitauī, nunquid amicitia me tua, qui longè omnibus ex partibus es-
sem inferior, esses dignaturus. Nunc igitur, cum ex utriusq; animi
sententia res cesserit, & ego pariter sanè gaudeo, meaq; tibi omnia
offero, ut æquè tui sint iuris ac mei. Nec pro eo quicquam, præter
beneuolentiã, amoremq; peto. Iucundum enim est amari ab his,
qui multifariã ut amentur, meruerūt. Hinc scies, tibi liberum esse
librorum meorum usum omnium, ut si quo frui ad tuas meditatio-
nes cupias, eum eximendi accipiendiq; potestatem habeas. Postre-
mò sollicitatorem apud Principem rerum tuarum me fore, tibi per-
suadeas. Et nunc etiam tibi scripsissem aliquid, si fuisset eum alloquē-
di occasio. Sed quoniam serenitas talium procerum est expectanda,
necessè habui, cum tempus cogeret, officium differre meum. Vale,
mecq; tuis literis iucundissimis sepe numero uisita. Ex Aschaffenburg,
postridie Martij, Anno MDXXVIII.

IOAN-

IOANNES COCHLÆVS, ERVDITISSIMO AC
eloquentissimo Maguntino concionatori, D. Friderico
Naufea, S. D.



Ongas à me petis iure tuo, doctissime Naufea, literas:
sed nec argumentum, nec tempus pro longis suppetit.
Incolumis huc ueni, Deo protegente. Librum D. Ioan-
nis Fabri, meis potissimum impensis impressum reperi.
Exemplar exhibere poterit communis amicus noster D. Iacobus
Rumplerus. Plura mittere non licuit, quòd eques est, insuetus e-
iusmodi oneris. De D. Ioāne Fabro sic habeas, eum cum Rege iam
Pragam, antequam uenirè, abijisse. Misi uerò literas ad eum statim,
quibus inter alia, ut tui meminisset, admonebam. Mitto etiam ad te
exemplar literarum Martini Lutheri, quod Princeps meus, per pro-
prium nuncium misit Vuittenbergam nuper ad Lutherum, an fate-
retur à se eiusmodi epistolam scriptam. Ille uerò ambigūè respōdit.
Nunc latius inquirīt Dominus meus. Nisi omnis me fallit coniectu-
ra, uidebimus propediem iustam Dei uindictam super superbissi-
mum apostatam istum. Res Chalcographię mihi nimis fiet onerosa,
si non fuerint adiutores in ferendis expensis. Faxit Deus, ut citò ad-
ueniat Imperator noster, qui malis finem det. Scriptis non proficie-
mus in populis contumacibus, ac malè seductis: nō tamen desistere
oportet, propter infirmiores partis nostrę. Bene uale charissime D.
NAVSEA, & meam paruitatem cōmenda Reuerend. Dominis De-
cano & Scholastico Magūt. ex Dresda, VIII. Idus Nouēb. Anno sa-
lutis reparatę MDXXVIII.

IOANNES SICHARDVS ERVDITISSIMO VIRO
Domino D. Friderico Naufea, Magunt. Concionatori, S. D.



Nuitus de officio te interpello, uir ornatissime, de quo
nihil tale meritis sim, ut in magnis suis occupationibus
ad me scriberet. Sed cogit me nunc res tua, ut frontis
obliuisci necessè sit, tibiq; homini quamlibet clarissimo
negotium faceßere, quòd est eiusmodi. Superiore mense, cum ad
nos nuncium Ioannes Cochlæus amicus noster Bernam usq; misisset,
redeunti dedi ad Cochlæum literas, unã cum fasce fragmenti co-
dicis Theodosiani, hac spe, ut illud ad exemplar Maguntinēse, quòd
suspicio in summo templo asseruari, conferret. Verum accidit per-
importunè, ut nuncio Maguntiam reuerfo, mecum Cochlæus in Mis-
niam concesserit: illud autem, quòd ego ad emēdandum exemplar
uestrum miseram, eo mihi intra xx dies referretur. Iam uerò uir
ille mensē totum apud uos ingenti meo periculo decumbit: nam
prælis iam in eum locum peruenimus, ut ea parte sit mihi pluri-
mum opus. Quamobrem, si me amas, imò quia eruditissimus
& singulari præditus humanitate prædicaris, da mihi absente Co-
chlæo hanc operam, & in domo ipsius ex titulo libri fragmentum
H 2 sume,

sume, mihiq; per hunc mitte. Gratificaturus omnino sum tibi uicissim, si dabitur occasio. Quod si tamen in ædibus Cochleji non fuerit fragmentum istud, nisi me fallit augurium, inuenies, sicut antea dixi, adhuc in summo templo, nondum receptum esse. Si sciuissem, et mihi certū fuisset, Dominū Doctorem PHILIPPVM BVCHHEYMERMVM istic agere, uirum incredibili eruditione, & humanitate, nō fuisset tibi molestus. At scio cuiusmodi sit uita aulica, et subinde Princeps solet repetere Aschaffenburgum. Nuncio uerò quibuscunque rebus poteris, adesse uelis, oro, facies mihi, Cochleōq; rem gratissimam. Quanti enim ea res mihi interfit, inde licet cōiicias, quod meo hunc sumptu istuc duorum ternionum gratia tam longē miserim. Dignus autem liber est, in quem plusculum collocetur & operæ & impensæ. Vale, Basileæ, x x die Februarij. Anno post saluatam mūdum MDXXVIII.

IOANNES VVIRTENBERGIUS PRAESTANTISSIMO UIRO, D. FRIDERICO NAVSEAE, HUMANARUM DIUINARUMQUE LEGUM DOCTORI, S. D.



Quamuis à te per hunc exhibitorē literas acceperim, & quid officij mei uicissim sit, non ignorem: tamen non essem propter incertam meam referre ausus, nisi maioris humanitatem tuam fecissem, quàm quiduis aliud. Vuo igitur obsequio magis tuæ erga me beneuolentiæ, quàm literis respondebo. Nec opus est me ipsum testimonia istius dare: malo eā ex alijs intelligas. Quid enim mentionis apud Principem de te facere soleam, scio: quamq; beneuolentiam ipsius in te, confirmare studio meo contendam atq; soleam, nō ignoro. Quicquid certè in rem tuam me facere posse, temporis occasione, uideo, nil prætermitto. Quod autem à D. Andrea in literis de reuerso D. Reuerend. tibi non est significatum, culpam ipse non sustinet: est enim incommoditas temporis in causa, quod ipse tum, cum scribere debuerit, abesset. Rogauit autem me, ut eo nomine ipsum tibi purgarem, ac rem, si officium requireres ipsius, tibi declararem. Quid igitur de eo, seu eius intermissione sentire debeas, habes. Accepisti nuper ab amico nostro cōmuni, Ioanne Cochleō, librū à Ioanne Fabro Constantien. in acta uisitorum Saxoniae editum, quam mira arte culpam in Lutherum torqueat. O' utinam libellus ille diligentius iteratō premeretur: sed non curantur ea quæ ad Ecclesiae commoda spectant. Nunquam minus se quæstum facere chalcographi nostri existimant, quàm cum eiusmodi libros uendunt. Expecto exitum tragediæ illius inter Reuerendiss. Dominum & Decanum istic. Faxit Deus, ut interueniat bonus aliquis mediator, qui cum utriusque gratia rem perueniat componat. Alioqui enim futuri sumus ludibrio aduersarijs, ex quo, nos non religionis studium, sed ambitionem possidere, sint intellecturi, mireq; clamitaturi. Catholicorum assertionum

tionum librum obujs manibus expectamus. Fac ut breui exeat, & Vale perpetuum bene, tuumq; precor Vuirtembergium commendatum habe. Ex Aschaffenburg, die Thomæ S. Anno post Christum natum MDXXVIII.

IOANNES FABRI, DOCTOR REGIUS, VNDECUNQUE DOCTISSIMIS UIRIS, IOANNI COCHLEO & FRIDERICO NAVSEAE, S. D.

Post tãtos, tam uarios, nec minus discrimine plenos Martis bellorum que tumultus, cum ex Pannonia inferiori, dijs ita uolentibus, saluus, ac planè inoffensa ualitudine Viennam me recepissem, Viri undecunque doctissimi, mei que amantissimi amici, non potui, nō à reliquis, ac perpetuis alioquin occupationibus meis, quibus indies nunc huc, nunc illuc distrahor, tantum tempusculi mihi sumere, quo uidelicet obiter literis uos salutarem. Quandoquidem, cum mense iam fermè exacto utriq; uestrum scripserim, nec interea quicquam literarum acceperim, non mehercle aliud in causa est, nisi quod diuinem, aut meas ad uos nondum perlatas: aut uestras, si quæ missæ sunt, in itinere interceptas esse. Feci igitur, ut eo melius fidem meam, olim uobis datam, liberarem. Cæterum non dubito, quin multorum sermonibus ad uos etiam permanuerit, Diætam Imperialem sub hoc quadragesimali tempore Ratispong indictā esse: quod uti ambo, si ullo pacto fieri poterit, ueniatis, magnopere & hortor & cōsulo. Quoniam (quod nobis & iucundum & suaue erit) licebit cum nostræ aulæ doctissimis & præstantissimis uiris, in congressum & colloquium uenire. Aderit enim noster Ursinus, Rosinusq; ut de cæteris interim consulto taceam. Te uerò NAVSEA seorsim amanter admoneo, uti compareas, maxime eo nomine, quod in Lutheranae sectæ homines diuino uerbo publicè sis declamaturus. Cuius laboris (ut nil maius addam) si non pigebit, nō certè poenitebit. Viennæ uero nouarum hæctenus rerū nihil extitit admiratione dignū, nisi quod cum Anabaptistarum peste, quæ aliquibus in locis altissimas radices egit, nobis tanquā aduersus Lernæam hydram, indefesso certamine sit depugnandum. Noctis enim quàm dissecto uno capite, continuo illius loco innumera suppullulent. Attamē pro perpetuo meo more, qui fuit in fulciēda, imò strenuè propagāda Christiana fide sedulus admodum, non ullum laborem, quātumuis arduū, subterfugiam, si quid adhuc in eruendis euellendisq; zizaniarum radicibus præstare potero. Quid multis pergam? Res tam impia, quàm ipsa sit impietas. Præterea D. Balthasar, qui aliquandiu ob illas causas plus quàm hæreticas doctrinas in roboribus est detentus, iam iam capitis supplicio poenas luet. Ita enim fiet, ut simulatque illum, qui Anabaptistarum & aliorum scelerum coryphæus fuit,

Hæc exemplum

exemplum statuetur, magnam atq; adeo potiore illius farinae hæreticorum partem compressam, contusam, & è medio sublata iri, demum speraturi sumus. Insuper iam præ manibus nobis est unicus labor, in quo dies noctesq; sum, quo nimirum disputationes, quas de uarijs fidei articulis ultrò citroq; cõstat esse habitas, literis mandentur. Videbitis igitur hac de re breui luculentum opus, & copiosum. Illud, ut primum ad uos trãmissum fuerit, curabitur alicui chalcographo Colonien. reddendum, ut imprimatur. Sed ó quàm male factum? Decessit nuper Emserus, hac unica ratione sese ab iniuria obliuionis uindicans, quòd reliquerit Testamentum in linguam Alemanicam uersum. Mitto una eadem que opera ad uos libellum, siue mauultis edictum Regium, quod meritò ab omnib. non solum legi, uerùm etiam obseruari debeat. Siquidem quid aliud, quæso, quàm Christo, tanto que Principe dignas instructiones, sana consilia, ordinem denique & amulsim, à qua totius religionis cardo quidam præcipuus pendet, complecti uideatur? Regia porro Maiestas, ut solet Christianæ rei nunquam non cautim prospicere, eiusmodi munia mihi delegauit, ut pro mea uirili, quacunque id fieri ratione queat, siue dicto, siue scripto, uel facto ipso, impuram foetidamq; illam Lutheranorum luem, toti que mundo & catholice fidei maximè magnam calamitatem, profligarem, eijcerem, perderemq;. Id quod à me quidem curabitur diligentissimè. Tandem Apologiam meam, qua penitus præsentis seculi quibusdam hæreticis dogmatibus renunciaui, remitti desidero. Poterit autè id commodissimè fieri per ueredariũ, qui semper ad manus est. Omnem rem, qua fide poteritis, simul cum uestra ualeudine, probè curate. Data & scripta x Martij, Anno à nato Iesu MDXXVIII.

HENRICVS CADUCEATOR ASCHAFFENBURGIVS,
modis omnibus ornatissimo uiro D. Friderico Nausea, ædis sum-
mæ Magunt. à concionibus, s. D.



Ne tu insignis, literataq; humanitatis exemplum es, & ut dici solet, uir ad unguem factus, præstâtissime D. Doctor: qui iam dudum etatem, hoc ipsum me meditatem, quònam pacto tibi semel innotescerè, ultrò tuacq; spõte (tanta tua est φιλαυθωπία) inuitas perhumaniter, accersito uidelicet nudiusquartus herili filio, quo cum rerum mearum pariter & studiorum adeo diligenter fecisti mentionem, ut ego demirarer, talibus me uiris in memoria, nedum in beneuolentia esse. Et quantq; puer non poterat exactè omnium, quæ tu illi fortasse narraueras, meminisse: nunc enim aiebat, nunc negabat: tamen quantum ex ipsius uerbis coniectare ualebam, fuit hæc colloqui summa, ut scires, quid animi ad bonarum artium progressum habeam: deindè, num in animo constitutum fixum que teneam, ad magistratus insignia

signia aspirare, an hoc pacto scholasticis pulueribus intabescere, sit perpetuum. Fuisse etenim tibi studiosorum quorundã adolescentium, cum Reuerendissimo Cardinali nostro habitam mentionem, qua inter ceteros nostri quoque memineris. Proinde si uelim gnauam circa bonas artes operam impendere, conariq; ut simulatque studiorum radices egerim, mox ceteris quoq; usui esse queam: iam te summopere conaturum, ut aliquo studiorum præsidio ad altiora disciplinarum fastigia connitar. Præter hæc referebat puer, quanto perè timeres, ne breui magna doctorum hominum penuria essemus laboraturi. Itaq; te Germanos cohortaturum, ut toto (quod a iunt)pectore, attentissimisq; animis disciplinarum studia amplexari dignent; ne ue ab optimis & pulcherrimis reb. usq; adeo abhorreant, quib. iam fermè nemo non renūciat: Neq; te quicq; addubitare, quin bonæ literæ paruo post tempore, sint sui contemptũ nõ sine ingenti nostro malo uindicaturæ. Ob eam causam fore è mea re, si animũ tibi meum uel per literas, uel aliàs redderè certiozem. Hæc sunt mi Nausea, quæ ex puerili relatione accepi. Ceterum te etiã atq; etiam eximie optimeq; uir, rogatum habeo, ut quoniã rogare te passus non es, neq; ego unq; (quæ mea uerecũdia est) fuissem ausus, hoc instituto iuandi Caduceatoris tui itinere pergas. facies tu quidem non meis meritis, quæ hactenus in te nulla extãt, sed tua uirtute pietateq; dignum: qui nullis à me prouocatus officijs, adeo prompto, adeo benigno in me sis animo, ut mei apud tantum Heroa, coram illo tam insigni Principe, iuuãdi gratia feceris mentionem. Equidem si paria reddere nequeo, certè tui nunq; fuero immemor. Dum spiritus hos reget artus. Fateor ingenuè, referendi facultatem mihi nullam superesse: at animum tum memorem, tum gratum, bona tibi fide polliceor, precorq; ut Deus optimus maximus cumulatè referat gratiam tibi bene de me merito. Quod mihi ob fortunarũ tenuitatem non licet, meum erit, id in memoria perpetua retinere. Nam quid ego tibi multis uerbis gratias agã? An hoc passurus es, qui ne moneri te quidem passus es? Utinam eam mihi aliquando facultatem concedant superi, ut possim hunc animum tui ardentissimũ re potius quàm uerbis gratum declarare. Interim, si quid erit, in quo mea uicissim opera utendum putabis, caue rogaueris, sed ut tuo mancipio audenter precipito: reperies ad quiduis alacrem, promptum que. Nepotem tuum, bonæ naturæ probatæ que indolis adolescentem, commendatissimum mihi existimabo: cui liberrimam adeundi me potestatem facio. Atq; sanè demirror, quid sit rei, quòd hoc semestri nos Græcæ Linguæ rudimẽta proficetes minus adierit, cum illi per me gratis id omninò facere licuisset, imò cum illi negotio puerorũ nemo in nostro phrontisterio fuerit magis idoneus. Promptissimã operã meã illi polliceor, simulatq; è nostro gregario ludo in publicũ deuenerimus ambo. Nepos meo quidè iudicio

non

non uideatur mihi insigniter opere precium facturus, si longius istis scholasticis studijs immoretur. Magis è re sua mihi uisum est, si futuro semestri, publico cuiusdam Gymnasio, ubi alacriores generosiores que spiritus ad disciplinarum capessenda studia uere concipiunt adolefcetes, adhibeatur. Hoc meum sentire, aliam, si quando commodius uacabit, certis rationibus adstruam. Est uero puer non pessimi ingenij, tum eruditionis pro sua ætate mediocris: tum, quod in primis exscolor, ingenua quadam modestia, ut quisquam alius nostri gregis adolefcens, præditus. Atque hæc non dico, quod assentari, tuis uel ista auribus dare uelim. Sentit idem de eo magister ludi, quamuis aliam homo miri capitis. Iam si de rebus meis etiam non nihil certior esse cupis, scito me annos plus minus octo literis utriusque linguae Erfordie studuisse. Quod autem illinc auelli me sim passus, fecit pestis illa quam Lutherus in omnem Germaniam disseminat, in eo quod cum omnia bono cuiusque diriperentur, etiam de capite idem periclitaretur. Securitate igitur mearum rerum, meaque salutis querens, atque cupiens, inde discessi, ac huc me contuli: cum Conradus magister artium, noster hic gymnasiarcha literis suis amicum me pelliceret. Sub hoc ferme tempus fuerant aliquot uiri Erfordie pietate insignes, atque etiam nonnulli ecclesiastica dignitate præditi, quibus adeo studium & ingenium meum placuit, ut omni officiorum genere me sic studijs anhelantem tum prosequi inciperent. Omnes sumptus, cum essem prima laurea discessurus propè insigniedus, ipsis acceptum fero. mox circa Magisterij petitionem fecissent idem haud dubie, nisi Lutheranorum factio, posteaquam omnia ubique interturbasset, etiam me illinc maturius æquo discedere coegisset. Sæuitum est primò in ecclesiasticam dignitatem percrudeliter, atque cum penè tota exularet, omnia bona piorum sceleratis rusticis in direptionem patuerunt. Ventum deinde est ad Reuerendissimum Cardinalem suum, in cuius dignitatem, aulam, iudicia, telonia, clypeos, signa & statuas adeo sunt debacchati, ut deierares, non indomitos agricolas, sed meros cacoædæmones huiusmodi furorem furere. Præfens interfui rebus ferme omnibus, adeoque non sine lachrymis. Quis enim Myrmidonum, aut Dolopum, aut duri miles Ulyssis (ut ait ille) temperet à lachrymis, cum non solum bona sui principis, uerum Dei etiam creatoris, ignominiose diripi uideret? Adeo dispoliata templa, pulsatum clerum, nudatos diuos, direpta sacraria, breuiter, sacra profanataque sursum deorsum commixta contempari licuit. O scelera, o rabiem, o impietatem execrabilem: Germanos homines, imò uero Christianos, in tantam uecordiam tam breui tempore lapsos, ut Gigantum exemplo Theomachiam quoque meditentur? Diuorum certe (ne dicam interim de diua Virgine aliquid) Eobani & Adolarij feretra, quorum corpora religiose olim in his uisa fuerant, in nomismata iam transferunt. Sed hæc hæc nunc. Verbofior sum quæ par est. Habes igitur rerum mearum statum,

uir

uir integerrime. Vides quid meorum studiorum ratio postulet. Equidem uolentem nolentem te meorum studiorum Meccœnatem uolo, ex tua humanitate totus pendeo, in te omnis spes mea recumbit. Nihil autem tam arduum, tamque grande est, quod te patrono consequi me posse diffidam, uel tu præstare nequeas, ut pote magnus ipse apud omnium ubique maximos uiros. Sed mirum, ni tu tecum met cogitas, unde Asianus iste, qui nullum nouit nugandi neque modum, neque rationem? Verum sic loquacem esse non me natura, sed necessitas docuit: imò tua magis humanitas, ut quæ fiducia ueniam fecit, etiam si epistolium in uolumen accresceret. Dabis igitur ueniam, clarissime uir, mihi, qui nullo uitio sic fuerim importunus. Et ne ipsa excusatione committam adhuc aliquid eiusmodi, abrupto calamum. Valeas fauste ac foeliciter, humanissime uir, meique non immemor esto. Postridie Reminiscere, ex Aschaffenburg. Anno Dominicæ natiuitatis MDXXVIII.

CASPAR SCHVRRERIVS ORNATISSIMO VIRO,
uerbi diuini Mag. summo propagatori, Friderico Nausea, S. D.



Allem ego, mi Nausea, iam pridem tecum auspiciatam fuisse amicitiam, quando quidem illud semper exoptaue rim. Attamen uel nunquam occasio illius se mihi obtulit. Atque nunc fortassis maximopere conduceret, quando tua opera nobis opus est. Verum spero animum tuum constantior rem esse in Fabrum tibi uinctissimum, cuius res hic agitur, quam ut quicquam illius gratia, præsertim in suis rebus, recusaueris. Misit enim ad me pridem hos libros, quos hic cernis, ex Hungaria, ut tuæ fidei transmitterem Maguntiam, illiusque nomine te rogarem, quo cures per chalcographum, ut in publicum edantur, atque mature quidem. Serò autem uenerunt ad nos: quare uereor ego non nihil, ne tam mature sint prodituri, atque ipse uelit. Tu uero amici officio fungere, rogo: in eoque tibi Cochlaeum, uirum doctissimum, atque coniunctissimum Fabro, assume: simul efficite, ut is qui superiore anno Fabri summarium euulgauit, editionem illorum nunc etiam maturet: facturi rem gratissimam Fabro, & mihi, qui in hoc illius operam adiuui. Statim uidebis, mi Nausea doctissime, quantum reipub. huius ætatis sit profuturum, id quod ex argumento liquebit. Fac, ut sperat ille tuus Faber: ac effice, ut diligentiam tuam breui experiamur, tibi que multum eo nomine obligemur. Tuum prætere rea fuerit, ut uigilijs tuis et opera fiat, ne corrupte prodeant impressa. Vale, ex Schorndorff Sueuicæ, xxij. Feb. Anno Christi nati MDXXVIII.

HENRICVS CADUCEATOR AMPLISSIMO VIRO,
Theologo, consummatissimo, D. Friderico Nausea, Mag. ædi, à concionib. S. D.

I

Tria



Ria sunt, quæ raptim & tumultuanter tibi scribere uolui, Reuerende Meccenas, inter quæ primum omnium nescire te nolui, quarto post hunc die futura Comitia, ad eundemq; campū, in quo nisi à nobis strenuè fortiterque fuerit depugnatum, quid nisi infamem repulsam reportaturi simus, non uideo. Difficile munus, adeoq; durissima provincia est petere campum, adire comitia, ambire dignitatem, rogare suffragia, ad cuiusq; nutum se supplicem præbere, rigidissimæ demum temet censuræ submittere. Et ista quidem omnia adhuc dubiū animi, num uoti compos, an repulsam passurus sis (quod nolim) è medio discedentē expectare necessum est. Non raro intremiscere iam tum, & obstupescere occœpi, si quando hisce de rebus tacita subit cogitatio. Fretus tamen cum tuo, tum diuino consilio atq; auxilio, ab instituto itinere me diuelli non patiar. Quin manib. pedibusq; eò cōnitar, quò noster se fert animus. Nil interim deterritus laborū sudorisq; difficultatib. Omnia labore querūt, extra laborē à dijs nil cōceditur, ut eleganter Cicero refert; et ante hunc poeta græcus:

*Τῆς δ' ἀρετῆς ἰσθῶτα θεοὶ παροῦσιν ἔθικαν
 Ἀδύνατοι, μακρὸς τε καὶ ὄρθιος ὄμι' ἐπ' αὐτῶν.
 Καὶ τῆς χυρῆς ἡ πρῶτον ἰσθῆρ δ' εἰς ἀκροῦ ἵκηται,
 Πηδῆ δ' ἤσπειτα πῖλες, χαλεπὴ πόρ' ἔσσαι.*

Porro ad eum magistratum, quem proximè destinauimus ambire, scis nō solū exquisita quadā eruditione, uerū etiā expedita pecunia opus esse, qua destitutus si fuero, nō est quòd institutū honorē urgere cōtēdā. Hic uerò te, opt. max. patrone, ceu præsens numē alē qd adoro, imploroq; uelis ipse, qui possis, & nō nolis, Caduceatorē tuo manus auxiliarē porrigere. Ingenij mei pudorē ipse nō ignoras, uir eximie. Sed quò non adigit mortales, durissimū telū, necessitas: eo in loco res meę sunt, ut ni protinus habeam decem aureos (nam illos octo domi meę asseruo) tam perierit tuus cliens Caduceator, quàm extrema faba, quod aiunt. Veris. esse sentio iactatū illud, Vnde habeas querit nemo, sed oportet habere; habendū uerò est Vndecunq;. O si Deus aliquis, uelut ἀπὸ μηχανῆς, sese alicunde proferat, à quo quantū in præsens opus est, liceat accipere. Iā enim intelligo illud nō temerè dictum à Græcis, ἄνθρωπος αὐθιγῶτα δὲ μόνιον. Sed nemo in terris uiuit, de q; magis hanc spē habeā, extra te, nimirū & patronū beneuolentissimū et humanissimū. Præter cetera quæ in indispiscendo honore ueniunt expēdēda, audio integrū quoq; aureū domino Suffraganeo dari oportere. Cogitabā te opere precium facturū (de quo te etiam oro et obsecro) si hominē in tēpore precibus adortus, ut aureū istud nomisma uel pietatis officio permotus, remitteret mihi, impetrares; acciperet autē à cōpetitore, melius habēte. Nolo tamē, optime D. Doctor, ut priuato tuo incōmodo uel tātulū mihi pspicias. Plus satis enim molestus sum, cū te summum

summum uirum mei deprecatorē, in magnis negotiorum fluctibus tuis expeto, experiorq;. Secundo iam loco rogatum te uelim, ut eo quo cœpisti modo, gloriosissimam, nec unquam satis propè laudatam Virginē matrem, pijs concionibus populo cōmendare ac de prædicare pergas, ac præstes. Fieri enim nō potest, quin, cum fauentem habituri simus matrem, propitius sit & filius nobis futurus. Quod tu nuper piē iuxta & eruditē protuleras. Nec est quòd te à proposito dimoueat nostri seculi incommoda (sic enim malos poetas Catullus uocat) siue potius isti Mariomastiges, quibus in ore frequens est, Nausea facit matrem Christi Deam. Imò certè Dea est, à qua nobis tanta prodijt σωτηρία, utpote quæ nobis ἡρωτικὴν ἑσθλότητα ἔστηκεν ἡμῶν, καὶ τὴν κύριον ἑσθλότητα ἐγέννησε. Iā si αὐθιγῶτα αὐθιγῶτα δὲ μόνιον, quid uetat idem dici de uirgine matre? Quin potius uocetur à nobis θεοτόκος ἀγιοπάτη, παρθένος πάντων παρθένων, Ἰσομαχεῖα μήτηρ ἱλίου, ἡ δὲ δὲ σπασίνα ἡ ἡσθλότητα, & si quid est tam in latīna, q̄ græca blandiloquentia, qua nobis tantam conciliemus patronam. Occurrunt Mariomastiges; solus Deus adorādus, non creatura. Scimus, idemq; iuris uendicare usurpareq; nobis, minimè pudescimus; nec est (quantum commemini) pristinae religionis nostræ quisquam unquam repertus, qui Mariam adorādā, & non potius angelico blandimento salutandā docuerit. Facestant igit̄ ὅς κέρατος Gigan- tei isti, quibus non sat est, Virginem matrem, uerū etiam filium, mundi uniuersi conditorem, conuicijs incessere. Dixeris fortasse: Quid sibi uult, Caduceatorē ex Physico in Theologum mira μεταμορφώσῃ mutari? Dicā ingenuē. Ex orationibus tuis, quas tum latino, tum etiam uernaculo ad sacrum & profanum populum sermone habuisti, equidem in Virginē matrem piē adeò me affectū esse, ut quādo cūq; à ferijs studijs uacare licet, cōtinuēt in manus accipiā libellum græcè scriptum, quem uulgo Cursum beatæ Mariæ uirginis uocant: eòq; ita me affici, ut mihi uisum sit tibi idem libelli coemere, ne ipse, qui talium nobis rerum author extitisti, genitricem Virginem nō græcè mecum collaudes. Is libellus est quidem, ut existimo, bene conuestitus, mundeq; compactus: sed illud omnia supplebit, si grato animo suscipere non fueris dedignatus, id quòd ut facias, te grauisime domine Doctor, oro. Tertio, postremoq; te summè rogo, ut quos in artem dialecticam & rhetoricam libellos olim emisisti, ad me nunc in aliquod tempus uisurum, per herilem filium mittere uelis. Non refert, quòd mutilum iam sit exemplar, (ut nuper aiebas) dummodo legi potest. Illud etiam postremo precor, ne ob literas hæc improbe petaces, et Iliadē prolixiores, mihi succenseas, aut in molestia me habeas. Res fortassis ipsa sic nugari cōegit. Vale felix & faustus, die sabbati post Lamberti, Anno Domini MDXXVIII.

Præpositus, Clarissimo & Doctissimo D. Friderico Nauseæ, uerbi

Dei Magunt. Concion. S. D.



Etus est admodum & uulgare, ut qui amicorum literis serius responderunt, uarias & graues excusent suas occupationes, quibus se obrutos adfirmēt, nec mutuo scribendi officio fungi potuisse. Tu igitur cū eiusmodi, Friderice charissime, si tamen bene memini, statim initio sis usus, parum te probè excusasti. Ego certè tali excusatione proprus non uterer, nec etiam nunc utor, etiam si optimo iure id mihi liceat. Neq; enim fieri potest, ut etiam si plurima sint, summāq; simul negotia, non possit tamen aliquid amicus subtrahere tēporis, ut minimam epistolam conscribat. Quapropter ego nullas huiusmodi sum à te excusationes récepturus, quibus nec egomet, ut utar, mihi præscribo. Dices: exceptis unis, nullas in hunc ad me diem dedisti literas, & tamen quasi diligentissimus undiquaq; curato officio mecū agis. Est sanè sic. Sed quis istius causa? Nunquid meis proximis respondisti? Cum igitur ego tum tuas expectarem, tum etiam male haberem, quid scribere necessum fuit? Et tamen, nisi mihi præter opinionē meam misisses literas, omnino tibi scripturus fuisset. Sic ego soleo magnifacere meorum literas, sic ijs delectari, nil est mihi antiquius eo: ne mea negligentia causam det illi negligentie, cuius literas omnibus delicijs præferam. Sed ut aliquando mittam literas, monumenta ingenij tui, quæ mihi transmisisisti, maximopere me delectarunt. Dij boni quæ phrasis? Quis dicendi decor? Quam oratio exulta & nitida? Quam oratio pietatis plena? Quam catholicis & Christianis sententijs referta? deniq; quid non in illis, quod diuinum ingenium, infatigabile studiū, peccus uerè Christianum proferre possit? γυνεθλιακορ autem illud non solum his nominibus me delectauit, sed admirationem etiam mihi peperit, te hominem Theologiae deditum, tot laboribus obiectum, tot pijs negotijs obrutum, Musis etiam & humanioribus artibus cum tanto fructu laudēq; uacare posse? Non potui certe propter summam eorum carminum & suauitatem & elegantiam me continere, quin illos uerfus Homeri protinus exclamarem,

Μῆσ' ἀπ' ἀοιδῶν ἀννηκῶν ἀφθίμενοι τελέα ἀνδρῶν,
Οἴμης, ἦ τὸτ' ἄρα κλέθ' ἕρανδρ' ἐνρῶν ἦσαν.

Nec in hoc tantum hæc tibi loquor, omnes qui aderant (aderant autem nonnulli graues uiri nostri) talia testabantur. Maçte igitur tu, sic comparatur nominis immortalitas. Ego, qui semper à iuuentute Musis sum delectatus, ad hoc te cohortor, ut quoniam sic in his honestis artibus excellis, unà cum pij istius officij curatione studium

dium hoc non intermittas. Si uerò sepius istiusmodi carminibus me adieris, efficies me hercle, ut ego cum Musis postliminio in gratiam rediens, aliquid uicissim tibi sim concinnaturus, ac tibi missurus. Porro negotium fidei quod attingis, equidem quàm strenuum ueritatis propugnatorem te nobis iam pridem exhibueris, ac nunc maximis documentis exhibeas, non ignoro. Beatum uerò te, qui cooperarius ut uerè possis dici, mysteriorumq; IESV Christi dispensarius fidelis, meruisti. Referes aliquando coronam, de qua breui moriturus corpore D. Paulus, in martyrio se eam cōsequutum gloriae. Oportet omnino cōscientiam tibi esse lætissimā. Vulgus concionatorum, quid adhuc cum talento illo D. Iesus negociator factus, uelit, non tenet. Tu non solū te, sed omnes, eius ministerij siue negotiationis optimè peractæ testes habes. Nunc enim uerè tempus id dici postulat, ut turbulentissimum, ita miserimū. Quid enim miserius, quàm de uita etiam sua non esse tutū: sicut reuera neq; nos tuti sumus? Impendet nobis & fortunarū & salutis discrimen, hoc indies expectamus. Quancq; ego parum curo. Quicquid à me propter peccata Dominus exigit, id illi præstare paratus sum. Non me canescentes capilli mei, quo minus in utramq; aurem dormiam, impediūt. Vel uiuere, uel mori, uoluptas una est. Si uiuam, Domino uiuam: si moriar, Domino moriar. Ipse manet, & per ipsum ego, benedictus. Etenim sollicitum esse, nec ethnici quencq; unq; uoluerunt: tantum abest, ut Christiani propter infortunia molestemur. Horatius certe præclare inquit:

Prudens futuri temporis exitum

Caliginosa nocte premit Deus:

Ridetq; si mortalis ultra

Fas trepidat, quod adest, memento

Componere æquus: cætera fluminis

Instar feruntur. & reliqua.

Nec minus eleganter Sophista ille, σὺν τῶν ὑπὸ τῶν ἀριστοκράτων καὶ ἀγαθῶν ὄντων παρῶσι, καὶ μηδὲν ἀντὶ τοῦ ἀφόρητον οὐδεὶσσι. Verum iam epistolæ modum faciam. Vides enim, per me iam dudum præteriti silentij iacturam sarcitam esse. Tu, si uoles frequentè à me literas habere, frequentes mittito. Vale, meq; tibi deditissimum intellige. Auguste Vindelicorum, xxx Ianuarij, Anno M D XXVIII.

M. HENRICVS CADUCEATOR CON.

Summatissimo Theologo, D. D. Friderico Nauseæ,

summae ædis Magunt. Concion. S. D.



Ntibi, præstantissime Friderice, uerè ingenuæ indolis. adolescētē, triumq; liguarū apprimè peritum. Quem tibi ita commendatum cupio, ut maiore commendatione tradere non possim. Est Sebastiani Munsteri ex fratre nepos, genere Ingelheimensis, ac tantum non Maguntinus. De dit hic operam literis sub magistro Conrado in æde summa, annis ab hinc tribus, quo tempore Hebræa expeditius legere, quàm ego latina, callebat. Interim nō modò apud patruū suum Munsterum, sed & Viennæ sub doctissimo præceptore, Ioanne Brasicano, tam in græcis, quàm in hebræis literis mirè profecit. Nunc autem patriam cum reuiserit, cuperet hoc quicquid est hyemis reliquum hic transigere, nisi inopia (durum telum) esset ipsi impedimento. Roga uit itaq; si aliqua conditione (quo commodius hyberna hic agitare queat) ipsi prodesse possem, ut facerem. Succurrit autem mihi, quod tu anno superiore mecum es colloquutus, te promptissimo quidem animo, & græcis & hebræis literis aliquā dare uelle operam, si bonus ille sit, qui docere possit. Proinde tu, si adhuc eius es animi, ecce adolescentē satis doctum, & modestum, Non aliud expetit, quàm expensam & hospitium. Potes sanè hoc homine, tuo arbitrio, commodè uti. Loquere illi, comperies facilitatem extemporalem in sermone Latino, quam equidem paucis hac ætate adolescentibus concessam, sum expertus. Faceres haud dubiè non contemnendum operæ precium, si indies ab eo duas, aut plures horas in græca simul & hebraica linguis audires, adeo que tam exili precio: aliud enim præter uictum non postulat. Quicquid autem citra tuum incommodum facere potes huic, pergratum mihi futurum est, si id facere dignaberis. Vale, ó & præsidium & dulce decus meum. Postridie Thomæ, Anno salutis Mundi MDXXVIII.

GVLIELMVS GVTEYMERVS SACRÆ PAGINÆ

Doctori præstantissimo D. Friderico
Nausea, S. D.



Nos ad scribendum compulerunt, magnifice, idemq; eruditissime Doctor, singularis ingenij tui candor, & erga præstantes doctrina uiros fauor, morum uitæq; celeberrima puritas, deniq; docta quædam pietas: quibus heroicum illud tuum pectus sic decoratum spirat. Sed nolo uirtutes tuas Christiano uiro tam dignas persequi, uel commemorare. Tanta dignitas earum est, ut satis laudari non possint. Illud saltem persequar, uelis illarum fructum mihi quoque communicare: communicabis autem, si non frustra me ista petiisse, expertus fuero. Peto enim, ut in tuam noticiam, fauorem & amorem me recipere non dedigneris: ut hoc factò, me facilius hic continere, uiue-

re,

re, manereq; possim. Nihil est certè ad captandam beneuolentiam hominum æquè efficax, atq; summis uiris placuisse, eorumq; conuictu uel amore palàm cōmendari. Quicquid ego prestare potero, siue sit id in officio, siue in studio, operaq; , faciam omnino, ut nō in dignum ista me beneuolentia, clarissime Doctor, aut humanitate sis intellecturus. Nam de eo, quod aliquot adolescentes nobiles mihi instituendos tradi cupiam, posthac sententiam operamq; tuā expectabo. Videor enim mihi prouinciæ satisfactorius esse, & experimento postea docturus, à me fideliter & bene eruditos fuisse.

Γλωσσα μὲν ἀνθρώπων φιλοκέρτομος, ἣν δὲ σιωπῆ
ἔργου ὄπορ τολιέτις, ἣν ἔιδόθισιν ἀκούει.

IΩ. ΧΡΥΣΟ.

Ἐχρη τὴν σιωπῆν ἡλικία κρινόμεν, ἔδε γὰρ παρεσβύττω ἀπὸ τῆς πολιάς δυνάμει μάλιστ. ἔφησσο.

HERMANNVS SCHOTENNIUS HESSVS

Eruditissimo uiro, D. Doct. Friderico Nausea, sum-
mo Magunt. Concionatori, S. D.



Rouerbio ueteri dicitur, bona nomina nonnunq; fieri mala, si nunq; interpelles. Debitores certi, incerti red- duntur, si non creditor identidem appellauerit. Amicitia intermoritur, si silentiū inueterauerit. Quamobrem uide, mi Nausea, quid commiseris, qui totum annum absq; tuis literis præterlabi passus sis, cū tamen à me epistolam circa Pentecostes festum per Dominum Eberhardum Decanum receperis. Sed omnis hæc iactura sarcietur, si adhuc me de tua ualitudine certiorè feceris, quā ualeas, quid coneris, quid efficias? Satin sanè? Quod si necdum uoles, ego tamen nihilominus te colere non intermittā, semel patefactas ad amicitiam tuam fores frequentare non desistā. Velis nolis, me tuarum laudum candidissimum buccinatorem cognoscas oportet. Atq; in hoc non dissentiunt labia à præcordijs, concordat scriptio cum mente, lingua cum pectore: breuiter, ex hoc meo promptuario, omnia sincera à me promūtur, citra quamuis, omnino turpem bono uiro, simulationem. Eruditio tua illa interior à nemine nō paulo mitiore suscipit, à me & suscipitur & amatur, amabiturq; quoad uiuam. Noui, quod scriberem, hoc habui præcipuum: pridie diui Michaelis igne sumptum esse supplicium hic Coloniae de duobus adolescentibus, altero græcè & latinè docto: quod Lutheranae factioni fauentes, ecclesiae obedientiam, ac iugum, quasi effrenes equi, excusserint. Tu, optime Nausea, optime uale. Et si quis apud te locus uacat, rescribe, me uerò amicorum iam interiorum albo adscribe. Coloniae, iij Cal. Nouemb. Anno post natum Christum MDXXVIII.

Valen-

VALENTINVS TETENLEBIVS DOCTOR, EXIMIO
uero, D. Friderico Nauſeæ ſummo Mag. Con. S. D.

Lteras tuas, uenerande Friderice, legi, diligenterq; curaui, ut reſponſum tibi ab illuſtriſſimo Principe redderetur: quemadmodum & redditū eſt. Quod enim ad reliqua deſideria tua pertinet, diſfertur, ob perturbationes & tumultus, qui ſunt hic plurimi. D. Ioannes Fabri, Catholicam tuam ſereniſſimo Regi Ferdinando præbuit legendam: qui librū magna ex parte legit: & is quā Maiestati ſuæ placeat, ex literis D. Fabri intelliges. Ego de munere, quo me donasti, gratiam habeo: daboq; operam, ut gratitudinem meam uiciſſim memoriāque experiare. Vale, meq; tibi commendatum ſemper habe. ex Spira, ult. Martij, Anno poſt orbem redemptum MDXXVIII.

IOANNES FABRI, ACERRIMO CHRISTIANAE
fidei propugnatori, Friderico Nauſeæ, S. D.

Munus tuum Regi noſtro tam gratum fuit, ut nil gratius. Multum certè tuo iſto in reſpub. Chriſtianam animo, meritoq; ipſius animum tibi deuinxisti. In hoc enim opere uel ingenij foecundiffimas uires, uel doctrinae ſummam magnitudinem uidere licuit. Amat autem ille talis iudicij meritq; uiros uel maximè. Nil poteſt his hominibus illi prorsus unquam eſſe commendatius, hos amat, hos uerè regia mente proſequitur: & in quibus ſaltem poteſt, his gratificatur, præſertim cum non ſolum docere, ſed etiam propellere hæreſes conentur, ea doctrina propellantq;. Nec eſt neceſſarium ita tibi multis comprobare. Satis reſ præſens habet in ſe teſtimonij. Quinquaginta nāq; aureos, pro antidono tibi perferendos puero tuo dedit: exoptans, ut hoc tempore grato ſuſcipere uelis animo, longe maiora ſucceſſu temporis ſe tibi daturum pollicens: in quo ego, pro mea in te bene uolentia, ſidus ſollicitator ero. Suspicionē fortaiſis ex mea taciturnitate tibi rectè concipere uideris. Verum poteſt ipſe quoq; coniecturare, quid faciat, ut in ſcribendo ſim negligentior. Negotia certè nullum mihi propè ſpaciū, quod ad hæc officia conferre poſſim, præſtant. Quare tacentem quoq; Fabrum pro te ſollicitum eſſe, uelim ut poſthac exiſtames. Vale, ex Spira, prima Aprilis, Anno MDXXVIII.

IOANNES COCHLAEVS CLARISSIMO VIRO, D. FRID.
Nauſeæ, in ſigni Theologo, ſummoq; Mag. Con. S. D.

Mnino tres à te accepi epiſtolas, eruditiffime D. Nauſeæ, poſtea quā à uobis abſui. Nunc ad poſteriores tantum reſpondebo. Quanquam mei fuit officij, iam pridem reſpondiſſe, ſed nunquam tutum fuit, nec integrū id facere. Nunquam habui certum iſthuc nunciū, ſubitaneo autem cuiq;

tem cuiq; committere, q̄ ſit periculofum, uel ipſe poteſt ex te exiſtimare. Nihil certè nunc à malitia fraudeq; peſſimorum hominum eſt tutum. Ante omnia rogo ac ſuadeo, ut perdures illic, donec certum acquiras pro ſenectutis reſquie nidulum. Iam multis tibi annis ſeruiſti, nemo te beneficio indignum æſtimare poteſt. Inuidia certè quorundam nō ſemper habebit locum, merita tua cuius odio occurrēt. Tragediæ illi uide ne te cōmittas ac immiſceas, noſti, q̄ inſida ſit quorundam promiſſio. Non omnib. cōfido: quia delatores multi ſunt, qui uel bona uerba ſiniſtrè interpretātes, alio deſerunt. Ego certè multum fui anxius, propter imminentem illam tragediam. Ieniebat tamen anxietatē ſpes quædam pacis. Ipſi uiderint. Nos quod noſtrū eſt, agamus. Rem tenes, credo. Symbolū Catholicorū tuorū, nōdū uidere potui: licet iam pridie cōmiſerim cuidā Lypſenſi bibliopole, ut mihi tranſmitteret. Gratulor tibi ex animo, nobiliſſimi ac potentis. Regis FERDINANDI gratiam, quā tamē ad maiora ſe extenſuram tempore ſpero, ſi quando Deus illi pacem ſuſceſſumq; dederit. Si qua detur oppoſitum centurie ederentur. Cum enim ~~_____~~ Catholicis aliquam conſcribam Poſtillam, ne etiam in hac parte hæreticis cedere uideamur, ille ſatis ad hoc nomen ſufficiunt. Vtinam uero una ſaltem hora poſſim tecum loqui, de omnibus quæ uelim, inuidit enim hoc mihi nūcij properantis inimica celeritas. Apud uos autem diutius commorabit, ut omnia quæ uelis, ex animo mihi trāſcribere poſſis. Illud enim accedit, quod certus eſt ac fidelis, nec in ullo male fidei prorsus unquā conuictus. Scripſi nuper ad CVSPIANVM tuum, ſed fruſtra: nam deſunctus eſt. Itaq; nūcius retulit mihi literas meas. De eo præterea gaudeo, quod bene tibi cū Fabro eſt, licet hominem nō bene cognorim: ſed quia tu cum eo apud Cardinalem Campegium multū eſ uerſatus, & amicè de eo ſentias, ſcribas & prædices, adducor & ipſe, ut optimū uirum eſſe exiſtimem. Ex Anglia toto hoc anno nullas accepi literas, exceptis unis à Reuerendiſſ. noſtro Domino Card. Campegio. Sed eæ plus mihi moleſtig quā uoluptatis attulerunt. Niſi quod hoc uno delectabar, me manum optimi uiri, patroniq;, de noſtra Germania optimè meriti, in me etiam beneficentiſſimi, uidere. Pro cuius ego ſalute, preces, ut debeo, fundere non deſiſto. Si enim hic nobis eſſet à Deo uir ademptus, proculdubio miſerè ſimul ab aduerſarijs noſtris periclitaremur. Lutherani non cogitāt, quomodo noſtra ſcripta redarguant. Credo ipſos reſpondere nō poſſe. Ludūt enim ſaltem, uicq; agūt, ut poſſunt. Deus auertat, ne in manus eorum incidam. Si tam en ei placuerit, ut illis tradar, non reuſo: ſaltem cuſtodiat animam meā, ne conſentiat eorum dogmatibus hæreticis. Corpufculum ſanè nō curo. Septiceps iam ter teutonice pictus eſt, ſemel latine: ad omnia nil reſpondent, niſi quod ediderunt ſeptem cochleariū picturam. Scri-

K pſit au-

psit autem quidam è Lyplia, eos septem nates, pro septem nostris capitibus edituros. Ludant ut uelint: non eis, sed Catholicis scribimus. Dabit Deus his quoque finem. In nundinis complura uidebis, ut spero, nostra opuscula. Vsq; adeo me non terrèt ipsorum improperia, illusionesq;. Dux & Dominus meus optimè ualet, Deo sit gratia: et prudèter omnia disponit, edificat egregiè, machinas quoque bellicas ubiq; disponit. Mirā profectò uideres dissimilitudinē, sub duobus principib; in una eadēq; gente. Nam in terris Ducis Electoris, homines in omnib; decrescunt nō solū in religione, sed & in cunctis bonis. In urbibus autē, aut nemo, aut paucissimi edificant, nullę aut modicę negotiationes, domus & agriuili precio uenduntur. In terris autem ducis Geōrgij, ubiq; indies maior conspicitur Dei benignitate profectus. Domus, quę anteā trecentis aureis uix aestimata fuisset, nunc estimatur DCCC aut mille aureis. Similiter in hortis, agris & syluis. Credo equidem in sola Dresda plus hodie impēdi in ædificijs, quàm in decem maximis, imò in omnibus oppidis Electoris. Et putant nonnulli solas domos Dresdę circa forum plus ualere quàm totam ciuitatem Grymm, quę una de amplissimis Electoris urbibus est. Nostri ieiunant, dies celebrant festos, reddunt Deo quę Dei sunt, honorant presbyteros: ac hinc ea consequuntur, quę Lutherani multo sudore & cruore uix consequi possunt. Videtur quidem Elector aliquanto audacior post Spireñ, conuentum, sed credo, quod cor eius trepidat, ac intus palpitat metu mortis que conscientię. Lutherus autem adhuc prædicat Vuittenbergę: Sed authoritas eius est longe minor apud barbaros, tamē adhuc præ ualet in septentrione. Audio quoque Prusiam iam tepescere ad eiusdem nouitates. Sed longior sum, quàm permittant occupationes tuę. Fac quęso, ut multa mihi rescribas, summatim: de Cæsare nostro in Italia, de Card. in Anglia, de Heluetijs & urbibus Rheni quę quid habetis noui, breuiter. Bene uale clarissime, plurimūq; obseruā de Nausea, salutaq; meis uerbis amanter & amicè D. Licentiatū S. Stephani, Ioannē Spengler, & alios. Illud ignorare me nolim putes, quod multū tibi debeam pro beneficijs, quę confers in matrē meā, nepotemq;. Ex Dresda, x. Iulij, Anno salutis MDXXIX.

ALBERTVS ORDINATIONE DEI SACROSANCTÆ
Rom. Ecclesię Pr. Card. Archiepiscopus Magunt. ac
Magdenb. Friderico Nausea suo, S. D.



Honorabilis, erudite, dilecteq; noster: nunquam nobis è memoria excefferunt, quę de cōcionibus tuis imprimēdis primū ad nos, deinde etiā ad uenerabilē fidelemq; nostrum VALENTINVM TETLEBIVM Præpositū scripsisti. Quod enim rem silentio præterierimus, temporis est factū uicio, quod rationem commodam ad peragendum impressurę negotium

gotium istud non haberemus. Nunc igitur, quū de doctrina concionum istarum nō ignari simus, & optimum uideatur, hoc opere diutius non morari, uoluntatem nostram tibi declaramus et offerimus: Ita tamen, ut si quid in illis concionibus residuum sit, quod disputabile, uel institutioni ueteri nobis per manus traditę contumeliosum uideatur, quanquam non esse existimamus, id uel corrigere, uel tollere uelis. Præterea quoque titulum, qui non istius dictionis Homilia, quod hæc à ueteribus uariè sit usurpata, siue iam sit ille concionū siue sermonū, libro præfigere. Postremo etiam, de modo impensisq; in impressurā dispicere: nos ut clementi pietate te iuxta et rem laudabilem prosequuti uideamur, faciemus. Vale.

LVCAS A ROSENAV CANONICVS MAG. CLARIS-
simo uiro Friderico Nausea, Magunt. Concionatori, S. D.



Quam ignominiosum sit, quamq; malè apud omnes is audiat, qui benemerenti uel non respondet, uel beneficiū non agnoscit, ut nemini ignotum, ita mihi præcipuum fuit, quod ad te scriberem. Quantum enim officij mihi præstiteris in hoc, quod Zasio me Friburgū petentem cōmendaris, qui legalis scientię unicū est asyllum, dici non potest. Ex quo, cum ille me miris modis amet & cōplectatur, intelligere possum, quantum cōmendatio tua apud ipsum ualuerit, & quàm multum tibi debeā, qui tali humanitate officioq; nos nō dedignatus es. Cū igitur in præsentia gratitudinem testari aliter nequeam, quàm uerbis agēdo gratias, id facio sanè, tibiq; eo nomine maximas ago gratias, perpetuò me relaturū promittens, si quando uicissim tibi gratificādi occasio se mihi dederit, ac obtulerit. Porro quod Zasius nunc ad te nil literarū mittit, aduersa ipsius ualetudo in causa est, quę ipsum non tantum priuatis, sed etiā à pub. negotijs ac lectionibus iam per aliquot tempus abstraxit, & hoc ut tibi significarem; mihi commisit, te nomine ipsius salutans. Vale uir ornatissime, meq; tibi commēdatum habe. Friburgi Brisgogię, VIII Idus Mart. Anno post orbem saluatum MDXXIX.

IOANNES FABER ORNATISSIMO AC DISERTIS-
simo uerbi diuini Mag. Concionatori, D. Friderico
Nausea, S. D.



Recte pro officio tuo facis, mi Nausea, quod cum uideas in nostris Comitijs inopiam esse eorum qui inter acerrimos hæresium propugnatores pietatem pristinam ex Dei uerbo in publicis cōcionibus asserant, te ipse ultrò ad preces meas in hoc munere fungendo institui cupis. Illam animi tui constantiam satis commendare non possum. Gratius nil præstare potuisses non modè nobis, uerū omnibus, quicunq; Christianę religionis

tuendæ desiderio tenemur. Cum Maguntino eam rem cõtuli, commendat plurimum, hortaturq; summopere, quàm maturissimè ut fiat, antequam Principes è cõuentu discedant. Quare si nostro consilio parere uis, breui, atq; adèd in triduo ad nos uenies: aut non diutius aduentum moreris, quàm ut proxima dominica lubilate uerbũ Domini nobiscũ in mentes piorum inferas, facturus rem multis nominibus immortalẽ, tum uerò mihi in primis gratam: tandem me reperisse, qui Atlantis fessi uices supplere, humerosq; suos huic oneri supponere uelit. Ita uerò te munias, ut nõ unam aut alterã concionẽ habere, uerũ frequẽtius quotidie nobiscum declamare queas. Ita namq; plurimum Reipublicæ Christianæ cõferemus. Vale, ex Spira, XI Apr. Anno MDXXIX.

GEORGIUS HAVERIUS, DOCTOR. D. ET ECCLESIAE S. MAU. INGOLST. PASTOR UENERABILI UIRO
Friderico Nausea, S. D.



Vam sim erga te affectus, quamq; te amem, doctissime Nausea, testis esse potest mihi M. IOANNES GOTZIVS, ut qui non semel à me de te prædicationes audierit eo nomine, quòd immerentem me sacerdotium Bambergensium. quoddam tua opera consequi feceris, & signaturam ad me Ingolstadtũ usq; miseris. Pro qua sanè re licet tibi adhuc gratias non egerim, ut debueram, memorem tamen animum & gratum erga te perpetuò seruauit: ac occasionẽ expectaui, qua sic me cogitare, tibi satis & abunde declarare ac testarer. Interim scripsit mihi ex Bamberga Gotzius, ut suo nomine tibi scriberẽ, & quàm diligentissimè, licet serò, pro accepto tamen beneficio gratias agerẽ. Quare tibi maximas et immortales ago gratias, & habeo, quod me nihil à te tale meritum amicitia ac beneficijs ultrò prosequi nõ dedignaris. Faciat Deus, ut uicissim tibi gratificandi, meãq; gratitudinẽ probandi, mihi occasio, seu tempus existat. Sic efficiã, ut non ingrato præstitisse beneficium intelligas aliquando, si his rationib. eum promouere ut cœpisti pergas. Ipsum quidem maximis officijs tibi planè deuincturus es, me uerò tibi adhuc lōgè deuinctiorem factum intelliges. Quicquid enim in ipsum officij cõtuleris, in me collatum existimabo. Vale, ex Ingolstadtio, XVIII Ianuarij. Anno Dominicæ natiuitatis MDXXIX.

VVEYGANDVS DEI GRATIA EPISCOPVS BAMBERGENSIS. Friderico Nausea, S. D.



Euereude, erudite, fidelis, dilecteq; noster, accepi, te cum uenerabili, docto, dilectoq; meo in æde diuæ Virginis Bambergensium, concionatore IOANNE GOTZIO, quo cũ de Vicariatu S. Andree in summo dissenferis, iam conuenisse, nec in alia re scrupulum residere, nisi quia expensas aliquas ab eo

ab eo preberi tibi desideres. Quamobrem à te cupio, uelis in meam gratiam commodum istud negligere, plenamq; possessionem D. Gotzio concedere. Faciam enim uicissim, ut hoc in clementi memoria mihi positum experiri possis. Vale, ex Bambergæ. postridie Natiuitatis Mariæ. Anno Dominicæ incarnationis MDXXIX.

IOANNES COCHLAEVS CLARISSIMO VIRO
D. Friderico Nausea, Magunt. summo Concionatori, S. D.



Iteras tuas, optime & humanissime Nausea, datas Maguntia XVIII Iulij, triduo antè Fribergam rediens ac cepi, per nuncium Principis mei. Cæterum Catholica tua, & cæteras literas, quas te mihi misisse scribis, nõ accepi. Perditissimus nebulo quidam, ut ex tuis nepotisq; & aliorum literis intelligo, grandem literarum fascem interceptit. De Centurijs tuis diligentissimè curabo, ut in tempore editionem paremus. Tu quoque interim meliorem rationem circumspece. Panegyricum uerò Deiparæ Virginis libenter ac reuerenter suscipiam, consuloq; ut eum des Gregorio Iordano, aut illi noto Ioanni Lochmanno. De Lotterone scio quid scribam: optima quidem uerba profert in faciem, uerũ nil hactenus impersit mihi, quod nec magnopere petiui, quia nolebat unicã expensarum partem subire. habet etiam officinã Magdeburgæ, ubi Lutheranißimus est populus: Lypsia tamen imprimit quendã librũ Principi meo. Consulo igit, ut Panegyricũ ad me clausum trãsmittas, idq; per Gregoriũ Iordanẽ. De D. Ioãne Fabro nil certi possũ scribere, diu enim nullas ab eo accepi literas. Scripsit nuper è Buduicio Boemiæ ad Episcopũ Vratislauen. Turcã ingenti exercitu è Cõstãtinopoli Adrianopolim usq; profectũ esse, quòd à nouo Rex Persarũ ipsi bellũ indixerit. Hispanos autem grauitè in Croacia, Turcos cecidisse. Quòd scribis Card. Campegiũ re infecta ex Anglia domũ redisse, gaudeo. Dolebam enim, tam probum & integrum uirum inuolui negotio tam improbo, & scandaloso. Quare scãdalũ illud iam integritate ipsius sedatũ, sublatumq; spero. Vale feliciter. ex Dresda, XXVII August. Anno domini MDXXIX.

SANCTISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO, Dn. Clementi septimo, diuina prouidentia S. R. E. Pontifici Max. Albertus Archiep. Maguntinus.



Beatissime Pater, ac clemẽtissime Domine, post beatorũ pedum oscula. Cõcessit annò superiore S. V. de sua clementia, mihi facultatem conferendi unũ Canonicatũ & unã præbendã Ecclesiæ Beatae Mariæ ad Gradus ciuitatis meæ Maguntia, quæ mense mihi deputato uacaret. In huius facultatem, uelut & uim, cum Ioãnes Iacobus Leystus esset mortuus, & ipsius Canonicatus & præbend. uacaret, eam possessionẽ mense

ordinario dedisse me dilecto meo, ac equestri genere procreato, VALENTINO TETENLEBIO, S. V. non ignorat. Cum enim dictus Valentinus cuperet in hac possessione perpetuo confirmator manere, S. V. promissionem obtinuit. Hoc igitur etiam iure, cum alius quidam Mense Septemb. decesserit: ac eiusdem Canonicatus uacaret, Conradi Hertelii dicti, uigore perpetuo contuli beneficium istud FRIDERICO NAVSEAE, uicaria Ecclesiae Maguntinae. meae, quae praedicatorum est annexa, habenti: uiro propter multa merita, & zelum, quae in fide Catholica, sanctaque Romana Ecclesia habet, multis modis probato, officium suum Praedicatorum diligenter ac fideliter faciendo, sectamque Lutheranorum modis omnibus (ut ipsius egregie facta dictaque multa declarant) extinguendo, profligandoque. Decuit enim, ut talis uir statum suum decentius ac melius teneret, ipsi potissimum esse conferendum. Vaga autem relatione ad aures meas peruenit, quaedam Martinum Siederum se iactitare, ius ad istum ipsum Canonicatum & praebendam S. V. habere. Cupiens igitur ego Friderico Nausea succurrere, ipsumque in huiusmodi beneficio confouere, propter scandalum ac tumultum, qui forte propterea possit existere, recurro ad pedes S. V. humiliter supplicando, dignari uelit in hac factum meum ratum esse, Canonicatumque eum, cum praebenda. Friderico Nausea confirmare: praesertim, cum Canonicatus ille ac praebenda, parum aut nihil absenti conferat, ad Praedicatorum autem sit accommodatissimus. In hoc faciet S. V. rem Deo gratam, ipsi Friderico summam, & mihi admodum acceptam, uicissim de S. V. Sed et Apostolica promerituro. Ex Aschaffenburg, cum ualedictione, &c.

MARCVS ABSTEMIVS FRIDERICO NAVSEAE, S. D.



Accepi, NAVSEAMI, literas quidem tuas emunctissimas, una cum altera operis tui parte, quae me mirifice delectarunt, cum praecipue nostri mirificam mentionem feceris, longeque aliam, quam expectaram: facturumque, Deo annuente, breui in tuo quodam Opere nuper edito polliceris, multo nobiliorem. Quae omnia nunquam e nostro pectore sunt elapsura: & prius Clotho dirupet nigra stamina, priusque spiritus hos deseret artus, quam mihi sint excisura. Verum multas laudes mihi transcribis, quas ego minime agnosco: nec sane placeo mihi, sed (ut Erasmi utar uerbis) tu mihi uates lauro digne places, qui uiribus ingenij possis elephatum de musca reddere, nihilque attollere cristas, nec solum instar Caesaris, legere, scribere, audireque, uerum & instar Marij Phil. ne alios ex praeceptis aut modernis (nam aliud est historiam, aliud epistolam scribere) persequare: triginta pariter argumentorum genera uno eodemque tempore singula singulis hominibus, polles reponere. Sed quod solae paruo lumine illustrare, quid nostris ineptis, literis te laudibus extollere

extollere conor? Quod si fata sinent, te officio decertasse priorem non poenitebit. Hortaris, ut uerum uelim agere Theseum: sed heus? Quid Dauus cum Oedipo? Quid iuris ignarus cum iurisprudētissimo? Quid Abstemio cum Nausea? Cum plurimum apud me ualuit tuus hortatus, qui, etsi eram non paruam industriam nauaturus, ne Paratitla tua negligentius impressa in manus hominum prodiret: tum tuam nos emunctissima epistola multo etiam reddidit alacriores, qui, quidem hortatus adeo potes est, ut non solum homines, uerum canes, equos, & id genus αλογα, reddere queat alacriora. Sed quid graecor: cum, ut Persij nostri, uerbis utar, nec ponere lucos artificem, nec rus saturum laudare ualeam. Quid si πλανήτας? Sed quid persequor? quae digressiones: quod monstrum ridendum? quae somnia egroti fingo? Scis bene, cui dicam, positis pro nomine signis. Quid ais Mar: hoi, non labellum digito, sed digitum labello compeste. Vale, Latinorum pariter & iurisperitorum decus, nostrumque Decastichon propediem expecta. Venetijs, Cal. Iun. Anno salutiferę incarnationis MDXXIII.

IOANNES FABER DOCTISSIMO
D. Friderico Nausea, S. D.



Mi Nausea, ne arbitreris necessitudinem meam esse interruptam, ob tam diuturnum silentium, has ad te scribere placuit. Nam Iustus meus ex Hungaria rediens, quod multo eum affeceris honore, & modis omnibus commendatum habueris, significauit. Quare scias, te mihi rem gratam fecisse, & ego tibi in posterum ad omnia proptus ero, ad quae meam operam sis imploraturus. Ne longior sim, iubet egra ualido. Itaque ualeto. Datum Graecij Stiriae, XVIII Junij, Anno dñicę incarnationis MDXV.

OTTOMARVS STABIVS ERUDITISSIMO VIRO
Friderico Nausea, LL. Doct. S. D.



Nimum tuum, Doctor excellentiss, erga omnes studiosos benignissimum semper perspexi: erga me uero, nescio qua singulari beneuolentia detinear. Quamobrem Doctor, & idem Praeceptor amantissime, meum erit eniti, ut hunc amorem non irritum faciam, & ne spem de me conceptam refellam. Partem orationis nostrae, quam hesternodie oculis tuis exhibuimus, (si commodum fieri possit) mihi remitti uellem, ut emendarem: aut si tu id fecisti (quod omnino factum uellem) gaudeo, est enim plane sterilis & inelegans: neque mirum, cum tot lectionibus quotidie sim obrutus. Videbo tamen, ut aliqua ratione possim illis hominibus, qui fortasse nouum aliquid sperant, satisfacere. Tibi autem, nisi uiuam, profectio mea omnia debeo. Quantam etiam nunc uitae meae partem tibi debeam, referrem, si non Gnathonem magis me, quam ueriloquum suspicari posses. Precor autem tibi, secula ut liceat superare plurima, & optimam ualeas, ex aedibus meis, &c.

PRAE

PRAESTANTISSIMO VERBI DIVINI CON-
cionatori, D. Friderico Nausea, Helmannus
Lector, S. D.

Fiximie Domine D. peto, ne grauius feras, quod te pluri-
bus epistolis occupo. Nam beneuolentia tua, quam in
me satis haecenus perspexi, totum hoc apud me fecit. Ce-
terum audio te aduersus Lutheranos, de sacro Missae ca-
none refutationem confecisse. Quapropter eo nomine tibi gratu-
lor, & omnes pastores pariter gratulari debent, cum habituri sunt,
quo Lutheranis os obstruant. Rogo uero, ut eam refutationem mi-
hi primo quoque tempore transmittas. Literas, quas mihi ad magnifi-
cum Dominum Gorritium in curiam Romanam dedisti, adhuc in-
tegras & illaesas habeo. Nec uideo quid faciam, nisi tu mihi praescri-
bas. Postremo gratias ago maximas tibi, quod me contra aduersarios
meos egregie defenderis. Id enim ex multis meorum cognoui, faciam
que ut beneficii non ingratum me aliquando sentias. Deus uale-
tudinem tuam conferuet. E. Fridbergo, pridie Nonas Iulij, Anno
Domini MDXXVII.

MICHAEL HELDINGIUS ORNATISSIMO VIRO
Friderico Nausea, L. L. Doct. consulijs. S. D.

Aprandio hodie te adire constitueram, Nausea clarissime
a quo consilio me utriusque nostrum ratio abduxit. Nam
& te concionis craftinae studio occupatum teneri arbi-
tra bar, & mihi per certas occupationes abire domo non
licebat: sed ut tuo tamen utar consilio, ut uolebam, & minore te mo-
lestia onerem, per literas animum meum tibi aperiam. In coena
Domini, concionem de Sacramento habendam esse parrocho Cho-
ri ferrei, non ignoras. cum laborem ego decreui meis humeris im-
ponendum, collecto in id tumultuario sermone. Sed ita decreui, ut eam
sententiam ad animum tuum aut tenerem, aut abijcerem. Tu & me
nostri humanissime Patrone, & eius laboris modum non ignoras.
A tuo iudicio totus pendeo: sic tamen, ut si calidum nimis hoc me-
um consilium putes, ad te tanquam ad sacram anchoram confugi-
am. Neminem alium extra te haec urbs mihi dabit, cuius humeris
imponere hoc onus recte possim. Puto enim iam eidem negotio te ali-
quam operam locare: quare de eadem materia, meam quoque uicem
facilius perferre posses. Tenes, opinor, totam rem. Hanc noctem de-
liberationi tuae trado. Cras ad te, capturus consilium, ueniam. Sed hoc
celari totum cupio diligenter, ne aliquid emanet, quod minimè opor-
tet, neque uelim. Vale humanissime Patrone, et me inter clientes tuos
recipe, qui te iam dudum & parentem & patronum obseruandum
animo meo delegi. Mag. XXVIII Martij, & c.

MICHAEL

MICHAEL HELDINGIUS HUMANISSI-
mo D. Friderico Nausea, S. D.



Micritiam non magis, quam uirtutem, propter molestias
esse fugiendam, nosti e Cicerone. Quare rursus me tibi
obstreptem ferto. De sermonis breuitate recte iu-
bes, & quod dici solet, memorem mones. Nam quod ue-
reri me scribo, ne inuitus claudam, non prolixitatem minor, sed ha-
sitationem meam metuo. Extremam concionis clausulam uolebam
post illud, Dar zu helff, &c. nempe qua parari aditus ad confesio-
nem generalem solet, & ipsam etiam confessionem adscribi, om-
nemque prorsus finem cupio. Vale, & cum per otium hodie potes,
meis uotis obtempera. E. Scholis nostris.

MICHAEL HELDINGIUS INCOMPARABILI
uiro, D. Friderico Nausea S. D.



De tuis imaginibus, eruditissime NAVSEA, multa conij-
cio, nec quicquam tamen assequor. Palladem ex insigni-
bus agnosco: alterum esse Iouem puto, pede innitentem
mundo. Tertiam Iunonem, astantis turris persuadet, que
potentie & regnorum dea est. Sed quid nudus Iupiter: & obscenè
nudus? Nisi significationem habeat, quod uxori nudus est, tectus Pal-
ladi: nudus, qua parte uxor illi adest: honestior & tectus, ea parte
qua mundum uoluens, adiunctam habet Palladem, eandem armo-
rum & prudentiae deam. Sed nihil haec omnia: una mihi Pallas certa
est. De Ioue, de Iunone dubito: nec ullam apud me coniecturam in-
uenio, qua audeam tui similibus, hoc est, eruditis prodere. Si tamè ali-
quam tu mihi subieceris, non grauabor eam pro uiribus, tua causa
carmine complecti. Nam sic de me tibi persuadere debes, nihil tam
esse magnum & abiectum, quod mihi tua causa non iucundum &
honestum uideri debeat. Vale, XXVIII Maij.

MICHAEL HELDINGIUS ORNATISSIMO VI-
ro, Friderico Nausea, Magunt. Concion. S. D.



Ametsi ea animi bonitas, quae in te est, humanissime Do-
ctor, suam haecenus laudem apud omnes sic obtinuit, ut
parum homo esse, qui idem benignus non sit, ipso uoca-
bulo ostendatur: tamen mea importunitate fieri potest,
ut tuae humanitatis poenitere te possit: qui semel tuam expertus in
me benignitatem, nunquam te interquiescere patior. Sanè nunc in-
uitus tibi molestus sum. Sed nosti inutilem esse indigentem uerecundi-
am. Repulsam meam apud Dominum Ioannem Ottonem, ad D.
meum Scholasticum retuli. Qui quasi sacram in hac re anchoram, D.
Adamum Helfingerum Licentiatum exorandum mihi commissa-
uit. Sed apud animum tuum, mi Nausea, cogitare potes, quid ab eo

L homi-

homine mihi sperandum sit, quem in hac ipsa re competitorem habuerim, alioqui nulla mihi necessitudine uel beneuolentia iunctum. Ingentiuitate lædi aiunt, si quis indigno supplicet. Quod quanquã in eum hominem quadrare nunc minimè possit, tamen æquè ab ingenuitate alienum puto, si quis ei supplicet, à quo ut impetret, nullã causam uidet. Ab hac supplicandi necessitate sola tua benignitas, humanissime NAVSEA, retinere me potest, si duas solum conciones (dum huc à patria mea redeam, quò nunciter destinavi) in mea parochia mihi pollicearis. Neque enim plures exposcebat Dominus meus, cum illum alium conueniendum proponeret. Sed certò scio etiam operam tuam Domino non parum fore gratam, si non gratior rem, quam si abs quouis alio impetrassem. Quod ad me attinet, ego me tibi, siue hoc impetrem, siue res aliqua te impediatur, dedico, consecro que, ut in omnibus rebus me ex uoluntate tua utaris. Neque tu à me quicquam unquam, quod non impetres, orabis, siue in rebus alijs, siue in ea ipsa quoque (si propitius mihi Deus affuerit) quam nunc abs te tantopere contendo. Bene uale, mi clarissime patrone. Ex ædibus nostris.

ANDREAS PLACVS MAGVNT. INSIGNI
eruditione uiro, D. Friderico Nausea, S. D.



Quam me affecerint tuæ elegantissimæ, NAVSEA doctissime, literæ, calamo consequi non possum. Nam factis ostenderunt, te mei memorem, mihiq; præter opinionem meam beneuolentissimum esse. Nihil certè minus in hanc diem existimaui, quam ut à te tanto uiro diligerer. Diligis autem me non lingua, sed ueritate: non uerbo tantum, sed & opere, præsertim de facie adhuc ignotum, & nullius precij hominẽ. Nã quod munus mihi chartaceum donare dignatus es, aliter interpretari non possum, quam quòd me tibi charum esse, ostendere uolueris. Gratias igitur tibi maximas ago, me que tibi uicissim totum offero: quamuis non uideam, in quo unquam tibi clarissimo uiro inseruire queam. Nam tota studioforum & honorum cohors, quod à te non solum orationibus efficacissimis, sed etiam scriptis pulcherrimis edocta sit, simili studio tibi gratificari conatur, nec immeritò. Tu enim hic modis omnibus pietatis affectum augere, mores emendare, uirtutem complecti ipsam docuisti: ut quæ paulo solutior antè fuit, nunc absoluta, uirtutis omnib; ornamentis eniteat. Sed nisi posses aliquid Gnaethonicum de me suspicari, dicerẽ ea, quæ dudum præstâtissima uirtute tua, mi doctissime Nausea, mereris: nunc ne tuis auribus assentari uidear, omitam. Vale foelicissimè, sic ut breui Homiliarum tuarum Centurias, quas omnes ardore maximo desideramus, à te uulgaras habeamus. Limpurgi, VII Cal. Mar. Anni MDXXVIII.

IOAN

IOANNES COCHLAEVS CLARISSIMO ET OR.
natissimo uiro D. Friderico Nausea, Magun. disertissimo
Concionatori S. D.



Ruditissime Nausea, putassem te ad fatietatem nunc colloquuturum mecum: me uero effecturum, ut familiariter notus fieres Principi meo, si te concionantem uel Maguntia, uel Spiræ audiret, nisi fortuna diuersum me sentire fecisset. Nam cum iam iter suum Princeps meus destinasset, ut Palmarum benedictioni Maguntig interesset, ex improviso eum febris à proposito retinuit. Itaque literas hæc tibi scribere uolui. Reuerendum D. Decanum, rogo à me salutes, & offeras promptum ad omnia obsequia quia animum. Apud Scholasticum me autem excusabis, & apud Cætozem. Libellos aliquos tibi communicabit nepos meus. Plura per otium nequeo. Vale igitur doctissime & amicis. Nausea, Dresdæ, V. post Oculi, Anno Domini nati MDXXIX.

IOANNES RVDELIVS FRAN COPORTEN. DO.
ctrina atq; pietate præstantissimo uiro Friderico Nausea, S. D.



Ermannus quidam Hesijs, Colonienis magister, ante paucos dies uobiscum se fuisse mihi retulit, teq; singulariter requisuisse, num quas ad me uelles dare literas, aut aliud quid renunciare: tum respondisse te, inquit, quòd non solum literas ad me nolles dare, sed nec salute prorsus impertiri, quando nec ego quicquam eiusmodi fecissem erga te. Terreret aliquantulum ista excusatio, si non certiore te fecisset Hermannus (quod tantum se constanter affirmat fecisse) eius rei, quæ me impediuisset. Agritudo enim repentina omnib; me uiribus destituerat, & uix hanc rationem mihi reliquerat, qua demadabam illi, ut tibi plurimam salutem referret. Quæ imprecatio & ipsa parum grata, quantum ex sermone tuo consequi poterat, fuit. Itaq; nimis incoelix sum, cui malum ex malo scaturit: & afflictione nondum explicatus, afflictionem statim consequor. Si res talis est, ut ego cur mihi succensere debeas, meruerim, indicato: uel iram tuam patientius feram, uel cõpensabo. Nec enim in memoriam succurrit quicquam, quo te offendisse potuerim. Præterea silentium meum istud leuius est, quam ut ita animum tuum à me abalienare decuerit. Oro igitur plurimum, ut mihi rescribas. è Colonia, post tridie nonas Mar. Anno MDXXIX.

THEODORICVS AB HASLACH, EQVES ORDINIS
Teuton. professor, & domus Patuinae Procurator,
Friderico Nausea S. D.

L 2 In me

IN memoriali adscribere sum oblitus, amice D. Doctor, quod sollicitator meus Ioannes Christmannus, in proxima signatura sit desideraturus iuris mei, iuxta cautionem à Pontifice Max. confirmationem, posteaquam aduersarius de contumacia, iam iurè cecidit, & in multam sententijs uenit, ex quo cautionem quadringentorum & bis mille aureorum ponendum non sit exequutus. Nam Pont. Max. ius istud meum annullauit, & irritū fecit: præterea literas ad id declaratorias misit. Postremo breue Episcopo Bergomensi, ad capeffendum hoc dominium dedit. Ego neuiquam acquiesco, aut manifesto meo iuri cedo, quæ admodum iam eius in publico protestationem feci. Peto scilicet, ut hac de re uelis D. Cardinali referre, aut alij tibi grato, per quem Iacobus Sadoletus secretarius adducat, ut apud Pont. Max. quærat causæ meæ iurisq; confirmationem, quando & ipsi referendarij in hoc, quod nempe iustum sit & æquū, consentiant, ne cogar per inueniens litem ad Principes Germanicæ nationis transferre. Prolixius te sollicitator meus instruet, ut si, quid in signatura minus ad sententiam accadat, tu instituere possis. Operam tuam diligentem uicissim gratitudine compensabo. Ex Domo ad Sanctum Petrum, Paduæ, IIII Septemb. Anno natiuitatis Domini MDXXVIII.

Peto uelis meminisse negotij, quod est ad Magistrum summum Prutenū pertinēs: & exquirere à D. Cardinale, an mediatione uel hortatu Regis Poloniæ, cepta ipsius perabsurda illa Pōt. Max. sit rata fauore suo habiturus, & id si sit, opera Iacobi Sadoleti, aut Datarij, tale propositum ipsius sistere, causis in scripto illustri Domini nostri Teutonici ordinis extantibus. Deinde uelis apud Sadoletum transigere, ut apud Pont. Max. perficere iuuet, quod sequestrum illud non relaxetur, ut antea est factum. Postremo, cum Christmannus ordinis sollicitator adfuturus sit, ex eo re cognita, causæ pro uiribus consulere.

IOANNES A' VVIRSPERG DECANVS EYSTETENSIS, egregio uiro Doctori Friderico Naufæ, Concionatori Maguntino S. D.

IVum, ad senatū Norinbergensem de diuinis in ecclesia officijs, præstantis. D. Naufæ, iudiciū, suauissimis illis, & omni gratia plenis literis, leri mihi fuit presentatū. Congratulor nobis Christianis, q; habeamus, q; de nostra religione pium, iustū, firmissimis argumentis ualidū iudicium asserere queant, contra schismatica dogmata Nouochristianorū. Id enim tū in hoc ipso iudicio reuera præstas: & quidem, si me non fallit spes, non absq; multo magnoq; apud plurimos profectu, nostro uerò pari gaudio. Nam sumus ob huiusmodi uerā religionem etiam nos in maximo periculo, sic ut die Veneris proxima in luctu magno cōstituti, quatuor horas ferme in armis permanferimus, & nil nisi grauem

uem conflictum expectauerimus. D. tamen Deus turbam sedauit: pacem uerò nondum restituit. Utinam breui restituere dignetur. Non enim, durante Lutherana hæresi, restitutum timemus. Interim D. Eberhardus à Than, Lutheranis adhæsit, & hinc excessit. Tu domino Decano Vratislauicē. me ex animo cōmendare dignaberis: Reuerendissimo uerò domino Legato me tanquam mancipium offerre. Eystadij, die Dominica, ult. Apr. An. MDXXVI.

CASPAR MAYNVS DECANVS BAMBERGENSIS,
Eximio uiro Friderico Naufæ, L. L. Doctori, S. D.

MERITO reuera de morte charissimi patroni nostri IOANNIS BRVN. contristor, & omnes mecum boni. Qui nostræ utilitati & reipub. Bambergensē. sic fideliter uiuens præfuit, & inseruiuit, ad hæc pauperibus omnibus aduocatum se præbuit, ut non iniuria factum uideri debeat, quod ciuitatem totā Bambergam in planctū cōmouerit. Speramus uerò, uirū propter tantā uitæ integritatem, et omnis boni executionem, æterna frui ualitudine. Est enim impossibile, malā mortem ex optima uitā sequi. Sed quia tibi tuisq; negotijs unicus ac summus extitit patronus & tutor, & tu de alio tibi providere cogitas: ego me ipsum tibi offero, si uideor idoneus, qui tua negotia fideliter & diligenter eius loco iam procurē. Quare si non opus erit, at meā promptissimā uoluntatē boni consules, & in malam partem accipere non poteris. Ut autem sic me tibi cōmendatū, quemadmodū mihi te habeo, uelis, oro. Vale, ex Norinberga, xviii Jun. Anno Domini, MDXXXI.

IOANNES SESSELERVS CELEBERRIMO VIRO
D. Friderico Naufæ, L. L. Doctori, & Concionatori Maguntino S. D.

SALUE amantissime Naufæ. Utinam mihi eadem materia suppeteret, facerem illa tibi, quæ nunc abs te peto. quamquam uerò nunquam aliter existimauerim, quam te nobis omnibus amicissimum, nec aliter expertus fuerim: tamen ex proximis tuis literis tantum fiduciæ accessit, ut antè, te me saltem dilexisse, nunc etiā amare existimem: sic benigne mihi, abūdeq; nec non amanter omnia polliceris: nec dubito quin pollicitis satisfeceris, aut sis satisfactorus. Cum enim multos iuueris, à quibus remuneratio speranda non erit: multo magis me adiuturum, de quo tibi gratitudinem polliceri debeas, scio. Malim certè emori ac disperdi, quam in ingratitude uitium incurrere. Præterea cum dicant ingenij liberi esse, cui multum debeas, ei multo magis uelle debere: nihil magis cupio, quam ut tantum tibi debeam, ut soluendo nunquam esse possim. Videres, quid facerem. Quanquam hoc beneficium magis ad materteram pertinet. Vidisti nimirum, & cognouisti iam negotium omne. Scis istum, cum quo nobis iam res est, non solum bipedum, sed etiam quadrupedum esse scelestissimum.

L 3 Scis

scis, in qualem contractum matertera inducta sit: scis, quam clausulam & appendicem subnexuerint: profecto talem, quæ omnis iuris rationi discrepat. Iam quales interloquutoria, qualesque sententia: Quid multa? scis, si unquam ullus fraude circumscriptus sit, ipsam reuera esse circumscriptam. Nam quod à proprijs ædibus, à proprijs possessionibus, contra naturæ omnium legum iura pellitur, extra omnem criminis est conditionem. Quare si per operam liberata fuerit, ac leuata, tantum ego quoque me debere tibi fatebor, quantum debere uelle supra sum testatus. Id autem consistit omne in Cæsaris Priuilegio, quod uulgo saluum conductum uocant. Nam ratam futuram Cæsaris auctoritate spero, nec amplius improborum petulantia: ueniam futuram, qui literas Cæsareas passim audacter infringere non dubitant. Habes igitur, ex quo, quid factu optimum sit, iudicare pro tua prudentia possis. Scio quod peccet, dum tot uerbis hoc beneficium à te peto, quasi nostræ amicitie diffidens. Sed non est sic, necessitas facit, & immodica sollicitudo, ut agam tecum uerbosius. Atque uero, Cæsarem breui in Brabantiam discessurum, nec tot dies, ut opinentur quidam, Spiræ mansurum & commoraturum. Atque id mihi anxietatem iniecit, ut metuam, ne si paululum remoremur, Cæsar discedat. Inde uenit hæc proluxa epistola, hinc tanta loquacitas, hoc enim timeo, ne si rem seponamus, corui hiantes euadamus. Possent rumor coarctari, Cæsarem multos annos apud uos permanurum, cum tamen postridie discederet. Quamobrem, mi Nausea, non diffidens amori nostro, sed Cæsaris profectio, sic moror in epistola. Habes omnes potentiores aulicos tibi fauētes. Cui enim ignote sunt lucubrationes NAVSEAE? Præterea non abhorret à tua professione, ut orbis nobis patrocineris. Clamat enim Elia: Subuenite pupillo, defendite uiduam, ut si causam istam suscipias, id iure tuo facere uidearis. Quod enim pertinet ad gratitudinem, nec illis matertera prognata est natalibus, ut beneficium remuneratum sinat: nec ego tam seruili ingenio, ut si maxime referendi facultas mihi defutura sit, agere tamen gratias sim neglecturus. Quare cum omnia ad istud patrociniū te commoneant, nec quicquam sit quod te morari possit, fac, & ad quod te tua trahit prudentia deflecte: mihi uero quicquid uis, & quantum uis, iniunge. Senties studium & operam meam. Vale, ex Spira, Cal. Decēb. Anno MDXXX.

LEOPOLDVS DICKIUS DOCTOR, CLARISSIMO

uero uiro, D. Friderico Nauseæ, Magunt. Concionatori, S. D.



Odus omnibus uir dexterrime, atque idem Doctor præcellentissime Nausea, nescio quid hactenus in causa fuerit, aut quis malus Genius inter nos intercesserit, quo minus ad me literas tuas desideratissimas dederis. Nam ego quidem iam sæpius ad te scripsi, nec dubito etiam quin acceperis ea.

Va

Valeant autem, qui dissidium inter nos uolunt. Tuus sum mi Nausea, ad uota: non est quod de me dubites, periculum fac, ubi uoles. Cum enim alijs & foris, & domesticis negotijs sim obrutus, tibi tamen semper uacabo. Tu interim, clarissime Doctor, perge in tuo proposito, & omnes conatus expone, quo S. Ecclesie deperditas oues restituas. Placet mihi candor ingenij tui, placet institutum, placet labores Herculei. Vereor autem, ut ualetudo tua sustinere talia possit. Quanquam Christus dabit uires, dabit clypeum aduersus omnes hæreseos pestes. Cæterum mi Nausea, quanquam te ut fratrem complector, & id te non dubitare de me credo: tamen faciam, ut aliud quod beneuolentia: meæ feras testimonium, in eo, cum te mundo ac literis commedabo, quantumlibet ante clarissimum. Fac igitur, & quis tuus fuerit hactenus chalcographus, mihi præscribe. Cogor enim ex sententia Fabri nostri, typis subijcere quiddam, quod tibi receptis literis, ac cognita sententia, mittere uelim. Vale, meque ut ames ex assidue fidei adiuro, & aliquando uisas. Spiræ, X X V I Ianuarij, Anno MDXXXI.

IOANNES MONASTERII IACOBIEN. EXTRA

Maguntiam Abbas, Reuerendo & egregio uiro D. Friderico Nauseæ, Magunt. Concionatori & Doctori, S. D.



Extor iam nuncio ad me, delatum est, Egregie Domine Doctor, honestum & honoratum uirum D. IOANNEM KUSTENPENNINGIUM suam obisse diem: eoque illud, cuius ipse egerit uicariū, iam uacare beneficium, & ad te collationem pertinere. Quapropter cum & probitate & morum honestate longè præcellat GEORGIUS Schuueysius, summopere rogauerim, ut ob nominis mei gratiam, id huic beneficium præbere digneris. Id enim ego quidem, quibus potero beneficijs, uicissim rependere studebo: quemadmodum te non dubitare, mihi persuadeo. Plura nec res scribere postulat, nec ego tuis pulcherrimis studijs obstrepere uolo. Ex Monasterio meo, S. Iacobi, postridie Iudica, Anno MDXXXIII.

IOANNES MONASTERII IACOBIEN. EXTRA

Magunt. Abbas, Egregio uiro D. Friderico Nauseæ S. D.



Ormam sententia: tibi heri transmissam, Reuerende ac singularis fautor, Domine Nausea, doctè pulchre que translata: recepti fructum quoque maximum inde reportauit. Det omnipotens Deus, ut Enarrationibus tuis in Tobiam reliqui sic obtemperent, quemadmodum ego illis obtemperauit, sumque semper obtemperaturus. Vale.

ERASMVS STRENBURGIUS HONORABILI VIRO

D. Eberhardo Schifero S. Mauricij Magunt. Decano, S. D.

Nu



Vdus tertius adfuit apud nos excellens Dominus Doctor NAVSEA: tale sua mihi praesentia ingenium declaravit, quale suis iam dudum libris evidenter praese fert. Eum doleo non potuisse maioribus honoribus a me affici. Perrexit autem Venetias, ob Archiepiscopum Brudusinum, qui ibidem Pontificis legatum nunc agit, ut de via sua, quam ad Pontificem, Marsiliae nunc agentem, constituerat, ad ipsum referat. Vellem tamen alia ipsum profectum esse via: sicut tibi suis literis, quas hic transmittito, fortassis scribit. Sed quoniam institutum mutare non ipsi iam licuit, necesse fuit, ut coeperat pergere. Ceterum, reliquit mihi munuscula chartacea, quibus sui memoriam penes me nutriat, licet ante sim illi deditissimus. Te bene ualere precor. Ex Tridento, x Nouemb. Anno MDXXXIII.

STEPHANVS ROSINVS, REVEREND. DOMINO, & LL. praclarissimo Doctori, D. Friderico Nausea, S. D.



Reuerende pater, Domine Doctor celeberrime, post debitam sui commendationem: Reddita sunt mihi literarum tuae prima praesentis mensis, quibus significas, te ad Regiam Maiestatem religionis causa proficisci debere, quae nunc ita passim periclitetur. Ex quo ego non mediocre gaudium coepi: sperans nimirum, tandem modum malis istis, quibus Ecclesia concutitur, inuentum iri, tandemque irae diuiniae finem impetratum fore. Sic enim per suum uerbum praedixit, ob peccata se populum suum ultimis temporibus afflicturum. Jam certum est, afflictionem Ecclesiae sanctae tantam fuisse nunquam, quantum nunc nos experimur. Sed tu dignaberis de profectu tuo mihi praescribere, quae pacto coepta ista pulcherrima tua sint processura. Ego interim te apud Deum precibus adiuuabo, tuaeque ualetudini longissimam ac firmam, incolumitatem sedulo precabor. Futurus autem sum Patauij usque ad festum Petecostes: quod propterea significo, ne, si uelles literarum quid mihi mittere, locum posthac mansionis meae ignores. Ex Tridento, xii Ap. An. MDXXXIII.

F. IOANNES RVDES HEYMIVS, VENERABILISSIMO & DOCTISSIMO LL. Doctori, Friderico Nausea, S. D.



Dereueram tibi, uirorum celeberrime, uenerandissime, doctissimisque, ex Italia redeuntibus gratulari: sed inopinato casu, atque sinistra tua ualetudine consternatus, id persequi non potui: praesertim cum negotiis, quibus undique passim distineor, etiam remorarer. Quamuis ea non tantum ualuisent, si modo locum mansionis tuae sciuissem: profectus nempe fuisset, meumque cor, tui amantissimum, colentissimumque comprobasset. Interim

Interim autem summe doleo, grauiusque distringor: timens, ne totius ecclesiae fidissima columna, tu scilicet ille uindex acerrimus, aliquo sinistro fato subripiaris, et tuis efficacissimis praesidijs Ecclesiam sanctam destituas. Non enim me fugit, quam, te sublato, sint in ouilia statim grassaturi lupi: deficientibusque ijs, qui pro te pestes eiusmodi propulsare queant. Sed laetum nuncium, meditati hisce, prodeunt mihi ad supplicationes publicas. affertur, te morbo depulso reconualuisse, sanitatisque causa comprobatae concionem ista die peregrisse. Jam calamo consequi nequeo, quam sim affectus, quam gaudeam, quam gestiam, mihi uenerandissime praceptor. Itaque tibi summe gratulor, & diuturnitatem incolumitatis, breuibus precor. sunt enim mihi contrahenda uela, propter baiuli festinationem. Tu breuitatem loco prolixitatis accipere non dedignare. Ceterum mitto tibi nunc mappulam mucuraceam, & scriniosum embamatis uuaeae, quod spero te non solum exhilaraturum, sed etiam ad augendam sanitatem, retinendamque confirmaturum. Pro eo nil a te peto, uel flagito: tantum uelis meae in te obseruationis pignus esse, idque in optimam partem accipere. Quod si plura habere fuerit animus & uoluptas, significa mihi: transmittam tibi non solum huius generi plura, sed alia etiam diuersi condimenti eaque laudabilia. Vale lux et dimidium anime meae, D. ac praceptor doctiss. Salutatur te totum concubernium meum, praeterea ludi nostri moderator Abbas, ille uidelicet non uulgaris tuus fautor. Ex coenobio nostro, citissima manu, &c.

VDALRICVS GROVS, DIVI ANDREAE VORMACIAE Vicarius, ornatissimo uiro D. Friderico Nausea, praclarissimo Concionatori Magno, S. D.



Gregiae munificentissimeque uir, ac Domine obseruandissime, quas debeo tibi gratias pro eo, quod me refecisti animo, quando affuisti primitiis meis, memoria illa tua inextinguibili, licet ego personam tantum tuam desiderauerim: Attamen aequo animo fero, cum iusta legitimamque excusatio accedat, quae nequaquam a uiro tam praecellente repudianda uideatur. Similiter autem se gessit episcopus Viennensis, praedilectus meus patronus. Nam xx. Maij ex Praga Boemiae mihi scripsit, & approbat hoc meum institutum ad sacrosanctum ministerium. Sed quas rependam laudationes tibi, pro tam munifica salutatione ac dono: Nullas certe, nisi precationem, ut Christus Dominus tibi reddat decuplum. hisce me tibi humiliter commendando, ac faustum tibi bonumque omne optando. Literas concludo. Nam plura non opus habeo scribere, nec etiam tuis optimis occupationibus importune nunc obstrepere uolo. Datum Vormaciae, die xij Jun. Anno Virginei partus MDXXXI.

M Bernhardus

AD D. FRIDERIČVM NAVSEAM
BERNHARDVS MISERATIONE DIVINA S. R.
Ecclesiae Card. Episcopus Triden. Venerabili, egregio, sincere
dilecto, Friderico Nauseae S. D.

Venerabilis in Christo, religiose, nō erat opus gratiarum
actione aliqua, quōd per tenui munusculo te nuper am-
plexari uoluerimus: quoniā quidem hoc instituti nostri
est, ut uirtute praeditis, uirtutiq; dicatis omni ratione fa-
ueamus & profimus, ut etiā eos quos non uideamus, ob uirtutē ali-
quā diligere soleamus. Cum igitur occasio fuerit magis gratificādi
tibi, qui diuine doctrinae fama quasi coruscas: faciemus, ut nos om-
ni tēpore paratissimos fore, pro benemeritis tuis, humanitate no-
stra sentias. ex Augusta, VIII Octob. Anno Domini MDXXX.

ALBERTVS DEI GRATIA S. R. ECCLESIAE
Card. Archiepiscopus Mag. Friderico Nauseae S. D.

Honorabilis, erudite, religiose, dilectēq; noxter, Caesarea
M. conuentum pub. Augustae indixit, ubi cum alijs ne-
gocijs ecclesiastica res in ordinem reducat, ac contro-
uersi de religione componantur. Proinde cū nobis, ut
Electori, primatiq; Germanie, cum primis necessarium sit omnia
circūspicere, & aduersus Nouochristianos rationibus ac argu-
mentis munitos esse, mittimus uenerabiles, doctos, ac dilectos no-
stros, Ioannē Vuirtenbergium, & Michaelē Vehium, istuc Ma-
guntiam, ut tecum, ac cum alijs per nos etiam citatis, de rebus eccle-
siasticis conferant, conueniant ac statuant. Desideramus uerō, ue-
lis coram ijs & alijs comparere, simulq; quid in aduersariorum fi-
dei articulis, caeremonijs ac uita sit erroneum, aut reprehensibile,
diligenter dispicere. E contra cōstanter atq; plena fiducia, quid ip-
sis citra S. Catholicae ecclesiae contumeliā ac dedecus possit, & quo
pacto, cōcedi, quid imminui, probare; quid tolerari, referre. Nul-
lius enim in hoc conscientiam uolumus obligatam. Per hoc tam
Christianum, tamq; necessariū studium, rem Deo cum primis gra-
tam, tibi salutarem, nobis autem perpetuae memoriae futuram praē-
stabis. Vale, ex Aschaffenburg. VII Apr. Anno MDXXX.

IOANNES COCHLAEVS CLARISSIMO VIRO D. FRIDE-
rico Nauseae, summo Mag. Concionatori, S. D.

Menit heri Helmannus tuus, clarissime ac plurimum
obseruande Nauseae, grandem literarum fascem refe-
rens. Deus te cōseruet, qui solus ad tot negotia sufficit.
Perge queso, noli succumbere aduersis. Magna tibi
Deus contulit, praē alijs. Caeterum statim cum Helmanno accessi
Card. Camp. qui dixit, esse perditas literas, à me in tui cōmendatio-
nem scriptas, ut presentarentur summo Pont. Iussit igitur, ut alte-
ras scribam, & aliquantum ardentiores; interim etiam consulens,
ut & ip-

ut & ipse scribas D. Iacobo Saluiati, per eum Georgium, qui apud
Card. Farnesium est. Is enim, ut audio, omnia apud summū Pont.
potest. In causa fidei nil effectum est. res aliquid tumultus paritura
uidetur. Et quidē fortassis utilius est certū bellū, quam pax simula-
ta, incertaq;. Vale, ex Augusta, XXVIII Septemb. Anno MDXXX.

ALEXANDER CARD. DE FARNESIO, VENE-
rabili, doctōq; D. Friderico Nauseae, amico opt. S. D.

Venerabilis, amice noster charissime, salutem. Literas à te
Georgius, familiaris noster antiquus, nobis reddidit,
quae cum propter animum tuum affectionis erga nos ple-
nissimum, tum propter deuotissima opera tua, ac lauda-
biles mores & labores, in quibus tam diu & uersatus es, & uersatu-
rum te, superstitite uita ostendis, nobis gratissimae fuerunt. Atque
utinam complures inuenirentur, qui eiusdem essent propositi, cu-
ius te esse, ex literis abunde cognoscimus. Nos uerò summo Pont.
& merita tua pro Catholica fide exposuimus, & personam tuam
diligenter commendauimus, commendabimusq;, ubicunq; dabi-
tur occasio. Sed non abs re esset, ut tu cum Reuerendis. Domino
Card. Campegio, qui apud Cas. M. legationis fungitur officio,
idem etiam ageres, ut uidelicet ad eundem modum literas ad San-
ctissimum Dominum nostrum perscriberet. Plurimum enim po-
test, plurium apud Principem intercessio. Caeterum te hortamur
in Domino, ut quod onus pro fide catholica suscepisti, illud constā-
ter sustineas, ex quo certissimū illud praemium expectare possis,
quod Rex regum pro se militantibus sponndit. Georgium ipsum
& causa tua, et quia uir probus est, commēdatum habuimus. Vale
in Domino. Romae, die I. Iulij, Anno Domini MDXXX. Pariegyri
cum tuum accepimus, ac legimus libenter: qui eiusmodi est, ut cui-
uis docto arrisurum, asserere non dubitemus.

IOANNES FABRI DOCTOR, VERBI DIVINI CE-
lebrissimo propugnatori, Friderico Nauseae, S. D.

Acepi literas tuas, Nausea amicissime, quibus ipse, qua-
es modestia ac uerecundia, uereris, ne in tanta negotio-
rum pub. penē non ferenda multitudine, quae pro reli-
gione Christiana sustinuerimus, molestus sis. Ego ue-
rò satis pro amicitia nostra illis illectari nunq; possum: adeo me sem-
per earum desiderium tenet. Quae cum ueniunt, opportunē semper
ueniunt, ab eo scilicet homine, qui meū animū earū uenustate ab om-
nib. curis subleuare soleat. Centuriarū opus elegantissimū, obuiss
ulnis accepimus: in quo mirum in modum eruditionem tuam sin-
gularē, atq; pietatem celeberrimam uidere licuit. Id cuiunq; pro
meo erga te studio obtuli tuo nomine, statim commendauit, atq;
M 2 placuit

placuit munus, ut maximè, obtuli autem in primis Cardinali Leodiensi, & Archiepiscopo de Barri, tū plerisque alijs, qui operā tuam, quam pro religione tanto studio collocas, commendatam habere uolunt. Nec acquiescam, quoad Cæsar, data opportunitate, exemplar accipiat. Bullam tibi extorsi, à Rossanensī, nuncio Apostolico. Proinde prius amici officiū prestiti, quā rogaris, aut admoneris. Heri edictum nouū aduersus Lutheranos & Zuingianos promulgatum est. Mitto præterea ad te libellum Antilogiarum, quo Lutheri inconstantiam depingimus. Ad extremum, non opus est multis uerbis, & magnificis, ut gratias agas. Si quid in te beneficij confero, lubens sanè facio, sumq; perpetuò factururus. Vale. Augusta, xv Octob. Anno MDXXX.

IOANNES COCHLAEVVS ERVDITISSIMO VIRO
D. Friderico Nauseæ, Mag. Concionatori, S. D.



Harissime ac humanissime Nausea, plerasq; ex officina tua literas accepi, non admirans infatigabile studium tuum, quum sic multoties id sim expertus. Cleri ingratitude nil nouum est. optimis quibusq; sic accidere solet. Deus in hoc fortassis patientiam tuam periclitatur. Si in ministrū sic ingrati sunt uerbi Dei, sunt in ipsum Deum ingrati, nec impune tantam ferent ingratitude. Sentient aliquando, quid facere debuerint, & quidem suo malo. Tu præterea uerbo Dei illo etiam te solare, quod ab Apostolica sede iam summa uirtutis præmia tuleris. Heri perfecta est in publico, responsio Cæsareæ Maiestatis ad confessionem Lutheranorum Principum, qui presentes aderant. qua perfecta, petebant per D. Doctorem Prugck, ut possent habere exemplar responsionis. Responsum autē est, Cæsarem prius delibaturum. Spero tibi, alijsq; doctis responsionem illam non displicituram. Nunc alia paranda est pro quatuor ciuitatibus, Argentina, Constantia, Memminga, & Lindauia, quam aliquanto acriorem faciemus. Interim adijciemus alium quoq; libellū Lutheranis, in quo longè magis impia recensentur, quā in confessione extiterunt. Dabis ergo sic occupato ueniam, qui paucis ad tuas longissimas respondeam. Vale, ex Augusta, quarto die Aug. Anno Domini ortus MDXXX.

VALENTINVS DVRERVS PRAECCELLEN-
tissimo uiro, D. Friderico Nauseæ, uerbi diuini summo
apud Maguntiam Concionatori, S. D.



A semper mihi uoluntas, is fuit, ornatisime Friderice, animus, ut ad quorū noticiam non peruenissem, quos præ cæteris excellere uiderē, modis omnib. peruenire tentarem: ad quorū autem iam peruenissem, ut in amicitia beneuolentiæq; erga me ipsorū retinerem. Cum igitur inter eos tu sis, qui ob

qui ob summas ingenij doctrinæq; dotes clarissimi sint: & ego te iam pridem mihi sat foeliciter, ut spero, conciliarim: conandū mihi est, ut et te retineā. Quo uerò pacto, quā literis id efficiā, planè nescio. Propterea q; rudes istas ad te scribo. iam dices, eleganter certè, totus annus est præterlapsus, ex quo nil omnino literarum à te mihi affertur: eum tamē et tuam mihi fidem obstrinxeris, & scripto sis à me (nisi fallor) ad scribendū summis negotijs ac occupationib. obruto puocatus. Sed ego me bis interea ad te scripsisse, et scio, et mihi. Primū, cū per Ioannē Schneidenuuindū tibi literas mitterē, quas tamen ex fratris mei scripto querelarū pleno, tibi nō redditas conijcio. Deinde, cū tibi de inusitata Tyberis amnis inundatione significarem: quas etiam alicubi interceptas esse, coniecturā capio. Quod itaq; alienæ culpæ, seu infortunij sit, noles opinor mihi uitio esse. Non licet autem mihi nunc, ut uolo, multis agere, uel aliqua re beneuolentiā meā testari: peropto certè opportunitatē, qua possim, si non referre gratiā, at certā propensamq; animi uoluntatem, officio aliquo declarare. Tu si quid apud Quirinū Gallerū, item apud Martinū Siderū, à me fieri uis, indicato. Præter id enim quod lubentissimè quicquid erit sum factururus, sunt etiā illi in magna mihi familiaritate reuera iunctissimi. Mitto tibi aliquot uersus Pasquilli, diui Marci festo editos. Hos perlegens, cognosces cōmunem uulgi opinionē. Vale, doctorū decus. Ex urbe, è Camera Apostolici notarij, die xxx Martij, An. post Christū natum MDXXXI.

AVG. MARIVS EPISCOPVS SALONENSIS, ERVDI-
tissimo uiro D. Friderico Nauseæ, Concionatori Maguntino insigni, S. D.



Ti purgatione utendum erat, Nausea dulcissime, deprecatione tamen uti malo. Fateor equidem nullis me literis te conuenisse ab eo tempore, quo iter faciens huc proficiscerer. Sed quod id obliuione tui factum esse debeat, tam constanter pernego, quā tu scribis. Quid enim, ignoras conditionem meam? quid statum meum? quid uoluntatem? quæ libera, nil potius habuit, quā ut tecum cōfabularetur, et in quauis re tibi gratificaretur. Patrono illō quo tu istic usus es multū, ego hic utor plurimum: nil homine candidius, nil clarius, nil amicius. Ille, de cuius amicitia certus est, quiduis eius nomine facit, etiam si facultates suas impendere debeat. Non abs re loquor. Expertus sum, licet in leuibus causis: certè si in magnis experiendi fuisset occasio, spes et fiducia mea in ipsum me non sefellisset. De Comitibus non habeo quæ scribam: præter illud, nos fortassis ambos illuc uenire coactos iri. Nam quod certa sit eorū indictio, te dubitare non existimo: nil enim certius esse potest. Sed hoc, tempus uiderit. Nos ad quemuis casum parati simus. Vale amicorum optime, ac frater unice. Herbipoli, II Martij, Anno MDXXX.

AD D. FRIDERICVM NAVSEAM
MICHAEL VEHIVS DOCTISSIMO VIRO ET
*humanarum diuinarumq; legum consultissimo, D. Fri-
derico Naufæ, S. D.*



Iuotis cuncta tuis respondent, clarissime Doctor, gratulor fortunam. Ego hic ut cuncta habeo, sed non est opus scribere. Cuncta tibi uir iste, qui literas affert, referre poterit. Absq; causa rogas, illustrissimo Principi centurias tuas à me offerri. Sūt enim eiusmodi, ut docto cuius suscipiendæ et admiratione psequendæ sint. Gratiã magnã tibi habeo, quod opes tantas omnib. sic absq; inuidia cõmunicas, & talentũ concreditũ tã liberaliter dispensas: recipies aliquando cũ usura præmiũ. Principẽ uerò cõmissurũ nõ spero, ut neglexisse hãc occasionẽ remunerandi tui uideat. satis enim intelligit, quã honoris & gloriæ ipsius sis istudiosus. Tota certè præfatio nil fermè agit, quã ut nomen ipsius quã maximè et honorificentissimè cunctis cõmendat. Ego si quid tibi prodesse potero, nõ ero indiligens nominis tui commendator. Finem comitiorum breui fore puto. Quò princeps sit migraturus, nescio. Vale, doctissime Doctor, felicissimè, meq; Deo tuis precibus commenda. Datum Augustæ, postridie Dionysij. Anno Domini nati, MDXXX.

IOANNES DIETENBERGIUS, EXCELLENTISSIMO
*uereq; eximio uiro, D. Friderico Naufæ, tanquã
præceptori colendo, S. D.*



Go cum iam plurimis dieb. minus bellè ualeam, mi clarissime Naufæ, tibi tamẽ tuam prosperã ualetudinem congratulor. Gaudes me cũ ceteris hic ad comitia, pro catholica fide defendẽda uenisse. Sed ego, inter tot præstantissimos doctores is sum, qui nec doctor, nec doctus inter eos nominari merear. Cæterum uitæ periculo simul omnes inuoluti sumus, tumultuantibus Augustanis rusticis, qui nos ad opprimendum uerbum Dei, tollendumq; adesse, calumniantur et clamant. Sunt enim circum pleriq; hic aut Lutherani, aut Zuingliani: nec quicquam magis cogitant, quã ut nos, imò & totum clerum disperdant. Eoq; quã tuam absentiam doctissimi quicq; moleste ferant, colligere potes: quanquam ex aliorum literis iam te cognouisse puto. Prima Augusti sex Lutheranis Principib. & alijs ciuitatibus, Imperator respondit, ad Confessionem ipsorum: & cum sibi ostendire sponsonem rogarent, Cæsar negauit. Itaq; magnus clamor, & murmur, à Principibus illis & plebe fuit: ut etiã Landgrauius mox VII. Augusti, urbe se cũ suis omnibus proripuerit. Cuius iste discessus, quid Germaniæ sit boni allaturus, prudẽs quilibet per se coniectare potest, præsertim cùm cleri culpa omnia ista fieri, manifestè dicat & recenseat, imò mentiat. Interim pro Zuinglianis respõsa parant, prope

propediẽm Cæsari in manus uentura. Qui ne latum quidẽm unguem, à ueteri Romana fide se discessurum, publicè testatur: quin potius ita se ad concordiam coacturum hæreticos, ut nolit omnium suorum regnorum iacturam perpendere, uel recusare. De nocturna seditione, VI Aug. nobiscum facta, item de cuiusdam Lutherani prædicatoris captiuitate, literarum gerulus plenè tibi referet. Quorsum autem omnia tendant, ex his tua excellentia coniectare poterit: quam seruet Deus incolumem nobis diu. Vale, ex Augusta, IX Aug. Anno salutis MDXXX.

DANIEL MAVCHIVS VLMENSIS, REVERENDO DOMINO
*Friderico Naufæ, L. L. Doctori, S. D. Salus, gaudium
& pax, à Christo Iesu.*



I scire cupis, quarta Maij Vuormacia Spiram plaustrò uectus perueni. Literæ autem tuæ mihi ualde profuerunt. Reuerẽdus et illustris Dominus Laurentius Truchses, causam suam mihi, Domino Cardinali nostro referendam, commisit: & me mirè complexus est, ex eo quod illi meam fidem commendaris. Quo nomine non sum nescius quantum tibi debeam. quicquid enim honoris mihi accidit, id omne tibi acceptum ferre debeo. Sed nescio quo pacto sit, ac comparatum est, ut tibi ad me iuuandum semper sit facultas. mihi ad remunerandum nil præter uoluntatem suppetat. Agerem tibi gratias: sed res est tanta, ut nulla ratione agere, tãtum ab est, ut referre queam. Nil igitur habeo præter ipsum me, quem tibi totum propino. Bene uale: et me, ut soles, habe comm datum. Constanti fama narratur, Imperatorem Oenipontem uenisse: breui tamen, si quid intellexero, uerius aliquid ad te scribam. Cæterum si neq; Dominus Laurentius ad ius peruenire, nec Archiepiscopus ullã amicã cõditionem offerre uoluerit, persuasum habeo, nil boni inde futurum. Nã Dominus Laurentius, si Apostolica sedes ipsum neglexerit, appellabit Cæsarem: si & ipse Cæsar neglexerit, amici quos ægrè hætenus ille cõtinuit, ipsum ulcisci conabuntur. Quicquid igitur huic causæ paciẽ consilere potes, facias. Iterum uale, ex Vuormacia, iijj Maij, Anni MDXXX.

MICHAEL VEHIVS PRÆSTANTISSIMO D. FRIDERICO
*Naufæ, iurium consultissimo Doctori, Mag. Con-
cionatori, S. D.*



I quid uota mea impetrare à Deo ualuisent, clarissime Doctor, dudum præsentia tua ornaret Doctorum consessum. Sed arbitror absentiaẽ tuã hanc unicam esse causam, quod non sit, qui sine murmure populi, prædicando tuas uices suppleat. Sed accepi à Doctore Cochlæo, te istud suspicari, quod per inuidum aliquem sit tibi malè propitius redditus

redditus illustrissimus noster Archipræsul. Iam si sic est, ego sane nescio, nec enim ullum istius habeo argumentum. Apud omnes doctos homines celebris est fama tua, nec unquam aliquem inuidum hic audire contigit: quin sapientissime mecum frater meus Ioannes concionator Archipræsulis, tuam desiderauit præsentiam, propter causam tibi non incognitam. Sed ista nunc mittam. Noua, quæ scribã, non habeo, nisi quæ nobis sunt præ manibus, nempe, Confessione Lutheranorum à nobis esse responsum, responsumque publicatam, & auctoritate Cæsarea confirmatam. Articulis quatuor ciuitatum, qui Zuinglianicam fidem sequuntur, itidem à nobis responsum est, sed tamen nondum publicata est responsio ista. Hæsus abiit. Sed quid hinc augurari liceat, tu conijce, mi Nausea. Porro quis comitiorum erit terminus, aut quando, nec ipse scio. Cætera literarum lator tibi cuncta sigillatim recensere poterit. Bene ualeas, ut tua incolumitate crescat apud sanctos pietas. Ex Augusta, ipso die Laurentij, Anno MDXXX.

IOANNES FABER DOCTOR, ELECTVS VIENNEN.
Episcopus, ornatisi. uiro D. Friderico Nauseæ S. D.



Enimus secundo uento, commoda etiam tempestate, xvij Calend. Decemb. Colonia, Cæsaris naues prætergrefsi. Posthac Bundam, oppidum quatuor miliarium spacio distans à Colonia. Cæterum inter nauigandum, tua legi. Placuit mihi mirum in modum styli facilitas, elegantiaque, tum etiam doctrina pietatis plena. Quare te etiam atque etiam, licet currentem horror, ut hac pergere, & præmium, quod sic emereri conaris, reuera consequi non dubites. Mihi cum calculo ἀσπορὸν πῶλεμον esse scias, qui me cogit modis omnibus mihi cauere, ne nutrimentum illi negligentia præbeam: cum antea (homo delicijs minimè gaudens) nil minus facere sim solitus, quam calculum sentire, uel lautius æquo uiuere. Sic enim uiuendum est, non quolibet cibo, nec quolibet uino uti cogor: cum tamen huiusmodi uinum, quod mihi seruiat, hic non habeam. Da igitur operam, mi Nausea (quoniam & è re tua, me bene habere, fuerit) ut primo quoque tempore cadum, secundo Rheno, uini ueteris optimi, & planè Theologici, huc mittas. De precio non erit incommodum. Bene uale, et D. Præpositum, hospitem meum, & D. Eberhardum Schiesserum, saluta meo nomine diligenter. Ex Colonia Agrippina, xvij. Decemb. Anni MDXXX.

C. VELIUS VRSINVS EXIMIO VIRO D. FRIDERICO NAUSEÆ, L.L. DOCTORI S. D.



Crisperã nuper Spira tibi, charissime Nausea, de libellis quos, ut imprimendos mihi curares, te rogaram. Nunc, quoniam nondum eos recepi, te iterum rogo, ne res ista tibi memoria excidat, eosque mihi Lincium deferri cures.

Quacuncq;

Quacuncq; in re tibi uicissim gratificari potero, faciam ne officium in me desiderari possit. Vale, Calend. Decemb. Anno MDXXX.

IOANNES COCHLÆVS, CLARISSIMO VIRO
D. Friderico Nauseæ Magunt. Concionatori, S. D.



Reuerende ac eximie D. Nausea, amice integerrime ac dilectissime, literas tuas x. Decbris datas accepi. Te uero, quod nullas à me te accepisse scribis, demiror: qui non unquam me scripisse sciam. Sed nil est periculi, licet interceptæ sint. Cæterum nil mihi iucundius nunciare potuisses, quam Reuerendissimum D. Card. Campegium bene ualere, & à podagræ uexationibus liberatum esse. Certè hanc mutationem, non nisi dextra Excellsi, factã credo. Quare si quando fuerit opportunitas tibi ad ipsum scribendi, congratulationem meam adijce. Facerem enim id ipse, si facultas talis, quæ tibi datur, esset mihi. Ut reuerendo D. Vicario, tibi quoque, foelix uisitatio sit, precor. Illi meam salutem referes: ac me precari diceres, ut non solum ruralibus ista uisitatio, sed etiam oppidanis sit salutaris: nec ita uisitetur, ut muscas premissas, crabronibus dedisse ueniam uideatur. Hisce diebus fuit hic Landgrauus cum Duce Lucenburgen. Sed omnes expensas suffert mei Principis pietas. Ego nullas accepi literas à Principum Curijs, in hanc diem. non igitur quid præterea scribam, habeo. Tu uide, ut longiores mihi scribas literas. Psalterium si nondum accepisti, in nudinis istic accipies. Vas enim plenum non sine meis literis ad uos transmittetur. Sed audio clerum Fracoportien. esse expulsus. Det meliora Deus. Bene uale, mi charissime Nausea, meisque uerbis saluta Dominum Spenglerum. Dresdæ, xi. Februarij. Anno MDXXXII.

IOANNES DITENBERGIUS, CLARISSIMO VIRO D. Friderico Nauseæ, Concionatori Magunt. Catholico, S. D.



Accepi tuas, Excellentissime domine Doctor, cum gaudio literas, quas mihi proximè transmisti: cum nihil potius te uelle significares, quam ut hydræ tandem istius caput uel abscissum, uel dissectum tibi uidere cõtingeret. En uir desideriorum, exaudita est oratio tua, facta iudicis excellentissimi iuxta iustitiã sententiã percrebuit. Mox istius hydræ caput abscissum conspicies, siue potius audies. Christianissimus enim Cæsar CAROLVS, hoc in ipsam dedit arbitrium, ut breui futurum speremus, sponfam illam Christi, Sanctam Catholicam Ecclesiam, sponso suo puram, liberatam, pulchram, in suo loco apparituram. Christianis enim Ecclesiæ fores hic Augustæ, nunc tandem libero consensu publico redaperiuntur. Catholici concionatores reuocantur, et omnia cor ad meliorem pristinaque doctrinam flectunt. Qua-

N re exul

re exultandum nobis est cum Zacharia, si nō adhuc Dominus iram suam sequere sinet. Omnia enim sunt in ipsius arbitrio. ille potest ē bono statu cuncta in peiorem uertere: sicut ecōtrā malum in bonum. Nos tamen indefatigabili diligentia precemur, uelut ultrā persequi, & sic, ut coepit, pergere. Non enim dubito, quin nos ex animo orantes sit auditorus, & nobis aliquo modo satisfactorus. Ego me propediem apud te fore spero. Vale mi gratissime Nausea, ex Augusta, xxx Octob. Anno MDxxx.

HIERONYMVS ALEXANDER ARCHIEPISCOPVS
Brundisinus, Venetijs Legatus, Reuerendo Patri ac doctissimo
D. Friderico Nauseae, S. D.



Tame planē deiecit acerbissimus ille dolor, quē ex immaturo Ioannis patruelis tui obitu contraxi, ut quoties in manum, ut ad te scriberem, calamum sumpsi, toties ille mihi ferē simul exciderit. Renouatur enim semper, & grauius in crudefcit dolor ille, dū considero & optimum & fidelissimum amanuensē, amisisse me: te uerō, consanguineum, minimē ille laudatum. Nam, Deus bone, in quem iam ille hominem euaserat: omni ciuilitate excellentem scilicet, eruditione non minus magnū. Equidem cogitanti ista mihi, ita dolor auget, ut nesciam utrum mihi talem consequuturus esse uidear. Sed audi uirtutis, aut futuri successus augurium. Prima noctis hora, qua Romam appulsi sumus, quum alij mei famuli huc illuc procuraturi nobis ad uictum necessaria discursarent, & fortē solus tuus Nausea mecū remansisset, aduocante me ex improuiso Pontifice, comes ad pedes usq; Pōtificis mihi fuit: quos & statim post me exosculatus est. facem enim praeferēs ad hoc peruenit, ad quod multi magnatum filij uix possunt peruenire. Sic ille uix assequutus Romam, se summum quiddam nactū gloriari poterat. Hinc scilicet in magnam spem de illo mens arrecta fuit mea. Verum statim biduo post ingruens morbus, & aliquot mensibus post, immatura mors omnia turbauit, omnēq; expectationem praesecuit. Ne uerō uel incuria, uel aliā miserie ipsum perisse possis credere, cum ancillae mihi fideles deessent, statim adolescentē apud optimum & doctissimum urbis medicum esse cōstitui. Propediem enim cum Pontifice Bononiam mihi proficiscendum erat. Mercedem pacifcebar cum medico, qualem poscebat solummodo: praemium praeterea pollicens, si curae responsurus esset effectus, & adolescens incolumis mihi restitutus. Fideliter autem & diligentissimē suas fecisse partes medicum, certō scio. Voluntas diuina consiliū conatumq; omnem uicit. Est igitur in aede sui nominis augustissima ritē contumelatus: antē tamen, ut uerē pium decuerat adolescentem, sacramentis sacrosanctis bene communitus. Quod sanē mihi mercede dictum renouat dolorem. Non enim ex usu tantum, sed magis

gis ex flagitatione pia ipsius, haec munimenta contra Sathanam illi porrigebantur. Adeo non morum saltem pietas, uerumetiam salutis expectatio, postremo uitae momento in adolescēte eluxerat. Sed satis sit, habes enim abundē, quod te consoletur. Porro quod scribam, non habeo: nisi accepisse me binas à te literas, ex quo Germaniam sum egressus: unas, cum Libro mihi dicato: alteras Venetijs, his fermē diebus. Vtriusque argumentum mihi gratissimum fuit. Viciissim uerō, cum iam non liceat grati animi documentum praebere, polliceor alio tempore me satis declaraturum mentem tui studiosissimam meam. Nunc autem gratulor tibi honorem, qui tibi sic inopinus acciderit, in eo quod à serenissimo uereq; Christianissimo Rege Ferdinando sis ascitus. Nam quod tibi sacerdotium non uulgare procurauerim Bononiae, dominumq; Martinum Siderum ad eam mentē adduxerim, ut te in sacerdotio relinqueret, scribere superuacaneum esse puto: praesertim cum optimus ac prudentissimus ille D. Theodoricus, qui literas haec tibi reddit, omnia recensere, referre que tibi queat plenius. Adfuit enim rebus omnibus, omnia uidit: & quantum in eo fuit, opera adiuuit. Et quidem, ut maximē tibi ista perscribere ipsum me desideres, aut non praeter rem uideatur: tamen occupationes multiplices, quibus hoc maximē tempore distringor, hanc mihi facultatem non permittunt. Neque uerō te tam importunum esse, uel esse saltem uelle, scio, ut quod à me uel minimum commodē fieri nō queat, id aut flagitare, aut à me cupere uelis. Sed ad id reuortor, omnia te plenius ex D. Theoderico percepturum. Non grauabitur enim tibi referre: cum non grauatus sit, si res tulisset, in omnibus tibi inseruire. Caeterum non illud praetermittam, dolore me affici plurimum, quod nequiebam praebendam illam meam, sicut optaueras, tibi resignatam tradere. Quum enim ad eam, post recessum, uel decessum meum, quidam aulicus, cū quo sanē principio litigaueram, regressum haberet, & illa à praepositura maioris ecclesiae diui Ioannis dependeat (id enim & lex & consuetudo obtinuit) aut illi hoc cedendum, aut uniuersum permitendum fuit. Ita, ut si nunc etiam praeposituram abdicare uelim, nemini me, praeterquam illi, tradere sit integrum. Sed habeo sanē aliam in collegiata diui Ioannis Ecclesia (de qua me tecum esse loquutum memini) si praesens esse uelis, aut possis. Quanquam tibi iam ad maxima aspiranti, non amplius his humilibus sit opus: Saltem ut Regi serenissimo tuo, siue potius nostro, bene sufficienter que seruias. De me, quacunque de optimo fratre tuo polliceri potes, constanter spera. Vale, & postquam serenissimi Principis ac illustrissimi Cardinalis Triden. manus fueris osculatus, Reuerendiss. D. Nuncio Apostolico, & Episcopo Viennens. me commendes. Venetijs, xxix Aug. Anno MDxxxiii.

Ioannes. Parca.

IO. Nunquid Ioannes iuuenilem Nausea florem
Perdere debueram, quam prius hora foret?

P. Pallida credidimus uitam nos fata senilem:
Te doctum nomen prodidit hocce tuum.

IO. Cur mala, curq; bona trutinatis lance bipendi,
Sic ut iusta nihil iuris habere queant?

P. Indicat hoc, iuuenis, nostrum tu nomen honeste,
Parcere quod nulli nomina nostra uelint.

IO. Vos estis Parca merito, quia nulla iuuentæ
Infantis ratio uos mea mouit atras.

P. Si mores tam ritè pios scissemus amice
Ante tuos, posses uiuere fors an adhuc.

IO. Si iam poenituit uitam rapuisse uir entem,
Nobile membrorum nunc reuocate decus.

P. Destituisse leue est, graue restituisse decorem:
Viribus haud nostris, sed datur hocce Dei.

IO. Si iam uita nequit mea mi redire relicta:
Tu serues animam, maxime Christe, meam.

ALIVD.

Natus Ioannes uix Nausea desero mundum,
Linguae uix nactus dona relinquo miser,
Nunc caret ingenio, putridum nunc corpus, & aura:
Spiritus at gaudens æthera sancta colit.

EPITAPHION ORNATI IUVENIS IOAN-
NIS NAUSEAE, DEFUNCTI ROMÆ.

Inuida cum nos fata premunt, quid nostra facultas,
Quid ualeat, Lector, aut aliena, tenes.

Scilicet ad mortis subitas frigescere uires
Omnia, neq; ullis pondus inesse modis.

Sic perijt noſter iuuenis quoq; Nausea clarus,
Attereret cum omnem mors ita prorsus opem.

Non ualuit flos ille uigens, ut robore primi
Vinceret hanc æui, uictus en ipse iacet.

Non ars illa potens, eius quo munere uitam
Posset habere suam, nil medicina fuit.

Ergo quid ingenium? quid doctæ gratia linguae?
Quid faceret uitæ lausq; decusq; piæ?

Frigida uirtutem mors nunquam respicit ullam,
Si nil praesidijs sicq; agiturq; meritis.

Mortuus est igitur Ioannes noſter honestus,
Crimen habet tanti Mors truculenta mali.

Corpus

Corpus inest tumulo, sed spiritus astra petiuit,
Aetheris ac sortem non morturus habet.

Tu tamen hanc homini, dicens optato salutem,
Perpetuum felix Nausea mi ualeas.

M. ADAM BARTHOLOMAEVS SACRAE THEOLOGIAE
Baccalaureus, Regens Contubernij noui Heydelbergæ, Excellentiss. simul ac piensissimo D.
Friderico Nauseæ Blancicampiano, insignis Archicathedralis Ecclesiae Magun-
tinen. Concionatori, Domino ac patrono meo semper obser-
uandissimo, colendissimoq.



Alus quam maxima. Quoties ego religionis ac fidei, quo-
ties eruditionis eximiae, & in tractandis rebus ecclesiasti-
cis constantiae insuperabilis, nec non beneficiorum in me
collatorum cumuli recordor (Doctissime Nausea) non
possum non uehementer esse sollicitus, quomodo dignè te alloqui,
& qua ratione tibi cum maiestate & dignitate scribere uelim. Siue
enim animo repeto consiliū illud mihi à te datum, ut Dominis meis
ea qua possum opportunitate neglectum subdiaconatum recusem:
siue beneficiorum cumulum, siue amica inter nos colloquia collata,
siue deniq; pietatè tuā, quod in subsidiū Christianae religionis indu-
stria et eruditione, qua polles, Centurias sermonū, tum de tēpore, tū
de sanctis publicaris: maiora sunt planè omnia hæc uerbis meis. ita
sanè, ut desperè, me aliqua in parte tibi dignè scribere posse. Verūm
cum mihi, tamen indigniori, equè atq; tibi onus uirieg Domini plā-
rande, rigandæ & edificandæ incubat, facit hæc officiorū nostrorū si-
milis cōditio, ut omni pudore abiecto, tibi scribere destinauerim. Fa-
xit Deus, ut fortiter & uiriliter à disputatoribus, hoc est Lutheranis
et Zuinglianis, nec nō Catabaptistis, et reliquis falsarijs hanc uineā,
ab Apostolorū temporib. usq; ad nostra secula probè cultā & cōser-
uatā, exēplo tuo defendere possim. Nam nō uno dolo, nō una fraude,
sed mille technis simul, nuper nati theologastri, perinde ac tercentū
ille uulpeculae caudis conglutinatis, in libris Iudicū, uineā Domini
deuastare molunt. Ecclesiā siquidē catholicā labefactāt in hoc, q̄ mis-
sè sacrificiū reijciūt, q̄ externū sacerdotiū, q̄ liberū hominis arbitriū
negāt, & alia quēdā, quæ hic breuitatis causa lubēs obticeſco. Rursus
alij muros coelestis Hierusalē in hūc modū corruere faciunt, quod sa-
cramento altaris praesentiā & corporis & sanguinis Domini nostri
Iesu Christi adimunt: quodc; imagines sanctorū, ceu idolorū cultū,
magna temeritate eijciūt, cōſcindunt, et exurunt. Tandē noui Dona-
tistę, cum antiquis Catharis cōmunicantes, Anabaptistę, rebaptizā-
dis paruulis, tollendis magistratibus, & similibus impertinentijs ec-
clesiæ iniurias inferūt, aliqui inter istos Circūcellionum nefarios mo-
res imitando, hanc ipsam ecclesiam nostram affligunt. In tanta itaq;
ecclesiæ perturbatione meritò exanimarer, nisi te ueluti Theſeo in
hac re usurus forem. Oro ergo te, excellentissime Doctor, ut me in
spirituali isto certamine adhuc imbellem, tuis & literis & uoce ui-
ua ipsa,

N 3 uaipla,

ua ipsa cum peruenero, quod uolo, cōfirmes, instituasq; Habebis tu me semper ad omnia *προθυμωτέρη*: atq; si contigerit, quod Dominus uerbum dabit euāgelizanti uirtute multa, iunctis copijs tecum pro dimicabo. Theobaldo enim Billicano amplius, propter loci distantiam, familiariter uti non possum, erit itaq; mihi pro Billicano alius, & forsan foelicior & animosior patronus. Doctor FRIDERICVS NAVSEA. Vale igitur multum doctissime uir, et de me sentias, quæ patronū erga subditum fas est sentire. Datū subitō Heydelberge, ex *φροντιστηρίω* nostro, in alma Academia. An. MDXXIII. die uerō Iouis post Misericordias Domini. Cæterum meo nomine salutes Dominum Decanum, seniore illum, apud quem præsumus, adeoq; Decanum facultatis Artistarum, M. Henrichū Hospacum, amicissimum meum.

ALBERTVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.
Card. Arch. Magunt. & Magdenburg. Friderico Nauseæ S. D.



Ccepimus tuas literas, honorabilis, erudite, dilecteq; nobis, & simul quid cupias, intelleximus. Itaque cum paulo post negotia quædā sacri Imperij tractaturi, istuc uenturi sumus (uenire uerō certum est) faciemus, ut animo tuo satis fiat. Interim bene uale. è Spira, postridie Palmarum. Anni MDXXIX.

ALBERTVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.
Card. Arch. Mag. & Magden. Friderico Nauseæ S. D.



Intelleximus, honorabilis, excellēs, dilectē, quod proximis diebus de Canonatu in ciuitate nostra Maguntia, apud Mariæ gradus, per cursorem citatus sis: idq; prorsus inuiti intelleximus. Sed quoniam nobis nomen istius, qui sibi possessionem uendicet, non edis, à te desideramus, ut proximis literis eum nobis indices. In quo enim tibi prodesse poterimus, perpetua promptitudine, nō de futuri sumus. Ex Augusta, pridie assumptionis beatæ Virginis, Anno MDXXX.

THOMAS EPISCOPVS FELTRENSIS, VTI FRATER, insigni Catholicæ fidei propagatori, Friderico Nauseæ S. D.



Literæ tuæ XXI Septemb. & quatuor ante diebus priores, postremæ XI Octob. ad me uenerunt, quibus indicas, te in Canonicum ad Gradus Maguntia ordinaria autoritate receptum, à Martino uerō Siedero apostolico expectate impediri: quare efflagitas, ut apud Sanctissimū Dominū nostrū, quatenus tibi ius tuū cōfirmet, & ab illo te quietū præstet, efficiā: quod profecto per quā difficile est. Nam nō potest ius alteri quæsitum eripi. Nec pontifices solent ea, quæ semel cōtulerunt, reuocare;

reuocare: cum ab honestate deuium sit, id quod alicui datum sit, recipere. Sed alia aggrediamur uia. Archiepiscopus Capuanus quoddam contulit de suis beneficijs Valentino. Ei potest interim aliud cōstitui, ut restituat hanc collationem, si fortē Martinus ille Siederus hac compensatione acquiescere uelit. Scribes igitur ipsi. Ego occasione data, sanctissimum Dominum cum eo accedam, simul que pro te intercessione facta, uidebimus, si quid efficere poterimus. Quod si successus deerit, attamen curabimus, ut illic super aliquod beneficium reseruato tibi prouideatur. Interim litem hanc cum Martino illo non expauescas: sed bono sis animo, dabitur opera, ut acquiras, unde uitæ tuæ necessaria semper habeas. Vale, & Decano S. Mauricij me commenda. Bononia, V. Idus Decemb. Anno MDXXIX.

ALBERTVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.
Card. Archiepiscopus Mogun. & Magdenburgen. Excellenti uiro
D. Friderico Nauseæ S. D.



Onorabilis, excellens, dilectē, mittimus hic tibi nostri promissi literas, de suffraganeatu Maguntino, & eas quidem reseruatorias. idq; pridem fecissemus, nisi negotijs assiduis hactenus retardati fuisset. Quamuis autem iustius rei ratio sit talis, ut nec iuri contrarium, nec à consuetudine alienum quicquam faciamus, tamen uolumus hoc te silentio premerē. Sic enim fieri, pro bono dispeximus. Quod si præstiteris, uoluntatē nostram grato obsequio explebis. Vale, ex Aschaffenburg, postridie Oculi. Anno MDXXXIX.

ALBERTVS DEI GRATIA S. R. E. CARDINALIS, Archiepiscopus Mag. & Magden. Friderico Nauseæ S. D.



Reuenerunt ad nos tuæ literæ, honorabilis, deuote, nobis sincerē dilectē, quibus significas, nonnulla te nobis præscripturum fuisse, cognitione non indigna, nisi timuisses ne nobis importunus esses. Nos uerō tibi notum facimus, ut posthac quæ libeat, absq; dubitatione scribas. nam omnia sumus clementi animo, & quidem prolixē, suscepturi. Quod pertinet ad Cēturias tuas, te scire uolumus, nobis non displicere, propter causas & rationes expositas, inscriptionem Homeliarum. Postremō mittimus exemplar literarum, quas ad Pont. Max. tua causa scripsimus, optantes, ut eæ quā fieri potest, tibi utilissimē accidāt. Nam perpetuo fauore tibi tuisq; commodis propensi sumus. Ex Aschaffenburg, postridie Oculi. Anno MDXXX.

ALBERTVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.
Card. Archiepiscopus Magun. & Magdeb. Friderico
Nauseæ, S. D.



Eddita sunt nobis cum libro Homeliarum literæ tuæ, quæ nobis admodum gratæ fuere, eoque scribimus nostro in arce S. Martini architrilino, ut tibi nostro nomine cadum uini exhibeat. Id quod facturus est, cum saltem literas hæc nostras (quas ut eidem reddi cures, cupimus) receperit. Cæterum Canonicatus tui causa conferemus cum Domino Legato Apostolico: quantumque fuerit in nobis, adnitemur, ut in eius possessione permaneas. Præterea scribimus collegio ad Gradus, ut omni mora prætermissa, te, non secus ac omni iure cõsuetudinẽque perfunctum, in Capitulum recipiant. Quemadmodum fore non dubitamus. Vale. Aschaffenburgi, III Calend. octob. Anni MDXXX.

BEATISSIMO PATRI AC DOMINO, D. N.
Clementi septimo Pont. Max. Domino clementissimo, Albertus
Card. & Archiepiscopus Magunt.



Beatissime pater, ac clementissime Domine, post pedum oscula beatorum. Dudum Friderico Nauseæ, uerbi diuini in Ecclesia Maguntina concionatori, nullum aliud beneficium habenti, sub sanctitatis V. beneplacito Canonicatum Ecclesiæ beatæ Mariæ uirginis ad Gradus, tunc per obitum Conradi Hertelii, extra Romanam Curiam defuncti, uacantem: cuius fructus x x florenorum auri Rheneñ. annua pensione cuidam ad uitam referuata, grauati VI marcarum argenti puri ualorem annuatim non excedunt, ob præclara eius in sedem Apostolicam merita, & orthodoxæ fidei zelum, contuli possessione subsequuta. Cui sanctitatis V. literarum scriptor Martinus Siedærus, afferens illum Canonicatum ad se uigore gratiæ sibi à S. V. expectatiuè concessæ, spectare de iure, se opposuit, causamque in Rota committi contra eum obtinuit. ubi adhuc pendet indecisa. Et licet S. V. ut accepi, ex solita clementia ad meas & aliorum grauium uirorum preces commissiõnem dederit, præfatum Martinum aduersarium honestis medijs contentandi: cuius tamen culpa nescio, Martinus, asserens se nondum contentum, iuri suo minimè cessit. Quo fit, ut Fridericus propter litem anxius, à credito sibi prædicandi officio distrahatur: nec tam diligenter illi, ut debeat & uelit, intendat. Et cum dictus Fridericus non habeat modum, quo aduersarium præfatum contetret (qui pensionem annuam LX. florenorum pro iuris sui cessione petit) ad pedes s. V. iterum unà cum & pro ipso Friderico recurre, humiliter supplicando, quatenus s. V. Reuerendiss. Domino Card. Derthusiens. negotiũ hoc, quo Martinus contentus, & Fridericus quietus reddat, committere dignetur. In quo re Deo gratã, mihiq; acceptã faciet, & tranquillitati ipsius Friderici consulat. s. V. pro salubri Ecclesiæ regimine diu altissimus incolumẽ conferuet. Ex Maguntia, Die xviii. Decemb. Anno nati Christi MDXXXI.

THO

THOMAS EPISCOPVS FELTRENسيس, VTI FRATER,
Reuerendo Domino Friderico Nauseæ, LL.
Doctori, S. D.



Ratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, ad xv iiii. Jan. datæ. Quod ad Canonicatum in Ecclesia ad Gradus attinet, noties Legatus ea de re Pontifici scripsit, ut nunquam alias fuerit diligentior. Responsum sepius est, aduersarium liti cessurum. Nec minus dubito, quin id facturus sit, quàm ut ulla re compensa contentari queat. Plures enim rationes sunt ipsi oblatae, quas omnes recusauit. à Pontifice uerò iam datario iniunctum est, ut eum quietum reddat. Cum Cæsaris nominationes expedientur, tui non ero immemor. Saltem quid tibi iam delegeris, indica. Ioannem Agricolam & tuo & Cochlæi nomine commendatum habuit: dedisti operam, ut maiore de parte taxa ipsi condonata sit. Agricolam nominaui, Iodocum Lochnerum nominare debueram. Ut cunctis tamen, commendatum habui. Lucas Bõnfius tibi plurimam salutem impertit. Vale, & me ama. Bruxellæ, xiiii Febru. Anno Salutis MDXXXI.

ALBERTVS MISERATIONE DIVINA S. R. E. CARD.
Archiepiscopus Magunt. & Magden. Friderico Nauseæ nostro,
singulariter dilecto, s.



Onorabilis, excellens, deuote: Intelleximus te per notarios & testes Rudolphum Rulini Decanum Ecclesiæ nostræ diuæ uirginis ad Gradus, in possessione eiusdem Decanatus interpellasse. Quoniam autem ille nostro fauore eum est consequutus, & nos utriq; bene uelimus, rationẽ inuenire cogitamus, qua uestrum uterq; conquiescat, nec deportata Romanam lite diuturnis ac sumptuosis contentiõibus degraueetur. Itaq; singulari studio desideramus, ut in nostri gratiam iuri tuo cedere, nec amplius illum ad ius urgere uelis: aut potius ad nostri aduertum, quem diu prolaturi non sumus, negotium differre. Pro eo nos operam dabimus (id enim facturum te iam minimè dubitamus) ut non frustra nobis obsequutum te intelligas. Hallis, ex arce S. Mauricij, postridie Dionysij. Anno MDXXXI.

IOANNES FABRI DOCTOR, IUXTA PIO ATQVE
erudito uiro, D. Friderico Nauseæ, Concion. Magunt. s. D.



Aduentum ego tuum expectaueram magna animi cupiditate. Opera namq; tua, in rebus hisce fidei tam arduis, opus fuerat. Sed eum cum longè distuleris, causamq; esse cognouerim, quod propter Christianũ gregem, ut interim eius curã habeas, domi manere iussus sis, æquo animo tuli. Quæ sollicitas, nunquam animo exciderunt: uerum nihil eorũ cau-

O sa

sa à Pontifice nobis uenire, faciunt hæc secula, uariaq; negotia. Ego uerò ab incepto nō desistam, quam primum animi compos fuero: tu primum secū dum uel tenebis locum. Interim meo exemplo patientiam discas, qui unus pro omnibus Germaniæ Episcopis ad restituendam religionē sumptus maximos facio: cum nemo prorsus sit, qui uel teruncium addat, aut reddat. Iam de pace agitur: quæ cum facta fuerit, cum latiores mercedem laborum tuorum accepturus es. Apud Card. Campegium tua gratia egi. Habes eum, pollicetur omnem suam gratiam & beneuolentiam. De sacerdotio Herbipolen. Legato scriberes optarim, atq; rogares, ut absq; pensione conferat. Quod è facultate mea erit, addam, modo tuum animum literis accipiat, ne me suspicetur tam anxium in rebus tuis, præter tuam sententiam & uoluntatem. Plura scriberem, uerum per otium minimè licet. Vale, Augustæ, XI Augusti, Anno MDXXX.

NICOLAUS ARCHIEPISCOPVS CAPVANVS, PLVRIMUM honorabili Friderico Nauseæ S.



Umhodie eas literas accepissem, quas tu III die Octob. ad me dedisti, statim Reuerendissimo Domino Episcopo Vasonien. Sanctissimi D. N. Prælati domestico scripsi, ut causam tuam, meam putaret: efficeretq; me absente, quæ ipsum efficere coram uehementer optarem. Puto apud eum preces meas non nihil ponderis habituras. Hæc te ignorare nolui, ut intelligas me nihil prætermisisse, quod præsens præstarem. Opto te bene ualere, cui me commendo. Florentiæ, XXIX. No uemb. Anno MDXXXI.

IOB A' TETELEBEN, AMPLISSIMO D. FRIDERICO Nauseæ, L. L. Doctori Clarissimo, S. D.



Go iam diu, obseruande Domine, tibi scribere animum induxeram meum: sed pudor, quem adolescentiã meam decere arbitratus sum, hætenus à proposito me deteruit. Indignum enim putauit, doctissimo, honestissimo, ornatissimoq; uiro, me rudem & incultum literis obtrudere, præsertim cum nullam cum eodem amicitiam contraxerim. Veruntamen spero te mea scripta non ægrè laturum. Tug enim saluberrime Conciones iam dudum me accenderunt, ut in amicorū tuorū numerū adscribi uehementer arderem. nam in ijs non modò diuinam ingenij uim, uerum etiam probitatem, pietatemq; præclaram perspexi. In te igitur cum omnia summa ac diuina suspicio, de me nihil affirmare possum: nisi hoc unum, me tui futurum obseruantissimum, diligentissimumq; cultorem, & ardentissimum amatorem. Hunc si uicissim amare potes, uel ob hoc ipsum quod te amat, fac ut in tuū gregem

gregem recipias. Quod si feceris, rem palmariam me hodie assequitum arbitrabor. Bene ualeas, & has meas licet incultas literas, æquibonitq; consulas. Raptim ex ædibus nostris, in Monte S. Albani, XXVII die Iunij, Anno post Christum natum MDXXXI.

IOB A' TETELEBEN CLARISSIMO DOCTISSIMO, uiro D. Friderico Nauseæ, L. L. Doctori consultiissimo, plurimum S.



Vid referam, Friderice, totius Maguntiaë splendor illustris, quanta uoluptate, quantaq; læticia fuerim affectus: nec enim satis uerbis cōsequi possum. Quod apud, cythis, & frondes salignæ capellis, hoc mihi tuæ fuerunt literæ. Inter legendum enim noua quadam & insolita læticia tangebatur, ita ut cor mihi subsultare uideretur: cum quod tuum nomen in literis haberem, tum quod ob unicum epistolium me in tuorum amicorum album esse receptum cognoscerem. Quāquam equidem in tanti uiri amicitiam recipi me indignissimum uideo: tamen quod fortuna utar, me tibi totum dedo: te non solum habiturum me familiarissimum amicum, sed etiam patronum rerum tuarum (si forte opus fuerit) ac expeditorem studiosissimum. Nunc immortales tibi ago gratias: nam relaturum me, affirmare non possem, nisi forte (ut grauissimè disertissimeq; scripsisti) ita sensurus es, ut me gratiam referre putes, cum memoria tenebo: quod quidem facturum me polliceor, Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus. Te uerò rectissimè ualere faxit Christus, autor omnis salutis: ut qui pietatis & probitatis es splendor, nobis quā diutissimè luceas. Ex ædibus nostris, XIX Iunij, Anno MDXXXI.

ANDREAS VVAGNERVS, DOCTISSIMO THEOLOGO, atque integerrimo uiro, D. Friderico Nauseæ, obseruandissimo, S. P. D.



Xcellentissime Domine, Doctor, quid de negotio Priuilegij Quentelli tractatum sit, superioribus aliquot meis literis tibi declarauit. Nunc, cum illud expeditū, & in manibus meis sit, missurus eram, si per nuncium aliquem commodum & perspectæ fidei licuisset, per postam enim mittere, non uidebatur consultum. Propterea (ut interim Quentello, suo priuilegio liceat uti) uisum est, illi copiam authenticā mittere, quoad literas originales mittendi facultas dabitur. Et cum ad Conuentum Imperij Spiram xv. Septemb. conuocentur Principes, nosq; illic futuros, Deo fauente, non dubitem, non inconsultum esse putauit, ut Priuilegium interim apud me seruarem. Ex Spira enim quotidie per certos nuncios Maguntiam ad te, uel Coloniam, id mittere licebit. Quod si interim in aliquibus rebus tibi prodesse poterit, ha-

ro, habebis me semper paratum & sedulum. Noui quod scribā nisi habeo, nisi quod pestis in Boemia, maxime uero Pragæ, grassari incipiat: adeo, ut multos ex aulicis è uita sustulerit. Ex quorum numero etiam Cancellarius Regni Boemiæ fuit: & homo ille prælongus, monstrum omnibus, Laurentius, qui unā mecum, cum Maguntia essemus, apud te pransus est. His me tibi cōmendo. Buduicij Boemiæ, XVII Julij, Anno Christi nati MDXXXI.

ORTHVINVS GRATIVS MAGNIFICO, AC SVMMÆ
authoritatis uiro, Domino Friderico Nauseæ, L. L. Doctori,
ac concionatori Magunt. excellentissimo, S. D.

DEdi ante aliquot dies unas ad te literas, Doctor magnifice, quibus satis superq; significaueram, nos inter sacrum & saxum minimè constituendos. Cæterum, nunc uinculis Gordij dissolutis, omnia ob oculos uersantur. Exemplar enim ipsum suscepimus, quo etiam cōtenti sumus, ut & impensas uitemus inutiles, & spe sua fraude nemo. Illis enim publicatis, tota hæreticorum rabies supprimeretur, eritq; cum illis actum, ut sic tandem serò sapiant Phryges. Verum hæc aliās. Quod autem scribis de Concilijs malè excusis, boni est consulendum. Quis enim ex uetustis, exemplaribus, isq; corruptissimis & ex eis uermibus, ueritatem ipsam probè deprehenderit? Facile est in edita re, quid desit uidere: uerum in lucē primū dare, hoc opus, hic labor est. Præterea quis est, obsecro, qui laboribus respondeat, ut folia ipsa bis relegantur, ne dubites tu in aliquo: sed ualeas foeliciter, Coloniae, III Nonas Junij.

ORTHVINVS GRATIVS AMPLISSIMO VIRO
D. Friderico Nauseæ, patrono singulari, S. D.

MEnit istinc Ioannes Rudelius, tui amantissimus: & non mea solum sententia, uerum etiam aliorum doctissimorum apud nos omnium iudicio, uir egregius: de quo hoc quàm rectissime dici possit, Senuit ante diem, uir fuit ante diem, nec mirum (mi Friderice, mihi, seruo tuo, ac bonis omnibus charissime) quum enim semper cum honestis & exquisitæ eruditionis hominibus conuersatus sit, non potuit non in præstantissimum uirum euadere. Quicquid tu huic feceris, siue ad commodum id fuerit, siue ad honorem, tibi ipsi potissimum id feceris: tum et mihi quoq; ac bonis deniq; omnibus. Mitto tibi folia aliquot corrupta, ut lucē clarius tibi ob oculos uerfetur mea tuis in rebus diligentia. Boni consules, si quando aberratum fuerit. Nam tribus aut quatuor chalcographis ex æquo prælegere non possum. Quis etiam inter decies centena, aut (ut rectius loquar) centies centena milia

lia literarum, non in aliquo aberrabit: Ego tamē pro uiribus Argū in tuis lucubrationibus præstabo. Vale, Coloniae, pridie Idus Iun.

ORTHVINVS GRATIVS DOCTISSIMO VIRO
Friderico Nauseæ, L. L. Doctori, patrono
colendiß. S. D.



Lnter prandendum, herus meus & ego (mi doctissime Friderice) tuas quas ad nos III Idus Iunias dedisti, literas obujs accepimus manibus: quibus primū ex osculatis, ac celeriter tandem perlectis, tuum erga me amorem (Deo laus & gloria) luce clarius perspexi: tibiq; gratias habeo maximas, quod me pauperculum hominem, nulla ex parte cōtempseris, imò & amicorum tuorum albo iam dudum inscripseris. Laudo libri titulum, qui est de Apostolorum passione: tuumq; illius felicissimi inuenti ingenium, ut anonymo potius, quàm Bedæ adscribi uolueris, approbo. Miscellaneas, quas ad nos dedisti, charissimas habemus: illasq; nullo uitio cōtaminatas, breui recipies. Interim bene uale. Coloniae, ex officina nostra literaria, XI. Cal. Iulias.

ORTHVINVS GRATIVS PRÆSTANTISSIMO
uiro D. Friderico Nauseæ Concionatori Magunt. patrono, patriq; S. D.



Egimus olim admirandas, uel à natura, uel à Deo opt. max. ultra modum factas esse rerum transmutationes. at nescio, quæ nam hæc noua sit inter nos metamorphosis, ut nobilissima doctissimi uiri Friderici Nauseæ, clarissimiq; doctoris anima, facta sit indoctissimi tui Orthuini anima. Legi, mi charissime Nausea, literas tuas, VI Maij ad me datas, quibus incorruptam animi tui integritatem luce clarius agnouī. Et quid, obsecro, est mi doctissime Nausea, quo tuum offendere possis Orthuinum? Proh Deum immortalem, quid hoc est, si non contumelia est, aut potius diffidentia? An ignoras, quid in frontispicio Delphici Apollinis scriptum fuerit? Non es amplius Nausea, sed Orthuinus. Intuere ergo animum tuum, & rescribe, quid deprehenderit, hoc solum miror, animum uidelicet tuum, ita à meo, hoc est, à te ipso dissentire: ut Orthuinum tuū ate, hoc est, te ipsum à te ipso offendi posse inconsulto credideris. Vis tibi uerum dicam? sine me per ardua in altissimos montes Sisyphi saxū protrudere, sine me illis precipitè in scopulos deijci: nostra tamun amicitia nodo Gordij de uincta permanebit. Noui humanitatē tuā, noui cōstantiā, noui prudentiam, & inuictū animi robur, quo & heretici conteruntur, & offendi potest nemo. De bonis loquor, nā de schismaticis nō est quod hic uerba faciamus. Valeant, qui inter nos & Christi ecclesiam dissi

O 3 dium

dium uolūt. Verūm ut illuc reuertar, quō digressus sum, habeo gratiam Heroicæ celsitudini tuæ, pro incredibili tuo in me amore, pro mea uirili obsequio fideli relaturus gratiam. Dedi nuper binas ad te literas, alteras quidem prolixiores, alteras plus æquo breuiores. Quid multa? Bonum est, ueniam petere, & omissum, non neglectū scribendi munus repetere. Obtundam te posthac literis, & obstreperum planè senties Orthuinum tuum. Quem etiam cum uel tua culpa non modò uerbosum, sed etiam garrulum deprehenderis, Catonis sis memor, dicentis: Contra uerbosofos noli contendere uerbis. Hæc iocatus sum: te enim & colo unice, & plurimum ueneror. Miscellaneas tuas, primitiarum que Homeliam, diligentissimè premi curabimus. Inde enim uideo, primū Deo gloriam, deinde tibi honorem, postremò mortalibus utilitatem uenturam. Tu bene uale. Ex Colonia, XIII. Cal. Iun.

ORTHVINVS GRATIVS MAGNIFICO AC SPECTATISSIMO UIRO D. FRIDERICO NAVSEÆ S. D.



Isi in nundinis istis præteritis literas Francofordiam ad herum meum petrum Quentel, tibi honorificè offerendas: quas si recepisti, dubiū mihi non est, quin expurgationem meam (que circa mirabilium tuorum labeculas uersata est) libenter acceperis. Nunc ut intelligas, quid nam in officina nostra literaria agatur, procedimus egregiè in Homelijs tuis, nec paruam ego adhibeo diligētiam. Fuissē quoque diebus hisce cum suffraganeo nostro, aliò hinc profectus, nisi me doctissimi uiri FRIDERICI NAVSEÆ, Christi propugnatoris infracti, Cæturia retinissent, & fides data præstare quoque promissum coegisset, hem quid coegisset? Omnia uerus amor sponte subit. Postremò uellem te Homelias ipsas recognoscere, quemadmodum emendauerim. Id si fieri non potest, ego tamen faciam, ut expectationi tuæ respondeam. Vale, ex Colonia, IIII idus Aprilis, Anno MDXXXII.

ORTHVINVS GRATIVS CLARISSIMO UIRO D. FRIDERICO NAVSEÆ, LL. DOCTORI, ECCLESIASTÆ MAGUNTINO S. D.



Nescio quo calamo, aut quo amoris spiritu literas has conscribam, utinam tibi cor meum aperire possem. dices profectò meum amorē (ut in epistola, quam uides, ad Ioannem Episcopum Rostensem scripsi) è cœlo esse de sumptum ignem. Noui magnitudinem animi tui, noui constantiam, noui singularem tuam fidem. Salue igitur uir egregie, idem que Doctor humanissime, quòd ab ouili Christiano rabidissimos sacratissimis Homelijs tuis repellis lupos. Sunt eæ omni auro & argento

& argento preciosiores. In ijs nihil est, quod quenquā offendere possit: quin potius omnia sunt ad bonorum salutem. Quò igitur me uertam cum gaudio, quibus illas extollā modis? Exclamare protinus libet, ô fragrantia Euāgelicæ ueritatis opobalsama, ô melliflui cœlestium doctrinarum flores. Nonne hic sunt purpureis lilia mixta rosis? Quid lilia? apertissimum inquam & elegantissimum orationis tuæ candorē. Quid rosæ purpureæ? zelū dico concitatissimum Dei tuū. Quid multa? Totus liber undiq; preciosissimis donis scater. Quare libenter in celeberrimi nominis tui laudem eiusmodi aliquid cōscripsissem, si, priusquā opus omnino absolutū fuisset, uenissē. Quas autē ad nos mendorū emendationes misisti, intelligibiles non fuere. Tameñ necessariū non est, omnia corrigere: sed tantum illa, quæ sententiā corrūpunt. Quis enim non intelligat erratum, si sit, mulieres fortem non uidi? Verūm hac de re fusius, si fortè ad te illuc uenero, agemus. Nunc me tibi commēdo, & bene ualere opto. Ex Colonia, tertio Calend. Septemb. Anno MDXXXII.

HIERONYMVS BARDTVS, INTEGERRIMO VIRO D. FRIDERICO NAVSEÆ S. D.



Inter eundem Spiram, cum mentio libellorum Ambrosij Pelargi in Oecolampadium editorum haberetur, percunctatus sum, an tibi uisū essent, atque lecti. Dicebas, ne uisus quidem. Spondeo ilico, exemplar transmissurum me. Itaque fidei satisfacio, per uenerabilem dominum Ioannem Heymium, S. Theologiæ baccalaureum, ac Maguntia conuētus nostri concionatorem. Vale foeliciter, ex Francofordia, x v Maij. Anno xxxii.

CHRISTIERNVS CYMONIVS CONSUMMATO THEOLOGO D. FRIDERICO NAVSEÆ, ECCLESIASTÆ MAGUNTINO, S. D.



Pistola illa tua, quæ paucis retro diebus è museo tuo ad me trāsmissa est, humanissime eruditissimeq; Friderice, tam me uarijs affectis animi motibus, ut planè Protei aliquid in morem, uicibus repetitis, uultum demutarim. Nam quid in me est, etiamsi hominem ipsum, quātus quantus sum, commetiri libeat, quod uel uni tuarum uirtutum respōdere queat? Quocirca istiusmodi cœlestium bonorum, quorum in te mirifica lux est, nusquam discrepantem concordiam, solūm mihi admirari licet. Satis enim è foeturis tuis, quanquam mutis, disertissimis tamen, id fieri oportere uideo. Quæ tantæ sunt, ut omnino debeant dici nobilissimæ. Sed quoniam imbecillitatem ingenij mei non ignoro, omittam porrò de lucubrationibus tuis sententiam ferre. Hoc autem dicā, mirari me, quod nullius prectj hominem me, multo que magis humiles habitare myricas, quàm cedros adcolere dignum, tanto studio ad te uocas. Quò se non admittit candor ille

ille tuus? Quod non incredibilis humanitas, & ingenij summa nobilitas? Obtemperabo tamen, & me tuo arbitrio totum tradam, ut non solum tanquam fratre, sed etiam prorsus ut seruitore, quolibet tempore, quibus modis, utare. Faxit Deus Opt. Max. ut quemadmodum omnes qui in nomen ipsius terque quaterque benedictum lauacro regenerationis abluti iurauere, auxilium et benedictionem ipsius sentiunt: nos etiam gratia sua in hoc proposito confirmemur, & retineamur. Gratiam tibi permultam habeo pro negotio, meo nomine summa cura expedito. Quod si amplius ille tua opera uti poterit, aut uti uolet, rogo, ne hominem deseras: Magistrum dico Petrum Kirserum, qui praeter ceteris omnibus est mihi in hoc exilio sincera amicitia familiarissimus, quemque non secus ac me ipsum promotum cupio. Praeterea dignus est, cum propter meliores literas, quarum non uulgarem cognitionem habet, tum propter morum singularem probitatem, ut eum tibi commendarum habeas. Desiderat autem, quam diu Maguntiae ipsi agendum erit, apud aliquem sacerdotem permanere, quo quietius absque turbarum suis interdat. Quare cum tu nulli non ibidem sis notus, poteris etiam in hoc ipsi proficuum esse. Non enim dubito, quin tua gratia quilibet hominem sit suscepturus, ex quo sit nemo, qui te non colat, & (ut decet) toto studio ueneretur. Vale, Christiernique tui ne utiquam oblitus caris. Datum Spirae, XVI Mensis Maij. Anno MDXXXII.

GEORGIUS VICELIUS DOCTISSIMO D.
Friderico Nauſeae, S. D.



Non dum forte redditae sunt tibi literae, quas ad Dominum Laurentium Truchſals dedi. Si sunt redditae, legisti nimirum, qui mecum agatur. Bella undique imminet. Circumdederunt me uituli multi (non mentior, non iocor) & tauri pingues uallauerunt me, aperuerunt os suum diuites urſi, unus ego obſcior multis canibus, feruent odia, ardent irae, uolunt tant criminationes tam acerbae, ut nihil supra. Superest, ut manus afferatur innocenti orthodoxo. Ionae libellum, siue flagellum, uel etiam flabellum quo gens perdita uentulum sibi facit in Aporia sua, pro pinasse mihi cicutam, non solum nigrae succum loliginis, uides expectata, si non rationem remeior: certe ita temperabo rem, ut dubitaturus sis, uter alterum peius laeserit. Si uoluisset, bone Deus, quanta fuerat equo planicies? Rescriptum est, nondum opus excusum esse. Heri transmisisti optimo uiro nuncupatum: is credo curabit edendum. Fortè ad uos uolabit archetypus: aut eò, ubi possit citius & nitidius euulgari. Mirabere Dauidis male cincti pueri, quinque limpidos lapides, quibus enormis statuae dei iectur, cum summo probro. Te mirum in modum oro, ut cures ne studiosi Catholicae Ecclesiae fraudentur opusculis digitorum meorum. Si exijt

Apologia,

Apologia, mittantur huc aliquot exemplaria: simulac Colonien. impressio mihi curet, illa de bonis operibus, optime Domine. Opprimor silentio meo, & periclitor cum Amyclis. Vbi sint libri tui, quaerunt. Quid ad haec respondes? obturarunt os tibi: atque ad eò, ubi est Deus tuus? Non est spes illi in Deo eius. Quare effusissimè obsecro, ut prodeat, quod uoluit. Amici mei quietis erunt animis, inimici uero demittent cristas, & rugabunt frontem. *πῶτε καὶ εὐμαρτῆ* sanctorum Patriarcharum, Regum & Prophetarum celeberrima, tibi dono: utere libro hoc tuo arbitrato. Sunt qui iudicauerunt ea chartis digna. Si tu idem, fac euulgentur, & asportentur proximis nundinis Franckofordiam. Mihi non paruus laboribus constitit, quantum uis paruus Liber. Insertas habet uoces linguarum peregrinarum. Typographus adlaboret, ut emendatè cudad. Si nolet Hebraica, accersat interpretem, qui substituatur latina. Exemplar nullum aliud habeo. Proinde sic curabis, ne liber intercidat. Mitto eo confidentius, quod, cum illic essem, iusseris optime Nauſeae, si qua scripſissem, ad te mitterem. Vale, oraque pro Ecclesiae confirmatione matura. Fachg, feria v post Catherinae, Anno MDXXXII.

IOB A TETELEBEN, EGREGIO VIRO D. FRIDERICO NAVSEAE, CONCIONATORI MAGUNTINO, AMICO INCOMPARABILI. S. D.



Quod tam longo temporis interuallo nullas ad te dedi literas, seriusque tuas adij conciones, Friderice praesidium & dulce decus meum, non obliuioni adscribas meae, oro, nam ualetudine aduersa, qua aliquantum Dei benignitate nunc leuatus sum, insuper negotijs perpetuis, iisdemque maximis impeditus, id committere coactus sum. Quare certo credas uelim, me tui memoriam cum summa diligentia tenere: nihilque tam arduum potest esse, quod tui memoriam ex his praecordijs possit extundere. Porro id animo tuo haerere non dubito, fortunam quamuis esse ferendam, iuxta poetae illud,

*Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.
Cras meliora dabunt superi fortasse benigni.
Nubibus obscuris nunc Iuppiter aera turbat:
Nunc iterum claro caelum splendore serenat.*

Quod libellum de Cometarum exploratione ad me misisti, gratissimo animo accepi. Dispercam, si mihi longo tempore aliquid contigerit gratius. Nam quid ego tibi multis uerbis gratias agam? Utinam eam mihi facultatem aliquando superi concedat, ut possim huc animum tui ardentissimum, re potius quam uerbis declarare. Interim si quid erit, in quo uicissim mea opera utendum putabis, caue rogaueris, sed praecipito: inuenies ad quiduis promptum, & ala-

P crem.

AD D. FRIDERICVM NAVSEAM
crem. Bene uale, Friderice charissime. Ex Museo meo, XXV Se-
ptemb. Anno MDXXXII.

AVG. MARIVS, EPISCOPVS SALONEN. PRAE-
stantissimo uiro, D. Friderico Nauſea, LL. Do-
ctori S. D.

Frimie Domine Doctor, & amice perpetuo colēde, fra-
terq; charissime, binas alternis diebus abs te habui lite-
ras; alteras, sponte tua missas; alteras, meis respondētes:
ē quibus, quod mea tibi sint cordi, imō ipse ego, satis in-
tellexi. Nunc autem aliquanto mitius mecum agit calculus, hostis il-
le meus domesticus. Tibi uerō ualetudinem aduersam accidisse, æ-
quē ac si mea sit, doleo. Nimum te molesto, mi Friderice: at spero,
te mea importunitate non nimum grauari. Sum in huius mūdi ne-
gotijs profectō non tam gnarus, quam conueniat. Sed Deus omnia
supplet. Est D. Matthias, quemadmodum non dubito, mihi perfid-
elis & amicus. Sed timeo eius absentiam. Nunc enim nec apud Cæ-
sarem, nec apud Reuerendiss. D. Legatum est. Si redierit, tum scio
mihi promptē hominem inseruiturum, praesertim cum tu (ut pro-
mittis) tuas ad ipsum hac de re dederis literas. De deuotis Deo, D.
Michaele Vehio & Vuirtenbergio, quamuis haud libens id audio,
credo tamen. Nā scio quid Augustā pro fidei Christianae bono mo-
liti sint. Columnis autem ruentibus, impossibile est tenuissimos as-
seres domum retinere. Vale, XII Maij, Anno MDXXXI.

IOANNES FABRI EPISCOPVS VIENNENSIS
Doctissimo Theologo D. Friderico Nauſea, S. D.

Edubita, mi Nauſea, me ultrō tuo nomine facturum
omnia. De sacerdotio diligenter egi cum Reuerendis-
simo domino Cardinale Campegio, & Episcopo Fel-
trense, qui ambo tua eruditione mirificē delectantur, ti-
biq; pro tuis fidelibus in fidei negotio laboribus impensē fauēt. Re-
spondit tandem Feltrensis, Romanum Pont. tuum aduersarium de-
linisse, & ne tibi negotiū faceretur, alijs sacerdotijs prouidisse. Nu-
diustertius, cum fortē apud Feltrensem essem, exhibuit mihi literas
sanctissimi Domini nostri, quibus tibi cessio perficitur. Quod au-
tem instrumentum, ut planē quietus sis, non datur, temporis sit uf-
tio: breui temporis spacio id accipies. Interim securus tuis rebus in-
cumbe, ac studijs. Ego pro uiribus, in hac (sicut in alijs omnibus re-
bus) aduigilare non desistam. De ueste quod scribis, & nominatio-
nibus, memor ero. Quotidie mecum tui libri comites in curiam ac-
cedunt. Tempus & occasio nondum se dedit: quam cum habuero,
operam meam tibi praestabo. Vinū, quod misisti, sanē bonū, meq;
ualetudini conseruandae peridoneum esse scito. Ago itaq; tibi grati-
as, referre paratissimus. Equum, quem scribis uilissimum, miror
quā

quam obrem tam diu alueris. Vix enim tanti uendes, ut pabulum,
quod interim dum absum, consumpsit, resoluere queas. Vende igitur
quouis precio, & quamprimū. Decanus te resalutat, & omnes
mei. Vale. Coloniae Agrippinae, v Ianuarij, Anno MDXXXI.

IOANNES COCHLAEVS, CLARISSIMO VIRO
D. Friderico Nauſea, Concion. Magist. S. D.

Ix credas quantum mihi doleat, optime iucundissimeq;
Nauſea, non posse me nunc scribere omnia, quae uelim.
Sunt enim ea, ut literarum scriptione non indigna fueris
iudicaturus. Non possum autem ideo, quod nepos hinc
properanter ire coactus fuit. Homeliae tuae magno sunt apud nos
in precio, maximeq; dolet insignis bibliopola Lypſicus Gregorius
Iordan, quod non CCC exemplaria receperit. Noli ob hoc superbi-
re. Dei donum est, non ex te. Sed uale. ex Dresda, i Iulij, Anno Do-
mini MDXXXI.

HERMANNVS SCHOTENNIUS HESSVS PRAE-
stantissimo ac eruditissimo uiro, Domino Friderico Nauſea, Doctori
ac praecceptori obseruandissimo, S. D.

Quod tantopere, uir omnibus numeris absolutissime,
te mihi purgas, ac ob raram scriptionem excusas, doleo
simul, & gaudeo. Doleo, te eruditionis columen, tan-
tum in excusando operae sumere, cum ego sim planē tu-
us: nec tanti faciendus, ut aliquid singularē mea causa praemanib. ti-
bi sumas. Gaudeo, te tali tamq; integro animo me prosequi, & ape-
rire mihi tam liberaliter amicitiae tuae fores, quarum ego frequenta-
tor ero, dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus. Non
est autem quod existimes, suspectum mihi fuisse silentium tuum,
occupationes enim tuas multiplices scio, quibus in Christi negoti-
um uteris. Caeterum quod praesentium latorem mihi commendas,
erit mihi quā gratissimus. Foueoq; ipsum tuo nomine, etiam eru-
ditionis labore. Porro declamationem tuam de Christi natiuitate,
quam summo cum studio haecenus apud me retinui, tibi remitto.
Vale, uir eruditissime: tuiq; studiosissimū, ac eruditionis tuae praec-
onem uehementissimum, mutuo, ut cepisti, amore prosequere. E-
Colonia, VIII Idus Aprilis. Anno post Christū natū MDXXXII.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS CLARIS-
simo uiro D. Friderico Nauſea, S. P. D.

Escio quo casu, nō tam fortuito, quā mirifico, cum nū-
cius S. D. N. Papae unā mecum apud Reuerendissimum
D. Episcopum Strygoniē. ad prandium uocati conue-
niremus, ac inter prandendum cum de uarijs nostri se-
culi doctorum hominum libris, tum de libro tuarum Homiliarū,
P 2 quasi

quasi cuiusdam numinis opportunissimi instinctu mentio facta est, non sine mediocri commendatione tum nominis, tum eruditionis tuæ: nūcius Apostolicus, ut est homo doctus, cœpit perquirere de te, quis esses, & ubi regionum. Cui cum nomen tuum ac statum explicassem, respondit se non solum tibi familiariter notū esse, uerū etiam longō tempore Patauī contubernalem tuum fuisse. Vt itaq; uetus inter uos amicitia confirmetur, cupere se, inquit, tecq; uerbis ipsius salutare iussit. Est autem ille, D. PETRVS PAVLVS VERGERIVS Iustinopolitanus, homo ut doctissimus, ita humanissimus, & uerē Romanus. Præterea dixit, te sibi pariter & à Serenissimo Rege, & à Reuerendissimo Domino Cardinale multoties commendatum. Sis igitur, Nausea suauissime, optimo animo, tibiq; meliorem fortunam pollicere, ex quo tot & tanta concurrunt, de quibus merito gaudere debeas. Ego pro mea uirili, tuis rebus ac commodis nunquam deero. Valetudinem tuam cura.

OTTO MARVS LVSCINIVS PRÆSTANTIS-
simo uiro, D. Friderico Nauseæ, LL. Doctori, Ecclesiastice
Magunt. S. D.



Nnus iam ferme, doctissime D. Friderice, literarum decus præcipuum, intercedit, ex quo tibi scribere molior. Et quoniam commodè se ad id mihi obtulit Ambrosius Pelargus, propositum sum persequutus. Primum igitur, humanissime uir, summas ago tibi gratias, quod peregrinum me ac hospitem Maguntiae nuper foueris, ac liberalissimè tractaueris, cum tamen nihil eiusmodi de te mererer. *ἔγωγε* tibi omnia centuplo reddat. Immeritum planè me fuisse fateor: atq; nunquam committam, ut oblitum me dicas. Eoq; si mihi gratiæ referendæ facultas daretur, omnino facerem id quod dico. Vnum est quod animum malè habet, illa uidelicet nimia habitationis meæ à Maguntia distantia. Habeo fortunarum mearum certam portionem annuam, quæ me comitaretur, quocumq; migrarem. Id solum curæ est, ut sit exercendi ingenij locus. Vehementer enim execror otium. Deinde labori mediocri responderet fructus. Tu me, Doctissime Nausea, consilio tuo iuues. Deus fortunet tua foelicissima, eolendissime D. patrone, pro Christiana repub. studia, tecq; sospitet. E' Friburgo Brisgoie, Cal. Iulij, Anno Christi MDXXXIII.

ERASMVVS ROTERODAMVS EGREGIO VIRO
D. Friderico Nauseæ, S. D.



Villam in te unquam concepī iram, optime charissimèq; Nausea, sed perpetuū meum in te beneuolum animum gessi. Quod tam accuratè silētium excusas, operam prorsus inanem sumpisti. Non metior amicitiam officio literarum. Scribunt ac rescribunt & parum amici, tum epistolis penè adob-

adobruor. Tantum suspicatus sum, meam admonitionem tibi non placuisse, quæ mihi non temerè uenit in mentem. Ea si tibi nō est probata, saltem arguebat me tuis commodis fauere: alioqui non admo- nuisssem. Quid enim mea refert, quæ quisq; scribat? Cardinalem Tridentinum multis argumentis experior esse talem, qualem tu prædicas. Cui gaudeo te sic esse commendatum, ut mea commendatione opus non habeas. Tibiq; gratulor, quod in optimi Principis aulam sis ascitus: cui spero res aliquando fore prosperiores. Nam illius animo nihil fingi potest beatius. Cardinali iam olim dicauī Irenæū. Si quid natū fuerit, quod illi conueniet, non grauabor facere, quod petis. Hæc ætas fuit mihi sterilis, perpetuò languenti. Libellus tuus unà cum literis mihi perlatus fuit à Vienna, per Cardinalem. Vale Nausea in Domino charissime, Friburgi, natali S. Iacobi, Anno MDXXXIII.

GEORGIVS VICELIVS PRÆCLARO VIRO
D. Friderico Nauseæ, Concion. Magunt. S. D.



Ccepi à te unam Epistolam bene longam, sed hoc animo meo gratiorem. Vidi in ea te totum, uir optime, & comperi, quàm mei amans sis. Senti gaudiolium, cum legerem latissimam & doctissimam Epistolam Friderici, amici mei tam noui, quàm uerī. Videris patris obire uelle erga me officium, non fratris solum. Qua uoluntate me tibi totum, quantus sum, obstrinxisti. Gratulor ipse mihi, quod uel è longinquo solatia clarorum hominum tristissimis rebus meis non desunt. Qui proximi sunt, fugiunt à me: uertuntur uices, ut semper. Obduro adhuc, & perfero grauissimum onus grauissimæ aduersitatis. Luctor ingenti animo, ut uincam: non ruam, ne dem manus tentatori. Munit me uerbum uitæ, addit robur innocentiae, conscientia, obarmat ueritatis Catholicæ certitudo, spem optimam inijcit schismatis aperta malicia. Est mihi adhuc à Principe Hesso pax, sed ægra. Cupio, ut tu librum illum, quo mendacem cupediarium illum Ionicum Milesiumq; conuici, uideas. Præter cocos, prorepere lixæ quidam, ut mihi exhibeāt molestiam. Raidus uerè. *ἔα δὲ γυ*, me ueneno tincto, sed tamen plūbeo pugione appetit, idq; in gratiam Lutheri. *ἔα δὲ γυ* *ἡμῶν* bellissima nō legi, titulo contentus. Tribus hisce hebdomadis descripsi Euangelion secundum Lutherum. Cui adiunxi historiam Ecclesiasticam, ut liqueat similes habere labra lactucas. Quale enim Euangelion, talis eius est historia. Operi nondum supremam manum imposui: sed dextero Christo, ad calcem intra quatrīduum deducetur. Impendi hunc laborem Germanis, ut cognoscant Apostolum suum: quare Germanicè scribendum fuit. Vale, Dom. Iudica. Anno salutis mundi MDXXXIII.

GEORGIVS VICELIVS PRÆCELLENTI VIRO
D. Doctori, Friderico Nausea, S. D.



Roximis nundinis dedi ad te binas unâ literas, perbreues tamen, uellem longiores fuissent. Illud molestum fuit, cum homo, cui literas meas dederâ, inanis rediret: compellatusq; à me duriusculè, responderet. Maguntiam se non pertigisse, sed bibliopolæ cuidam facisculum credidisse in nundinis. Ita mi Nausea, mecum agitur. Nulla hominum est certitudo. Qui plurimum *vai xûpiè* respōdent, illi minimum negotium curant. Miror, si non tecum pariter agitur, mi optime Nausea, iam enim diu nihil ad me scripsisti. Quod si non est, rumpe quæso silentium, mihiq; de rebus plurimis perscribere, præcipuè de Synodo, quæ eius modò sit ratio. Nam si prorsus in nihilum ea redibit, quid tu futurum censes, cum mendax fama apparebit, quæ terras omnes est peruagata? Quorsum euadet ultoris Dei lenitas? siccine gubernatores ecclesiæ diffidunt causæ? aut desperant etiam de eius Catorthosi? Sed de istis aliquid eiusmodi sentire, prorsus iniquum uidetur. Ego Erasmmum Roterodamum bis incitavi, ut orationis suæ efficacia persuaderet Monarchis, de cogendo Concilio; usq; adeò hoc unum, penitus animum obsedit. Nam quid uerbis opus? Tu cogita, an alia ratio sit conciliandi cum Ecclesia sectas. Impulit me eius rei anxia ac seria cogitatio, ut nuper Methodum concordia (sic enim libellum uocaui) scribere tentarem: proponens, quibus rationibus unitas disiecta, quam commodissimè reparari queat. Verùm mihi scripsi. Non exhibit museum, nisi sententia decedere cogar. Quod in literis tuis admones, ut Ionæ calumnijs (ô Christe qualibus) apologeticòs responderem, feci id, & quidem ocysimè: an bene, nescio. Eam responsionem legerunt docti, desiderantes, ut emissa sectæ superbiam concuteret. Ego cesso hac in re: nec si satagerem, aliquid explicarem, ut nunc auaritia & impia mens typographorum est. Placuit, ut tibi quoq; missus liber lectitaretur. Videris enim erga me optimè affectus esse, & in primis paternum animum induisse erga calamitatem meam. Per te stabit, utrum uelis excudendum curare, nec ne. Gratissimum profectò faceres uniuerso Catholicorū coetui, mihi uerò nulla in re magis posses obsequi, & inferuire periclitanti famæ meæ. Vtinam fieret eius legendi copia Domino Truchsefsio. Tenta, si quid possis. Sin minus succedet, reuolet autographum meum. Non enim ob id abiiciam & doctrinæ sanctæ, & famæ meę propugnatorem librū. Cum primis me certiorè redde de libro Defensionis honorū operū, quis typographorū Coloniae illū habeat: an addideris priorè editionē scripto meo subnectendā: quid causæ sit, q; ad nūndinas non allatus sit. Expecto singula: nec dubitò, quin amicū, & eum rarum egeris.

Si

Si Coloniae, nondum impressit defensionem meam, admoñe eum, ne sequatur editionem Lypsicam, quæ multis ac erubescendis erratis scatet. Fac diligenter, optime Nausea, procura communem Ecclesiæ utilitatem, cui ego omnia mea impendere statui. Sat diues, satq; beatus ero, si eam intentionem aspexero. Vale uir doctissime, & mihi in uisceribus Christi dilectissime. Fachæ, feria VI post Exaudi, Anno MDXXXII.

IOANNES FABER HAYTORVINVS CELE-
berrimo atq; candidiss. uiro D. Friderico Nausea, Doctori
ac Concion, Maguntino, S. D.



Alue Christianissime agonotheta, celeberrime domine Doctor. Audiui iam pridè salutationem à patre tuo Iubilario mihi per te demandatam. Ob idq; maximas tibi ago gratias, quòd tu in tātis tuis occupationibus mei meminisse grauatus non fuisti. Lucubrationes tuas doctissimas, & omnib. Christianis utilissimas, assiduè uoluo, reuoluoq; diligentissimè. Nam in illis imposturas sectarum strenuè conuellis, ac errores ipsorum pulcherrimè demonstras: sentioq; magis inde me proficere, quàm unquam sperare potuerim. Ante aliquot dies est mihi oblatum Missale antiquiss. modè, ante mille uidelicet annos scriptum, ex bibliotheca Castrensi, ad Confluentiam: quod, cum ad Canonem legens uenissem, uidi eum defunctorum memoria carere. Nonnulla præterea si de libro hoc scire uolueris, referet egregius uir Dominus Doctor Ditenbergius. Vale, doctissime Doctorum, Prædicatorum antistes uenerabilissime. Ex Confluentia, XII Feb. Anno MDXXXIII.

GEORGIVS VICELIVS, EXIMIO DOCTORI
Friderico Nausea, Ecclesiæ Magunt. S. D.



Ptine Doctor, Domine & amice honoratissime, ne obsecro agrè feras, quòd te toties literis interturbem. sunt quatuor dies, quòd cum auriga tibi scripsi, missò simul libello, quem spero tibi non ingrati fore. Hodie uerò se obtulit grammatophorus, qui quoniam certior mihi uidebatur, quàm erat auriga, non potui non denuò scribere, te que salutare, uirum bonum, fautorem meum. Qui sit autem rogo, quòd tu nihil ad me quidem das literarum? hoc est, ad hominem tui amantissimum? Poteras id uel cum Abbatis Fuldensis ministro. Mi Domine, ne grauare operari, unde læter ac ædificer. Vtinam obtineatur à te, quòd iam scripturus sum. Faceres mihi gratius nihil, quàm si me Abbati Fuldensi commendares, ut liceret eo uti Mercenante in hac tristissima tempestate. Res uxoria mihi apud cordatos pios que uiros nihil obest, scio: quorundam impudica impudentia

dentia oblatrat. at ego conciliū sectabor, quod (spero) hac in re equitate decernet. Vale in Christo Iesu seruatore, filio Dei uiui. Fachæ, feria III post Andreae. Anno, MDXXXII.

DANIEL MAVCHIVS, EPISCOPI BRIXINEN,
Secretarius, Reuerendo Domino Friderico Nauseæ,
Doctori, S. D.



Quod ad te tam diu nil scripsi, iucundissime mi Nausea, multæ quidem causæ, uerum hæc potissima fuit, quod speraui me ipsum ad te uenturum: multum que mihi & diu doluit, quod te superiore anno ita præterire sum coactus. nunc autem sperabam me uenturum ad te. Verum fors aliter tulit: quare hæc ad te scribenda duxi. Scio propediem uobiscum fore Cæsarem, à cuius familiaribus multa interrogabis, quæ fortè hic perscribenda essent. De me tamen si scire cupis, rectè ualeo, mansi que tanto tempore in Germania inferiore inuitus. Vnde tibi sæpius scripsissem, nisi semper ipsum me uenturum sperassem. Nunc uerò cum Principe meo uado Brixinam. nam illi sunt multa negotia domi, nec ex consensu Cæsaris intererit Ratisbonæ comitijs. Reuerendissimo Cardinali Campegio, cum ad uos uenerit, me plurimum commenda. Qui multa quidem mihi hæctenus pollicitus est, sed pauca præstitit. Petiui semel Augustæ pro magnis laboribus meis pecuniam, sed mediam mihi numerari iussit, quæ erat VI coronatorum. Abinde quamuis meam ipsi operam offerrem, ea tamen uti nunquam uoluit, uel fortè non eguit, uisus que mihi est animo esse à me abalienato. Saluauit tamen me & ipse & frater Bruxellis humaniter, ibidem que iussu eius libellum quendam in latinum uerti. Tu optime uale, è Vormacia, III Nonas Feb. Anni MDXXXII.

CHRISTIERNVS CHYMONIUS, CIMBER, CLARISSIMO UIRO FRIDERICO NAUSEÆ DOCTORI, S. P. D.



Quoniam diuina doctrina eruditi, cuius magister in terris Seruator noster, CHRISTVS IESVS, rem non solum minimè damnandam, sed frugis esse quam optimæ, improbâ illam Euangelicam importunitatem, auxiliua flagitandi extraneum, non tantum apud nos homines, sed etiam apud coelestem parentem, existimare & iudicare debemus. Proinde ipse ea'dem animatus fiducia, non cesso negociosissimo tibi, negocia multiplicare: sperans interim, denegaturam mihi nihil egregiam illam tuam nec unquam sanè satis laudatâ humanitatē. Verum hæc quidem abudè ampla laus est, tantum te præstare inter perfectos, ut ab integre eruditionis uiris, quorum iudicijs inuidia uim non fecit, uix pro decoro uirtus tua estimari queat. De promotione ergo suscipiendorum insignium Doctoratus ac Licentiæ, qua de re & tecum aliquando mihi sermo erat,

erat, & absens Maguntiam epistolium ad te sacerdoti dedi, mihi sanè incognito, sed ut uidebam, uiro non improbo: per hunc mihi nuncium uel parua saltem scheda rescribe obsecro, quâ nam uidelicet auri summa Doctoratus & Licentiæ dignitas ordinariè dari soleant: an ne unum saltem ex his, Academia promouendum suscipiat, quantumque solitaria talis promotio constet. Tum quando fieri possit solennis hic actus. Urgeor enim ab amico: cui quippiam denegare, satis inhumanum duco. Quocirca te uehementer rogo, pro ea, qua semper admirandus appares erga omnes, animi benignitate, ne finas uacuum responsione ad me redire nuncium. Quauis enim alia re gratitudinem protestari, paratissimus semper ero. Vale. Datum Spiræ, xxvi Ap. Anno MDXXXII.

IOANNES COCHLAEVS CLARISSIMO UIRO
D. Friderico Nauseæ, Concion. Magunt.
S. P. D.



Reuerende & eximie domine Nausea, redij huc incolomis, longo tamen & tedioso itinere, per longam Hassiam, & per terras Electoris Saxonie, non sine metu captiuitatis. Deus sit benedictus, qui me sic in manifestis periculis seruaui. Fui Marpurgi transeunter, lubesque compellassem D. Ioannem Rudelium, nisi fuisset occupator in parandis nuptijs suis. Visitauit tamen chalcographum, uidi que num haberet aliquid noui: Reperi ibi Chronica M. Charionis, & Institutiones Licentiati Ferrarij, & Theutonicum libellum Urbani Regij de Medicina animæ. Ut Lypsiam redij, comperi plerosque ciues, qui foris in propinquo pago Electoris communicauerat sub utraque specie, à Principe meo proscriptos: similiter & in Ostiz. Edidit præterea seuerissimum præceptum, ne quid innouetur ante generalis Concilij determinationē. Doctor Fachs Lypsen, adhuc detinetur in uinculis, hostis autem ille uix euadet manus longas mei Principis. Hic mirè amat Cæsarem. Nuper cum è Norinberga certas accepisset literas de profligata classe Turcica, & occupata Peloponneso per Andream Dorium, mox me, licet sera nocte accersiu, ut hoc suum mihi comunicaret gaudium: moxque sequenti die iussit publicè cani, Te Deum laudamus. Ago uerò tibi summas, pro liberalitate tua, quam erga me nuper hospitem exercuisti, gratias. Si potero, tibi uicissim aliquando gratus ero. Vale, ex Dresda, IIII Nouem. Anno MDXXXII.

IOANNES COCHLAEVS, INSIGNI ERVDITIONE & PIETATE UIRO, D. FRIDERICO NAUSEÆ, IURIS UTRIVSQUE DOCTORI, ECCLESIASTÆ MAGUNTINO,
S. D.

Q Optime

Ptime ac eruditissime Domine Nausea, ad tristes illas tuas literas iam pridem respondi, nunc tamen etiā respondeo. Compatior tibi profectō ex animo, atq; indignissimē fero hanc et fortunę & malignantium hominum improbitatem. Consolatur me tamen illud Pauli, quōd omnia cooperantur ad bonum ijs, qui secundum propositum uocati sunt sancti. Forsitan Deus Opt. Max. uidet conducibilius tibi fore, ut in iuuentate nunc patientiæ uirtute exercearis, quā in senectute, multis aliis prius incommodis degrauata. Vtuncq; uerō fors cadet, ego fortunam tuam, meam esse iudicabo. Quanquam spe tantum diues sum: re ipsa nollem tam uacuam tibi crumenam esse, ut mihi est. Nec desunt tibi amici magni ac opulenti, quos partim meritis, partim eruditissimis lucubrationibus tibi longē lateq; deuinxisti. Esto forti atque infracto animo. Si Deus uolet, hoc anno simul erimus, si nō Ratisbonæ, at certē Magūtiæ, ubi de his prolixius paulo tractabimus, idq; summa & fide & charitate. Nihil hic noui habemus, nisi quōd Cæsaris aduentum expectamus. Erasmus & Eckius ædificant. De Domino Fabro per totum hunc annum planē nil accepi. Nuncius hic famam secum, de Turcis in Silesiam & Morauiam irrupturis, attulit: quā signentum esse precor. Digni quidem sumus hac uirga: sed indignus Christus, ut permittat tot sibi blasphemias inferri. Bene uale, & cura ut sis fortissimo animo. Deus dabit præter expectationem nostram, meliora. Dresdæ, XII Febr. Anno MDXXXII.

IOANNES COCHLAEVS ET ELOQVENTIA
et eruditione clarissimo uiro, D. Friderico Nausea,
 S. P. D.

Non possum uerbis consequi, doctissime Nausea, quā me torqueat ista fortunæ in te tam diu sæuientis iniquitas: in te uidelicet, laboriosissimum Christi athletam. Quin etiā, ut uerē dicam, timeo, ne frangat animi tui constantiam. Verūm ne cede malis, sed contrā audentior ito. Iuuenis es, & delectatur Deus hoc uirtutis tuæ spectaculo: quemadmodum fustus hoc idē explicabo, cum cōuenerimus. Nam Ratisbonę propediem nos simul fore spero, cum Comitiorum dies incipietur. Ego quidem non parum melius me habeo, sed tamen constāter spe uiuo. Nam dicit ille: lacta super Dominū curam tuam, & ipse te enutriet. Pluribus nunc agere nolo, partim quōd satis nō uocat, partim quōd prolixa consolatione non eges. Valeas igitur uocaticissimē. Dresdæ, x. Ianuar. Anno Virginei partus MDXXXII.

LVCAS BONFIVS ERVDITISSIMO VIRO D. FRIDERICO Nausea, Doctori, S. D.

Nisi

Isi mihi iam satis constaret, te nulla commēdatione apud Reuerēdissimum Dominum Campegium indigere, pro mea in te perpetua beneuolentia non desistissēm, te ipsi nunc de meliori nota commendare. Verūm ipsum erga te uideo mirificē affectū, saltē quōd commune doctorum omnium fatum obstat: scēq; facile peruinci non patitur. Caue tamen desperes, sed perge uineam Domini colere. Tandem aliquando præmium suum etiā terrenis rebus referet Deus. Si quid autem est, quōd me tibi facere posse putas, significa. Senties, quōd uerbis meis factō nō sim defuturus. Interim uale, meq; mutuo dilige. Ex Ratisbona, x i i Cal. Iunij, Anno MDXXXII.

HIERONYMVS ALEXANDER ARCHIEPISCOPVS
Brundisius, Friderico Nausea S. D.

Reuerende Domine & amice, periucundæ mihi fuerunt tuæ literæ, quas patruelis tuus mihi attulit. Brevitatis excusationem libenter accipio. Doleo tamen opinionē talem apud te de me fuisse, quōd patruelem tuum commendaris. Cū persuasum habere debueris, non modō illum (quo chariorem, cum tuus sit, habeo neminem) sed quemlibet tui nominis studiosum, eo loci apud me semper esse futurum, quo debet esse apud me, qui multis præsertim apud Reuerēdissimū D. Cardinal. Campegium sit beneficij affectus. Itaq; de patruele tuo non sis sollicitus, nec de ullo quem mihi uis posthac commendatum. Vale. Ratisbona, ix Cal. Ap. Anno MDXXXII.

IOANNES COCHLAEVS ERVDITIONE ET ELOQVENTIA
præstantissimo uiro, D. Friderico Nausea S. D.

Ptime ac humanissime Domine Nausea, uereor ne literæ meæ neglectius ac festinātius scriptæ ad te, tibi tēdior sint: tamen cum humanitatem tuam considero, spero te boni facturum, qualecunq; tandem sit id quod ab amantissimo tui ueniat. Non opus est (puto) longa excusationum ambage, quōd iam diu ad te non scribo. Nam pari tecum ratione agetur, qui intra IIII menses nullas prorsus ad me scripseris. Spero te bene ualere, tum etiā opibus augeri. Ego magis euacuor. Nam proximē parauī nuptias neptimæ, uinum comparauī, præterea altera iam instruere cogor. Homiliæ tuæ magno sunt apud nos in precio, nec iniuria: familiares enim sunt, & copiosæ, plurimum tamen ad pietatem proficiuæ. Clerus hic noster multo temperantius uiuit, quā pleriq; istic solent. Sed tu nihilominus, moneo diligenter & hortor, ne in publico nimis illos inflectere. Non enim nunc tempus id est facere: quin potius periculū est, ex quo prius ingens uulgi aduersus omnes spiritalium ordines est odium. Nostri uerō quā

Q 2 ingeniosus

ingeniosus esse soleat appetitus uindictæ, dolorq; nosti etiã, quã impiger diabolus ad tollendos eos, quorum opera pietatem restitui defendiq; intelligit. In Apologiã Philippi Melãchthonis scriptã Philippicas quatuor: scripturus multo plures, opitulãte Domino, si spes esset hoc turbulento tempore aliquid efficiendi. Quæ cum non appareat, & manus ad scribendum & animus ad edendum sit segnior, expectabo pleniorẽ facultatẽ & commoditatẽ. De Heluetiorum conflictibus, & multa & grandia hic audiuimus. Tu quãso rescribe, præsertim de Zuinglio, quem occisum esse ferunt. De Oecolãpadio, Bucero, Capitone, & Hedione, nil certi affertur. Mirum est, quod optimis Dei donis sic abutuntur. Lutherum principis suus, meum principem amplius maledictis offendere uetuit, quare amisit animum. Capuanus hoc autummo bis ad me scripsit, & de gratia sedis Apostolicæ multa pollicetur. Quanti uerò ea nunc apud nos ualeat, ipse nosti. Est tamen iucundum, tanti uerticis gratiam etiã absque effectu habere. In Anglia plus fauoris esset mihi, si non illud ingens inter magnos coniuges dissidium existeret. Sed ualeat humana gratia, quæ gratiæ diuinæ aduersatur. Primum igitur quæram regnum Dei, & cætera adijciet Dominus ultro, ut hætenus. Bene uale, uir clarissime. Ex Dresda, XXIIX Decemb, Anno MDXXXII.

IOANNES RIPPACHIVS REVERENDO DO-
ctori Friderico Nauſæe, apud Maguntiam Ecclesiastæ
doctissimo, S. D.

Reuerende ac doctissime Domine, cum humillima meâ commendatione: Binas à te literas accepi, quibus me mones, ut de Canonatu Haugense, quæ sint necessaria perscribam. Ego uerò non potui hætenus quicquam in hanc rationem rescire, nisi quod Dominus Ambrosius Breus, Canonicus noui Monasterij Herbipolensis, cum ad ægrotantem me uenisset, à meq; de causa tua interrogatus esset, dixit se Romæ (unde non ita diu redijt) intellexisse, quendam Ioannem Mennidien, Vuestphalum, habuisse reseruatũ in Ecclesiam nostram, sic quæ te acceptatione occupationeq; beneficij præuenisse. Postea tamen hoc ius in quendam Theodericum de Rheden transtulisse. Obstupuĩ cum hæc audirem, optime ac doctissime Domine Nauſæa. Nam nihil magis præter expectationem mihi contingere potuit: tamen si tu te id ipsum timere nuper Maguntia prædixisti. Sed ego non existimabam, tantum infortunij præſagam mentem tuam continere. Nunc igitur & doleo grauius ob casum istum tuum: simul & spero, breui malum hoc, nouo bono compensatum iri: atque sic compensatum quidem, ut magis præſenti sis lætaturus, quã præterito fueris tristatus: Nam idem D. Ambrosius mihi retulit, quod

S. D. N.

S. D. N. Clemens septimus, te cum Martino Sieder ex ipsius sententia contentum fecerit. Ex quo potui intelligere, si sanctissimus Dominus ita te cognouerit, ut pro te grandem impensam facere non dubitarit, posthac etiã non minora præstiturum. Ego pro tua fortuna Deum precari non desistam. Sum enim tibi deditissimus, & tibi faueo miris modis: tum propter doctrinam, qua nostros hic omnes profectò superas: tum propter uirtutes, quæ tantæ sunt, ut tibi nemo hominum meritò fauere possit. Interim, doctissime Nauſæa, optimè ualeas. Ex Herbipoli, die diuorum Petri & Pauli. Anno post Christum natum, MDXXXII.

IOANNES RIPPACHIVS HERBIPOLENSIS CA-
nonicus, Reuerendo & præclarissimo Diuini uerbi Magunt.
Concion. Friderico Nauſæe, S. D.



Accepi literas tuas XX Iunij datas, unã cum decisione quadam, quæ omnia summa cum uoluptate perlegi, sic, ut satis affectum meum exprimere nequeant. Nam erant literæ tum doctrina, tum elegantia uenustissime. Verum de Canonatu iam noto, sic res habet. Non possunt inter se conuenire homines illi, delitigant inter se. Theodoricus ille, in quem ius suum transtulerat Ioannes ille Vuestphalus, è diuerso contulit Egidio cuidam Geisio, pro quæ eo nunc modis omnibus in possessione retinendo innititur. An res sit successura, incerto. Spero certè ex hac uarietate facultatẽ adhuc nobis dispiciendi beneficij futuram. Id quod faxit Christus, noster Dominus. Placuit mihi summè Præfatio & Appendix decisionis. Spero tandem orauiperarum destituta, sycophantas que non amplius bonos uiros calumnijs & malis artibus impugnaturus. Venturus est ad me Dominus Caspar Meynus Bambergens, cum quo de hac ipsa causa tua conferam: si fortè (quod ego summè cupio & desidero) mea quoq; opera ipsi, cui propter Christiana merita profectò debemus omnes, prodesse queam. si non, ut certè animo meo satisfaciam. Deus te diu Ecclesiæ suæ incolumem seruare dignetur. Herbipoli, XII. Iulij, &c.

IOANNES COCHLAEVS CLARISSIMO VIRO
D. Friderico Nauſæe, Doctori, Ecclesiastæ Magunt.
no, S. P. D.



Qantum doloris afferant Reuerendissimo Domino Episcopo Viennensi, & mihi, imò etiã Domino Legato, fratri que eius, ac Domino Archiepiscopo Brunduſino, querulæ literæ tuæ, charissime ac fidelissime frater & amice, tibi satis perscribere non possum. Indignamur profectò miris modis omnes, usque adeò aduersam tibi in beneficijs assequendis esse Fortunam. Sed sicut antè scripsi,

Q 3 Tu

Tu ne cedē malis, sed contrā audentior ito. Quantum in me fuit, tibi prospicere non pratermissi. Rogavi enim Reuerendissimum Dominum Legatum, ille gemēs dixit: Certē pro meo proprio filio plus facere non potuissē. Rogavi Aleandrum Archiepiscopum Brundulinum: Is, sicut prius, affirmavit non modō coram me, sed etiam coram Legato, Sangam Papæ Secretarium intimum scripsisse sibi, Nauseam esse iam à summo Pontifice pacificatum. Cum que ego literas exequutoriales allegassē, illi dixerunt, ne cures: exequutoriam nesciuisse, quid interim Romæ de te actum esset. Scriperunt itaque rursus ambo ad Papam acerrimē, iusseruntq; ut securo te animo esse iubeam. Quod si, ut spero, successerit, & tu hoc beneficium retinueris, melius, ut spero, erit tibi, quàm si alibi duas preposituras habeas. Nam aliās, pro statutis & reliquis ecclēsiæ pētionibus, te plurimum pecuniæ profundere oporteret. Id quod nunc non necesse haberes. Vale igitur, & bono sis, precor, animo. è Ratisbona, v. Iunij, Anno post natum Saluatorem MDXXXII.

IOANNES DEI GRATIA EPISCOPVS VIENNENSIS,
 & Coadiutor Nouæ Ciuitatis in Austria, Doctissimo Theologo D. Friderico Nauseæ S. D.



Vnt fortassis pleriq; Nausea ornatissime, qui me fortem & magnanimum putēt, quōd his turbulentissimis temporibus, aula relicta, ausus fuerim, huc me ad oues meas, in medios Turcarum exercitus & tumultus bellicos conferre. At ego me hercle multo præclarior esse, & maioris animi opus existimo, quōd ausus sim inter tot & tam uaria nationū genera, de diuersis absq; dubio sectis, uerbum Dei absq; timore publicitus intonare. Qua mea audacia, diligentiq; opera quantum effecerim, alijs de me prædicandum relinquo. Illud tamen mihi iurē sumere possum, me & Lutheranos & Zuinglianos & Anabaptistas, sine omni contradictione, auditores habuisse. Itaque sermones, quos hoc bimestri habui, in unum collegi, ac ad petitionem assiduam quorundam amicorum meorum hic imprimendos dedi. Interea uerō temporis, dum in Aula domo absūm, multæ mendæ in libris relictae sunt. Et cum non multa tum exemplaria procudi fecerim, uisum est mihi, Petro Quentelio typographo Colonienē, denuō imprimenda mittere. Eius rei causa mitto tibi hic exemplar, petens, ut interim utcunq; reuidere et emendare uelis. Ego me uicissim tuis commodis nusquam defuturum polliceor. è Vienna, xii Septemb. Anno Domini MDXXXII.

IOANNES COCHLAEVS ERVDITISSIMO VIRO
 D. Friderico Nauseæ, Doctori, Ecclesiastæ Maguntino, S. P. D.

Indi



Indigna sunt prorsus, optime ac eruditissime Nausea, quæ contra te aguntur. Quid dicā? uideo erubescere in causa tua amicissimos etiam, & maximæ autoritatis uiros. Ego tamen non desistam instare, donec rem aliquo pacto perficiam. Iam pridem iactitabat D. Aleander, sua intercessione te redditum quietum, & pacatum: idq; etiam mihi obijciebatur in curia Legati, cum quererer de indignitate rei. Nunc uix tuo creditur nepoti, exequutoriales scilicet esse insinuat, quia scripserit aliter intimus Papæ Secretarius D. Sanga. Bonō precor sis animo. Nepos tuus cum famulo meo hic aliquandiu permanere poterit: Iuuenis cognatione tua profectō dignus, qui breui magnum (fauente Deo) præstabit uirum, nisi me planē fallit spes & coniectura. De cæteris rebus clarius tibi nepos ipse scribebit. De actis publicis nihil est quod scribam. Quid enim hætenus tot septimanis actum est? Illustrissimus quidem Princeps ac Dominus, religionis rem agit sedulo: sed adhuc nil profecit, & paucos habet fideles adiutores. De Turcico bello nondum est quicquam conclusum. Sabatho post diē Pentecostes aduenerunt tandem duo Principes electores, Maguntinus & Palatinus, statibus tamen Imperij nihil adhuc de actis Francfordienē retulerunt. Fœliciores uerō te absentem, quàm me et dominum Viennē, hic presentes existimo. Nam profecturos aliquid nos, adhuc profectō nulla spes est. De discessione hinc mea certij nil scribere possum. Nec enim scio, quando illustrissimus Princeps & Dominus meus hinc sit discessurus. Si uerō quid exploratum habuerō, faciam te statim certiorē. Vale mi Domine Nausea, è Ratisbona, XXI Maij. Anno MDXXXII.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS DOCTISSIMO VIRO,
 D. Friderico Nauseæ, S. P. D.



Vm nuncius hic sese ultro nobis offerret, ut si quid literarum istuc mittere cogitarem, libenti uelit animo hoc onus suscipere, non committere uoluimus, ut eum ad te inanē uenire pateremur. Tametsi propter immensas occupationes, ex his bellorum tumultibus, multa scribere nō liceret. Turca iam Austriam reliquit, sed magna rerum & hominum copia secum abducta. Nunc itaq; postquam hoc hoste liberati sumus, ab Italis & Hispanis exitum expectamus, qui non minus, quàm Turcæ, rapiunt & uastant omnia: quemadmodum ex aliorum scriptis te dudum cognouisse existimamus. Cæsar die crastino hinc proficiscetur, per Styriam, in Italiam. Milites uerō nostri partim in Hungariam, partim domum proficiscuntur. His uale. Dat. Viennæ, IIII. Octob. Anno post Christum Dn. natum MDXXXII.

Epi

EPISTOLARVM MISCELLANEA
RVM, AD FRIDERICVM NAVSEAM BLANCICAM,
pianum, Episcopum Viennensium, singularium perso-
narum, Liber quartus.

BERNHARDVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.
Cardinalis, & Episcopus Tridentinus, uenerabili sincerèq; nobis di-
lecto Friderico Nauſæ, S.



Vm hac hebdomada præterita, Regia M. & Deo
& animæ inferuitura, relictis omnibus & priuatis
& publicis negotijs secessisset, inter reliquos, qui
Maieſtati suæ casu oblatis fuerunt, quidam sermo-
num tuorum Liber nõ aspernendus offerebatur,
eidem admodum acceptus: qui usq; ad eod arrisit, ut
duodecim translationes maxima cum delectatione integrè legerit, legif-
set autem æquè libenter omnes, si lingua Germana conceptos ha-
buisset. Quod si fortè uoto non cederet, cuperet Maieſtas sua ut il-
los (qui non minus ad pub. utilitatem, quàm in gratiam suæ Maieſta-
tis expetantur) in uernaculam linguam traduceret. Et quidem tibi
pro certo persuasum esse uolumus, huiusmodi labores tuos non
inutiles omnino futuros. Cæterum nos in quibuscunq; reb. tibi gra-
tificari poterimus, pro singulari uirtute ac meritis tuis, defuturi nõ
sumus: sicut & antè fecimus, in eo, quod semper procurauimus, ut
doctrinæ laborumq; tuorum condigna ratio haberetur. Itaque te
nobis gratissimum, polliceri tibi de nobis potes, Viennæ, XIX Apr.
Anno MDXXXIII.

BERNHARDVS DEI GRATIA S. R. E. CARD. ET
Episcopus Tridentinus, Friderico Nauſæ suo, S.



Enerabilis, egregie, nobisq; sincerè dilecte: Posteaquam
ea, quæ superioribus literis ad te scripsimus, tibi con-
stare arbitramur, reliqua, quæ contigerint de te adscribe-
mus. Accidit, ut cum apud serenissimum Regem, Domi-
num nostrum, essemus, & sua Maieſtas iterum sermonem de te face-
ret (ut iam erga te ipsam optimè affectam scire possimus) ad huc mo-
dum: Ipsam mirificè cupere, te isthinc ad nos recipere, ac hic sub Ma-
ieſtatis suæ præmijs in uinea Domini prædicando laborare, promif-
sa hac conditione, tantum Maieſtatem ipsius uicissim tibi præstitu-
ram, quantum cæteris Principibus dignitate præcellat. In quo cum
nos honorem & utilitatem tuam uideamus, magnopere hortamur,
nec paucis de causis, ut in hoc, optimo munificentissimo que Regi,
qui expectationi tuæ multipliciter sit responsurus, obsequi uelis. E-
tenim & nos ad augendum honorem tuum paratissimi futuri su-
mus. Cum igitur deliberaueris (si tamen deliberare uolueris) nos
breuè certiores effice: ut ipsius Maieſtati rursus mentionem facièti,
respon-

respondere possimus. Interim de nobis omnia tibi bona polliceri po-
tes. Viennæ, XXV. Aprilis, Anni MDXXXIII.

BERNHARDVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.
Card. & Episcopus Tridentinus, Friderico Nau-
ſæ, S. D.



Enerabilis, egregie, nobisq; sincerè dilecte. Literas tuas
XVIII Calend. Feb. datas, unà cum duobus Homeliarum
tuarum exemplaribus, pridè accepimus. Quorum
alterum Regiæ Maieſtati nomine tuo obtulimus, alterum
uerò nobis seruauius. Munus autem Maieſtati suæ fuit acceptissi-
mum, propterea quòd aliàs ad huiusmodi prouinciam fuerit semper
propensissima. In cuius rei testimonium curauimus, ut Maieſtas sua
numisma aureum tibi hic mitteret, quod & nos id faciamus pro-
te. Vtrunque uerò literis hisce inclusum mittimus. In reliquis et-
iam rebus omnibus tibi lubentissimè, propter uirtutes tuas, & in
nos amorem, profuturi. Copias porrò superiorum literarum tua-
rum tibi mittimus, ut si fortè mansissent alibi, uel adhuc remanerent,
sine damno id fieret: alteri enim tabellario munera, posteaq; cum
inanib. literis alterum præmississemus, committere uoluimus. Per
quem nos de proposito tuo certiores fac reddas, Ex Vienna, die VI
Aprilis, Anno MDXXXIII.

FERDINANDVS DIVINA FAVENTE CLEMEN-
tia Rom. Rex semper Augustus: Hungariæ, Boemiæ, &c. Rex: Insans
Hispaniarum, Archidux Aust. Frideri-
co Nauſæ.



Honorabilis, deuote, sincerè dilecte: Literæ tuæ XVIII. Cal.
Feb. datæ, nobis gratæ fuerunt: opusq; Homeliarum tua-
rum, nobis per Reuerendissimum D. Cardinalem et Epi-
scopum Tridentinum, supremum Cancellarium nostrum,
præsentatum, hilari fronte & clementi quidem animo suscepimus,
tuam operam atq; studium plurimum laudantes, nimirum quòd
pro Religione nostra in Christiani gregis salutiferam educationem
tantum te laboris subijisse uideamus. Et quàmquam nihil dubitemus,
quin inseruendo uerbo Dominico, tam concionando, quàm scri-
bendo, ut cœperis, deinceps sis iugiter continuaturus: uisum tamen
nobis est, te ad tam pium opus eo magis cohortari, quo præsentium
temporum turbines id magis postulare uidentur. Inde apud Chri-
sti fideles summam laudem comparaturus, & ab altissimo præmi-
um condignum recepturus. Nos uerò, si quando occasio se obtule-
rit, laborem & sudorem tuum erga te debite recognoscemus, prout
ex literis dicti Cardinalis latius intelliges: & in illius fidem tibi nu-
misma inclusum, ut modò habuimus, munere mittimus atq; dona-
mus,

mus, quod sincero animo suscipias. Datum in ciuitate nostra Vienna, die V mensis Maij. Anno Domini MDXXXIII. Regnorum nostrorum, Romani tertio, aliorum uero septimo.

FERDINANDVS DIVINA FAVENTE CLEMEN-
tia Rom. Rex semper Augustus, Friderico Nauſeæ S.

Florabilis, deuote, dilecte, legimus literas tuas XVI. mensis Maij proximè elapsi: nobis eo gratiores, quòd & tuam in nos affectionem non secus exprimât, quàm tibi memoriale (ut appellas) missum nostri typum referre uidetur. Quod si desiderio tuo respondit, nobis abundè satisfactum putamus, si uel hoc in te clementiæ & animi nostri testimonio tam pia studia tua excitantes, reliqua bonarum literarum monumenta in communem omnium profectum à te expectare audeamus. Cætera, quæ à nobis conditionis tuæ causa scire cupiebas, ex Reuerendissimi D. Cardinalis & Episcopi Tridentini, & c. amici nostri charissimi literis uberius cognosces. Homelias uero tuas, si lingua uernacula donatæ fuissent, libenter habuissimus. Nunquam autem mens nostra fuit, te tātum nostri causa translationis onus subire: cum tempus illud reipublicæ Christianæ lucrifacere, & rem intereā religioni nostræ magis necessariam & commodam præstare possis. Datum in ciuitate nostra Vienna, die XIX Mensis Iunij. Anno Domini MDXXXII. Regnorum nostrorum, Rom. tertio, aliorum uero septimo.

BERNHARDVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.
Card. & Episcopus Tridentinus, Friderico Nauſeæ S.

Venerabilis, egregie, nobis sincerè dilecte. Quæ nostris XIX & XXV datis literis rescripsisti, grato legimus animo, ac relegimus: eò præsertim, quòd te etiam cum incommodo tuo, attamen uolūtati Regiæ Maiestatis obtemperatū dicas. Sed tibi persuasum uolumus, hoc animo Maiestatem ipsius translationem petisse, ut sine incommodo tuo fieret. Nūc igitur cum nō sit huius desiderij, ut cum iactura tua in hoc Maiestati suæ obsequaris, iuxta arbitrium & uoluntatem tuam facere poteris. De accessu tuo huc, sententiam tuam uberrimè significasti. Cui acquiescimus, donec Reuerendissimi & Illustrissimi Card. tui, Domini nostri sententiam experieris. Quod si ex uoto superat, ad nos aduolabis, eam subiturus cōditionem, quæ nobis satisfaciatur: si minus, non desinet Maiestas sua, quin tibi ubicunq; eris, protectrix futura sit. Nos quoq; quibus in rebus gratificari poterimus, defuturi non sumus. Vienna, die XIII Iunij, Anno MDXXXIII.

BERNHARDVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.
Cardinalis, Episcopus Tridentinus, Friderico Nauſeæ S.

Venerabi-

Venerabilis, egregie, nobis sincerè dilecte: Quòd erga te sicut et alios in uinea Domini laborātes affecti fuerimus, hinc conijcere potes, quòd proximè, cum Bononiæ essemus, sanctissimo D. N. te commendauerimus: adeò, ut ipsius sanctitas Domino Nuncio suo apud Regiam Maiestatem existentem, commiserit, ut ille inter alios etiam tui præcipuam curam habere uelit ac debeat. Quemadmodum iam res ipsa declarat. Sua-pte enim opera D. Nuncius ex occasione beneficiolo prouidit, quò hic commorans, ad arbitrium tuum uteris: sicut Bullæ, quas his annexas mittimus, te docebunt. Hæc igitur parua nunc boni consules, donec aliud tempus, agentibus id nobis, meliora dabit. Superioribus diebus nonnullas literas Regias et nostras cum numismatibus ad te dedimus, de quarum acceptione, unà cum responsione tua, à te certiores fieri cupimus, ne diutius in ambiguo moreremur. Quibus cunq; uero in rebus tibi gratificari poterimus, nos semper pròptos inuenies. Vienna, die XI Iunij, Anno MDXXXIII.

Post scripta: nunquam antè nos M. Regia ita aggrauauit, ac nūc, ut scriberemus tibi, si quam Homeliarum tuarum partem traduxisses, eam Maiestati suæ transmitti curares.

BERNHARDVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.
Cardinalis, Episcopus Tridentinus, Friderico Nauſeæ S.

Venerabilis, egregie, nobis sincerè dilecte. Quòd literæ Regiæ, ac nostræ, tibi tuto reddite sunt, è tuis literis libenter intelleximus. His breuibus respondebimus, quū non eiusmodi sit munus datum, quale merita ac uirtutes tuas deceat. Circa hoc enim te unū consistere cupimus, ut negotia tua ita disponas, ut breui ad Regiæ Maiestatis obsequia peruenire possis. Idq; non minus ex tuo, quàm ex Regiæ Maiestatis commodo fiet. Vienna, die XX Iunij, Anno MDXXXIII.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS PRÆ-
stantissimo simul ac doctissimo theologo, D. Friderico Nauſeæ,
Ecclesiæ Maguntino, S. D.

Tu literæ tuæ, quas Calend. Aprilibus dedisti, Nauſeæ ornatisime, fuerint mihi iucundissimæ: tamen cum ex his intellexerim negotium præbendæ, quam propensissima uoluntate, bona spe fretus hanc tibi commodo fore, resignauit, parum ex sententia processisse, non potui non uehementer dolere: non tantum tua causa, sed quòd uiderim plerosq; omnes, qui pro religione sancta q; fide nostra dies noctesq; laborant, surdis auribus præteriri. Ego quantum in me fuit, omnem adhibui diligentiam, ut quietus possessionem eiusdem præbendæ obtineres: sed quum hoc ipsum assequi non potuerimus, non est quòd res

R 2 hæc

hæc angat animū tuū, et multum distrahat. Quantum enim poterō, facultatesq; meæ patientur, te ad altiora uehere, promouereq; cura bo, atq; modis omnibus conabor. Eius rei causa aliquoties inter me & Reuerendissimum D. Card. Trident. deliberatum est, quo pacto commodissimè apud Serenissimum Regem nostrū, sine studiorum tuorū iactura esse posses. Visum est aut̄ illud optimū, ut tu, cum Regia Maiestas, atq; Reginalis eadē, Quadragesimali tēpore, Auentusq; Domini, cōcionatore uti soleāt, hanc tu prouinciā susciperes. Non opus enim tibi fore, præterq; per hæc tempora, aulā, sequi: postea Viennā pergere, ac Lectorem Theologicū, in Gymnasio Viennē, interim agere. Stipendium uerō tibi numeraret̄ utrobicq;. Præterea Canonicatus in ecclesia mea Viennē, præberetur. Ad hæc, mēsa cū duob. familiarib. à me curaret̄. Hæc ideo tibi scribo, ut quid factu opus uideat̄, hoc melius deliberare possis. Firmissimè enim tibi persuadere poteris, nomen tuum optimè non solum apud Reuerēdis. D. Card. Trident. sed etiam apud Sereniss. Regem audire, charumq; haberi. Mihi uidetur non inconsultum rebus tuis fore, cum istic tua diligentia parum aut nihil proficere queas, ut te ad nos potius conferas, saluo tamen iudicio & consilio tuo. Proinde quicquid commodum factu existimaueris, me per literas certiore reddere non differes. Quicquid enim in rem & commodum tuū facere poterō, faciā nō minori diligētia, q̄ si mea res ageret̄. Et quāuis hoc tēpore res Austriacæ, per crebras & immanissimas Turcarū incursiones prostratæ & afflictæ ferè iaceant; tamen nō dubitamus, quin (si modo Deus opt. max. pacem, quā speramus futurā, largitus fuerit) breui pristinum suum robur sint recuperaturæ, atq; in maiorem, q̄ omnium aliarū prouinciarū, existimationē peruenturæ. Librū Homiliarum tuarū, quē Serenissimus Rex noster antea à principio ad finē usq; perlegit, de nouo Maiestas sua perlegere auspicata est: eodēq; festis diebus Prædicatoris uice utitur. Cum autumno proximè præterito immanissimus Turcarū tyrānus Austriæ prouincias grauiter igne ferroq; uastarit, ac milites Hispanici Galliciq; quod reliquū mæ ferat, absumpserint, in cōsolationē miseræ meæ plebeculæ, Tobia patientiā prædicauī. Sed eius sermōnes cum in iustum uolumē excreuerint, typis excudi mando. Qui tamē ut citius imprimantur, & mihi perfecti mittant̄, opera tua mihi seruiēs. Item Liber de Primatu Petri, cum reliquis operibus, ut adhuc imprimat̄, nō præter rem fuerit. Quamuis enim sit ter impressus, uenalem tamē reperire non datur. Libri tuarū Homiliarum per D. Marquardū Magunt. Bamberg. & August. Ecclesiarū Præpositum nobis transmissi sunt: quorum alterū Sereniss. Regi Ferdinando, alterū Reuerēdis. Domino Card. Trid. obtuli, q̄ uerō grato animo uterq; eos acceperit, ex eorum literis intelliges. Vterq; certè literas ad te dare (fortassis etiam cū honorario) promittit. Ab Erasmo Rotērodamo nostro paucos ante

ante dies prolixā accepi epistolā, q̄ cum mei sit studiosissimus, nō dubito quin etiā tibi ex animo bene cupiat. Cui Reuerēdis. D. Card. noster Trident. pro sua liberalitate et propēsa animi benignitate, munusculū aliqd̄ missurus est. Noui qd̄ scribā nō habeo. Siquid certi ac ciderit, certiorē te faciā. Interim cura ut optimè ualeas, mihiq; tuarū rerū statū significes. Ex Vienna, die XII Maij. Anno MDXXXIII.

FERDINANDVS DEI GRATIA ROM. REX SEM

per Augustus. etc. Honorabili, dilecto, D. Laurentio Truchseß.



Honorabilis, dilecte, deuote, cognoscimus quod in Dei donis præcipue præbendam ac custodiam Vormaciē, summi Canoniorū templi teneas. Iam nec illud ignoramus, te pro tua prudentia perspicere, quā necessum sit, cum omnibus aliis locis, tum uerō summis Canonisterijs, in hac tanta religionis Catholicæ difficultate, doctissimis uiris abundare. Cum igitur inter illos et insigni doctrina, & uite spectabili innocentia sit etiam Fridericus Nausea, uenerabilis noster ac delectus consiliarius, præterea quoq; multorum magnorumq; in Christianam fidem meritorum, à te clementi affectu desideramus, uelis hunc pro adiutore tuo præ cæteris omnibus agnoscere, recipere, nostramq; uoluntatem alicuius ponderis fuisse testatum facere. Constituimus enim, ac singulari studio uolumus, hunc uirum nobis commendatū habere, promouere, atq; per hunc, quē talibus meritis ac uirtutibus antea cæteris uideamus, publicæ utilitati consulere. Speramus uerō, & absq; dubio confidimus, hanc animi nostri significationem apud te quidem planè non fore nobis irritam: quin officiose & promptè sis declaraturus, uel nostra te causa aliquid facere nō grauatum fuisse, præsertim quod honestum, bonum, pium, que fuisse intellexeris. Nam minimè dubitamus, quin huius esse rationis factū, siue rem istam perspicias. Nos, etsi Friderico ipsi, atq; ad eod̄ multis magnis clarisq; uiris rem gratissimam facies; tamen, ut in seruisse te nobis intellegas, faciemus. Vale, ex Vienna. Anno Domini MDXXXIII. V. Calend. Iunias.

GREGORIUS BOMERVS QVAESTOR IMPERIALIS, excellentissimo uiro D. Friderico Nausea, S. D.



Literatō uenerunt ad me Reuerēdis. D. Card. & Episcopi Tridentini literæ, uir honorabilis ac erudite: quibus, an facisculus ille literarum ab ipso tibi missus, sit redditus, à me exquirat. Ego uerō, cum quid rescribam, sanè certū nil habeam, peto magnopere, uelis mihi significare, quo pacto res habeat. quod officium mihi gratissimū fuisse, tum declarabo. Vale. Datum Spiræ, v Iulij. Anno MDXXXIII.

GREGORIUS BOMERVS D. FRIDERICO Nausea, S. D.

R 3 Accepi

Accepi literas à te, non multo temporis abhinc intervallo, uir doctissime: quibus ea iam cognoui, quæ cognoscere me cupere significaram. Falcem uerò, cum ijs ipsis literis à te missum, clementissimo Domino, diligentia, qua potero, maxima transmittam, nec eo nomine posthac curabis. Extremum quod est, literas à Maiest. Regia, dominoq; Tridentino sub hoc tempus mihi redditas, mitto. Tu quid facere deberis, ipse melius intelliges. Vale, ex Spira. XII Iulij. Anno MDXXXIII.

BERNHARDVS DIVINA MISERATIONE S. R. E.
Card. & Episcopus Triden. Venerab. uiro Friderico Nausea, S.

Quas mirificè cupiebas, nobis dilecte, literas his annexas mittimus. His pro celeri expeditione tua utere; nec dubitamus, quin ex uoto tibi ea sit successura. Si quid autem aliud fuerit, quo tibi consultum fore putaueris, nobis audacter significa, & uale. Ex Vienna, die IX Iul. Anno MDXXIII.

BERNHARDVS DEI GRATIA S. R. E. CARD.
egregio uiro Friderico Nausea, S. D.

Literis tuis, quas XII mensis præteriti die accepimus, paucis respondemus: nobis pro certo persuadentes, te apud nos breuissimè futurum, ut familiarius tecum colloquamur. Nam literas regias quiduis expedituras credimus. Quod autem ad Priuilegium Regium attinet, si quale esse debeat, sciuissemus, iam effectum esset. Quare tuum est, nobis de eo præscribere. Valere te cupimus. Die III Augusti, Anno MDXXXIII.

IOANNES EPISCOPVS VIENNEN. PRAESTANTISSIMO UIRO D. FRIDERICO NAUSEA, SUMMO MAGN. CONCIONATORI, S. D.

Binas uno eodemq; tēpore literas à te amātissime Nausea, accepi, quib. cum mihi multis uerbis gratias agas, quòd res fortunas que tuas mihi curæ esse persenseris: quamuis rectam tuī animi gratitudinem agnosco, tamen non est istiusmodi gratiarum actio necessaria. Doctrina siquidem tua, & studium defendendæ religionis Catholicæ, faciunt, ut sicut alijs pluribus, ita etiā tibi, licet promptius ac iustius, beneuolentia & amore prodesse conitar. Itaque quibus potero rationibus, fortunas tuas prouehere semper conabor. Conditionem, de qua superioribus meis ad te scripsi, quemadmodum antea, ita etiam nunc suadeo accipias: maxime cum illic nil præter promissa hætenus obtinere queas. Nam hic & Regiam Maiestatem, & Reuerēdissimum D. Tri-

D. Tridentinum, & optimos quosq; tibi fauentes inuenies. Sed tamē nolo, ut me auctore, subito te istinc proripias, antequam tibi certò cōstiterit, quid & à Maieft. regia, & ab alijs tibi sperandū ac expectandum sit generatim. Nam aduentus tuus fortassis morā recipit, ut maturatione nimia nō sit opus. Interim ego nō secus, ac si mea res ageretur, ut de te quamprimum constituantur omnia, & quam fieri potest optimè, faciam. Reuerendo D. PETRO PAVLO VERGERIO, nuncio Apostolico, tuo nomine salutem dixi. Qui cum alijs humanissimus sit, & ex libellis istis simul à me oblati, te plurimum amet, non dubito, quin, ubi primum occasio fuerit, te ornare sit conaturus. Vale, ex Vienna, XXVI Iulij Anno MDXXXIII.

FERDINANDVS DEI GRATIA ROM. HVNG.
Boemiæq; Rex, &c. Archiepiscopo & Principi Electori Magun. S.

Fridericum Nauseam, literis, & sacrarum literarum celebri noticia præstantem, iam dudum scimus. Quare cum pro ueteri nostro proposito uiros eiusmodi penes nos habere studeamus, ac desideremus: Cupimus, ut nobis in hoc dilectio uestra deesse nolit, quo minus adempta excusatione omni, uir tātus ad nos ueniat. Animum uicissim beneuolum uobis experiri nostrum, quando libuerit, uestra dilectio poterit: & bene ualeat. Ex Vienna, XII Aug.

FERDINANDVS DEI GRATIA ROM. REX SEMPER
Augustus, & c. Capitulo Maguntino.

Cum Vm Regiam nostram aulam (inter alia) doctis etiam uiris exornare nobis animus sit: & Fridericum Nauseam moribus, doctrina, pietate que pætræ alios eminentem sciamus; cum ipso de transitione ad nos facienda, agere proposuimus. Ut autem citra excusationē facilius in hoc nobis obsequeretur, faciendum nobis existimauimus, ut consensum uestrum literis nostris ipsi consequeremur. In hoc igitur si nobis gratificati fueritis (ut omnino gratificaturos credimus) animum clementem uobis, à nobis demerebimini. Valete, Viennæ, XII Aug. Anno MDXXXIII.

RESPONSIO REVERENDORVM DOMINORVM
Capitularium Metropolitanæ ecclesiæ Magun. per D. Valentinum Tetenlebiū, nunc Episcopū Hildes. Friderico Nausea exhibita.

Non clam te esse iudicamus, honorande, uenerabilis amice, Domine Nausea, recens ad nos Maieftatis Regiæ Romanæ literas uenisse, quibus de præsentia tua, quatenus consensu nostro tibi excusatio tollat, Maieft. ipsius

ipſius agat, & eius deſiderij effectum à nobis expectet. Iam, cum Reuerendi, uenerabiles & gratioſi domini Capitulares huius eccleſiæ principalis talem ſenſum perceperint, & ab omni occaſiõe, uſq; perpetuò ſtuduerint, ipſius Maieſtati obſequio quolibet gratificari, ne in iſta re ſui diſſimiles uideri queant, in hoc Maieſt. ipſius uoluntati locum facere conſtituerunt: & me, qui talem ipſorum ſententiã animuſq; tibi aperirem, ex officio deputarunt. Itaq; licet grauatiſſimè id facere debeant, ex eo, quòd diſceſſu tali tuo, non dubia ſit ipſorũ nomini, honori, nec nõ commodo, quaſi labes acceſſura: tamen tibi per me notũ faciunt, ut in alijs reb. omnibus, ita etiã in hoc, Sereniſſ. Maieſtatis regie deſiderio ſatisfacere: tibiq; qui literis illis affectu tã clementi requiraris, miſſionem, cum planè tui poteſtate (ſi tamen ipſis obſtrictus fueris, aut ſis) præſtare: ſaluo tamen arbitrio tuo, ne præter animum mentemq; tuam, quaſi reiſciendæ petitionis Regie tibi excuſationem ſuſtulſiſſe uideri uelint, tu in ea Maieſtati ipſius ſatis facere cogaris. Nec enim id in eam rationẽ faciũt, & hunc conſenſum adijciunt, ut nulla tibi faciendũ uel omittendũ facultas iam reliqua eſſe debeat. Nam eius eſſe illos erga te affectus, tibi perſuadere uelis, ut longè malint apud ſe, quàm uſquam alibi te eſſe: quãdo iam ſatis & abundè tot meritis ac documentis, integritatem, doctrinam, pietatem ac fidem tuam ſic in hæc uſq; diem perſpexerint, ac experti ſint. Quo quidem etiam nomine gratias agunt tibi tantas, quantas omnino poſſunt maximas, animos offerentes uiciſſim gratificandi ſeruandiq; tibi promptiſſimo, cum pari affectu cõiunctiſſimos, ut occaſio ipſis aliquando uerba iſta re factiſq; declarandi ueniat. Et cũ nullo præſentis temporis ſtudij genere, quicquam prodeſſe ſe tibi poſſe uideant (quòd ex propria uirtutum tuarum commendatione ſatis omnino per te, ipſe profecturus ſis) interim precant, uelint omnia nunc quidem tua conſilia, deinde uerò etiam coepta facta que diuinæ gratiæ benedictione perpetuò fauſta, fortunata & foelicia eſſe: Dignitatem ſuam tibi etiam atq; etiam commendantes, cum ſalu te gratulationem ſubiungunt. Ego pari ratione ſtudium, operam, totum denique me ipſum offerens, in tuam me fidem beneuolentiã que conſero.

FERDINANDVS DEI GRATIA ROM. REX
ſemper Auguſtus, Beatiffimo patri per Chriſtum, Cle
menti Papæ ſeptimo s.

Beatiffime pater, uite morum que honeſtas honorabilis Friderici Nauſæ, Doctoris & concionatoris Maguntini, ſummæ quidẽ & probatæ doctrinæ coniuncta, ſic habet, ut eſſi non uel aliunde uel à nobis cõmendetur, à ſe ipſo tamen propter ſua in ſanctam fidem ac religionem noſtram & Sanctitatem V. & ſacroſanctam ſedem Apoſtolicam merita ſatis ſuperq;

ſuperq; ſit commendabilis. Per hoc tamen omittere nõ poſſumus, quin eum noſtro quoq; nomine, & maiori quo poſſumus ſtudio S. V. commendemus. Quam ideo rogamus obnixius, ut ipſa Sanctitas V. dictum Fridericum Nauſeam, talium meritorum uidelicet hominẽ: in poſſeſſionẽ ſuã præbendæ, quæ ſit ad Gradus Mariæ Maguntia, cõſeruare, uel compenſam aliquam præbere uelit, quo uel hoc munificentiaſte paſtoralis auctario recreatus, eo maiori animo tam pijs & bene coeptis ſtudijs intendat. Sicut V. S. à noſtro, apud ipſam agente, plenius intelligere dignabitur. In quo S. V. rem ſe maximè dignam, nobis etiam cum primis gratam, noſtroq; uiciſſim in eam filiali officio promerendam faciet. Cui nõs reuerenter offerimus, & commendamus. Datae Viennæ, XXIII Iulij, Anno ſalutis M. D. XXXIII.

FERDINANDVS DEI GRATIA ROM. REX.
ſemper Auguſtus, reuerendiſſimo D. Laurent.
Card. Campegio s.

Reuerendiſſime, cum fidedigno compluriũ testimoniõ intelligam, honorabilem, fidelem nobis, ac dilectum Fridericum Nauſeam, ſacræ Theologiæ Doctorem, ac metropolitanæ eccleſiæ Magunt. concionatorem, in Canonatu ſibi per uenerabilem, deuotũ, nobis dilectum Ioannem episcopum Viennẽ. Conſiliarium noſtrum conſeſſo eiectum, ac alium eum Canonatum aſſequutũ, apud Gradus Mariæ uirginis Maguntia, cum ex iſperato per alium quendam ſcrupulus iniectus eſſet (habebat enim à ſanctiſſimo D. literas exequutorias, & conſeſſoriales) non potuimus eum, qui uel ſine noſtra commendatione, aut alieno quouis ſuffragio, propter multiuaria ſua in ſacroſanctam ſedem merita ſit commendabilis, uacuum ad uos proficiſci mittere. Quorum præcipuè cauſa, quòd uidelicet tot pijs ipſius lucubrationes & uolumina uideamus, ut perpetuo noſtro propoſito doctos fauore proſequẽdi nõ deſeſemus, hoc fecimus. Ideoq; V. D. reuerendiſſimã affectuoſe hortamur, & rogamus obnixè, ut eundem Fridericum, ſola, uel adiuncto ſibi honorabili, noſtro deuoto, dilecto Gabriele Sãxius, noſtro apud ſanctiſſ. Dominum agentĩ, requiſita eiufdem Friderici bene meritorum ſuorum multiplicium conditione, Sanctitati ipſius commendare uelit, ut adiuutum ipſa & promotum eum habere dignetur, quo dictus Fridericus Nauſea, nullo obſtãte Canonatum ſine quauis obſtantia, uel ſaltem aliquam compenſationem obtinere poſſit, & poſthac etiam tutus eſſe aduerſus eiufmodi quælibet impedimenta. Nam Sanctitati ipſius præcipuè conuenit, iſtis honoribus & officijs paſtoralibus magnos & doctos uiros proſequi. Sicut nos facturam planè ipſam cupimus, & magnopere conſidimus, accedente præfertim V. D. reuerendiſſimæ aſſiſtentia. Quæ nobis in eo rem tam gratã

S & acceptam

et acceptam faciet, quàm gratissimam, nostramque uicissim beneuolentia uberiori quandoque re compensandam, sicut ab eodem agente illic apud S. ipsius accipere poterit. Que foeliciter ualeat, ex Vienna, XXXIII Julij, Anno MD XXXIII.

LAURENTIUS CARDINALIS CAMPEGIVS, ETC.

Reuerendis patribus & dominis, sacre Theologie facultatis Doctoribus, in cluyti Gymnasij Senensis tanquam fratribus honorandissimis.



Reuerendi patres & domini, amici honorand. Presentium literarum nostrarum lator erit Reuerend. legum Doctor, Dominus FRIDERICVS NAVSEA, Germanus, olim familiaris noster, nunc uero in cluytæ Maguntinæ metropolitanæ ecclesie diuini uerbi prædicator celeberrimus, atque idem Sereniss. Rom. Regis à sacris studijs, & concionibus, à quo nuper per Sacrum Rom. Imp. deputatus est sacre Theologie reuifor. Quo fit, ut etiam sacra ipsam Theologiam infinitis propemodum suis concionibus, & lucubrationibus, quas ipse uidi & legi, nunc in annum decimum pro sacrosancta fide, nostramque sancta religione contra schismaticos & hæreticos usque adeo comprobasset, ut summus penè per totam Germaniam Theologus habeatur, sitque propterea dudum per sanctissimum D. N. (cuius sanctitati ipse Nausea hisce diebus coram non inellegantè est loquutus) dispensatione legitima pro Theologo non poenitendo iudicatus & conformatus, utpote qui præsit nunc loco & officio, cui non possit alius, quàm Doctor Theologie præesse: tam enim daturus sit Lutheranis & hoc genus schismaticis cauillandi occasione de se, qui Theologie facultatem sine Doctoratus eiusdem professionis insignijs profiteretur: Ideo cupit in sacra Theologie Doctor se admitti, & promoueri in aliqua celebri Academia, qualem sibi istam uestram præcipuè delegit. Proinde D. D. V. V. impense rogamus, ut ipsum Nauseam nostrum, iam antea iuris Doctor rem consultissimum, recipere ipsa, ut pro uestra scientia & prudentia facile cognoueritis, uerum Theologum, ad Gradum & dignitatem Doctoratus huiusmodi, submotis superfluis expensis & pompis, promouere dignemini. Quod quidem præterquam in hominem doctum pariter & probum, eumque qui hactenus docendo, prædicando, scribendoque contra schismaticos, omnes ingenij neruos non infœliciter intenderit, & propterea de uniuersa religione Christiana optimè meritis existat, contulerint: nobis quoque in hoc rem adeo gratam & acceptam fecerint, ut nihil gratius aut acceptius ab illis in præsentia desiderare possimus, cuius causa D. D. uestris gratias habebimus immortales, relaturi quocumque id occasio tulerit, libenti animo. Quibus nos ex animo offerimus & commendamus, & bene ualeant. Romæ xxx Decembris, Anno Domini M. D. xxxiii. Philippus

PHILIPPVS ENNEBOLVS VERBI MINISTER

Hannoia, &c. pietatis eximio uiro, & amplissimo Domino, Friderico Nausea, suo in Christo maiori, suscipiendo et obseruando.



Ingenti uerborum luxuria, te presentium exhibitor, tuamque beneficentiam nuper amplificasset, obseruande Domine Nausea, & uir omnibus modis celeberrime, de ista mea in scribendo impudentia excusanda, & apologia instituenda, profecto omnium primo deliberassem. Sed quid multis opus: Istam enim audaciam bene cessuram, facile spero, quod hominem licet integrum, tamen Thesei filo destitutum, tibi commendarim: non quod de tua immerita pollicitatione tantillum dubitet, aut mihi ignoto homini in mentem uenerit, id Ouidianum tibi occupatissimo uiro occinere,

*Acer, & ad palmam per se cursurus honores,
Si tamen horteris, fortius ibit equus.*

Ab sit: sed quod hominis, etiam (ut eloquar) bonarum artium magistri testimonium haberes, cuius probitas cum laudetur & ageat, quodam iure me eius, quo familiarier iam diu sum usus, miseret. Illum igitur, quæ tua est humanitas, tam commendatum, quàm quem commendatissimum habeas, anxie rogo, & cum maiori in loco sis, nisi me constans fama fallat, quàm quod de referendo pari, ne utique quam mihi possibili, etiam meditari debeam: ingratum tamen non tibi erit, si sæpius ita dixerim: Faxint superi, ut apud orbis dominos sit Nausea, id quod apud Nicoclen regem Isocrates, apud Iouinianum Athanasius: Amen. Te, qui & me immeritum commendatum habeas, in Domino perpetim ualere opto. Hannoie, primo sept. Anno MD XXXIII.

BERNHARDVS DEI GRATIA S. R. E. CARD.

& Episcopus Trident. uenerabili, egregio dilecto, Friderico Nausea, S.



Postremis tuis, quas statim post alteras XXI proxime dedisti, te adhuc istic esse intelleximus. quod sane nobis dubium erat. Hortamur igitur te, ut quoniam itinera ista, præsertim absente summo Pontifice, tibi obfutura sint, ad Maiestatem Regiam potius diuertaris. Maiestas enim ipsius efficiet, ut ita negotia tua transigantur, ac si ipse illic interfuisset. Hoc ipsius Maiestati gratum fore, tibi persuadere debes. Ex Vienna, die x. Nouemb. Anni MD XXXIII.

BERNHARDVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.

Cardinalis, Episcopus Tridentinus, Friderico Nausea, S.

Literis tuis xxv præteriti mensis datis, intelleximus, te itinere accinctum Romam pergere. Quod cum Maiestate Regiæ significassemus, te his literis admoneri uoluit, ut mutata sententiâ, longius non pergeres, quia absens esset Pontifex Max. et aliquot menses abfuturus crederetur. Id quod tibi utile factu uidetur, præsertim cum Maiestas Regia sic omnia tua curare uelit, ac si præsens fuisset ipse. Quod te latere nolimus, ut omnib. omisis, ipsius uoluntati satisfaceres. Vale. Ex Vienna, xv Nouemb. Anno Dominicæ natiuit. MDXXXIII.

BERNHARDVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.
Card. & Episcopus Trident. Christ. à Castello alto, Maiest. Regiæ
Rom. Militiarum præfecto, Tridenti Præsidi.

Nobilis, dilecte, fidelis, Doctor Fridericus Nausea, nuper Maguntinus ecclesiastes, iam in regium consilium receptus, iter habiturum se negotiorum nonnullorū expediendorum causâ Româ significauit: ad hæc & literas à Regia Maiest. promotórias suscepit. Iam sic res habet, ut quoniâ S. Pontifex Romæ non est, & breui uenturus non existimet, ipse prorsus operam cum impensa perdat. Itaq; ex mādato Regio tibi scribitur, ut exploratū hominem per hospites adeas, presenti nostro nomine referas, non ultrâ Italiâ, sed recta retrò Viennâ, siue quocunq; aliò ad Regiam M. pergat: quemadmodū literis istis ipse si notum faciamus. In hoc clementem sententiam nostram, animūq; te exequutū existimabimus. ex Vienna, xv Nouemb. Anno MDXXXIII.

LAVRENTIVS CARDINALIS CAMPEGIVS SE-
renissimo et inuictissimo Regi D. Ferdinando S.

Uperioribus diebus, cum huc uenisset uenerabilis, doctus & dilectus uir Fridericus Nausea, meq; statim conuenisset, obtulit mihi T. Maiest. literas, quas ego pro perpetua mea erga eam beneuolentiâ & obseruantia reuerenter suscepi, fuerunt que mihi gratissimæ: cum quia cum illo ueniebant, quem Dominum & patronum meum summo affectu semper colui: tum quia in eis à Maiestate T. is mihi commendabatur, quem ego commendatione dignum semper existimaui, nempe Fridericum Nauseam, meum olim familiarem gratissimū, & quem ob doctrinam ac animi dotes, quas in prouehenda Catholica fide semper diligentissimè exhibuit, in hanc diem tanti fecerim, ut præter omnem commendationem fuerit cōmendatissimus. Proinde eum Maiest. T. nomine, Sanctiss. D. N. præsentavi, ac summa diligentia commendaui. Nam ipse quidē coram ipsa sua S. se sic gessit, ut ea fuerit ipsius præsentia oblectata. Sic nimirū, ut ipsius S. illi plus gratiæ cōtulerit, quàm tum omnino optaret: nō tamē præter merita, quib. ille &

ille & pientissimis lucubrationibus in Christianam & Catholicam fidem, omnia summa iam dudum commeruit, & commereri pergit. Quo fit, ut non possim non Maiestati tuæ gratulari, quæ talem uirum in Regiam Aulam suam clementi studio ascuerit. Et cum non tantū cōmodo, uel ūmetiā decori Maiest. tuæ sit futurus, facere non possum, quin eū Maiestati tuæ summo quo possum studio, tanquā hominem magnum, commendem. Rogans, ut etiam mea causâ & intercessione ipsum in tam pio & laudabili officio se exercentem, sua benignitate & gratia fouere uelit. Quo beneficio me quoq; eidem Maiestati deuinctum fore, perpetuò intelligā. Cui me meaq; omnia humillimè commendo, & foelicissimè eam ualere opto. Romæ, xxviii Decemb. Anno MDXXXIII.

ALEXANDER CARDINALIS FARNESIUS, ET
Episcopus Ostiensis, Serenissimo & inuictissimo D. Ferdinando, Romanorum, &c. Regi Augusto, S.

Doctor Nausea, me Maiestatis T. nomine salutauit: quod mihi gratissimum fuit, cum me in tanti Principis memoria esse uideam. Quapropter eidem summas ago gratias, meamq; seruitutem in omnibus illius negotijs offero lubentissimè. Et quia præfatus Nausea mihi uisus est uir magnæ probitatis & doctrinæ, ac Maiestatis T. fidelis minister: idcirco eam enixè rogo, uelit eum mea quoq; causâ commēdatum habere, quod uirtutum ipsius intuitu magni beneficij loco accipiam. Valeat Maiestas T. foelicissimè, cui me humiliter commendo. Romæ, ii Ianuarij, Anno MDXXXIII.

ALEXANDER CARD. FARNESIUS, ET C. RE-
uerendissimo D. Bernardo, Card. Tridentino, tanquam
fratri colendissimo S.

Um ex D. Doctore Nausea, D. V. Reuerendissimam bene ualere intellexerim, maximam uoluptatem percepi, nam mea erga eandem seruitus ita exigit, ut eam semper optimè ualere cupiam. Et quia mihi ipse uisus est uir magnæ probitatis & doctrinæ, non potui eum non magnopere Reuerendissimæ D. V. commendare, tametsi gratum antea eidem esse eundem, propter illius uirtutes & merita sua, intelligam. Me uero Reuerendissimæ D. V. humillimè commendo, & offero. Romæ, ii Ianuarij, Anno MDXXXIII.

LAVRENTIVS CARDINALIS CAMPEGIVS, RE-
uerendissimo D. Cardinali Tridentino, tanquam fratri co-
lendissimo S.



Lustris, et Reuerēdis, Princeps ac Domine, fuit apud me hic Nauſea noſter cū literis cōmendatitijſ: & cōpuiſ ob eius ſingulareſ uirtuteſ, mihi cō olim gratā familiaritatem, nullū fuiſſem prætermiſſurus officium ad honorem & dignitatem ipſiſ: tamen literis dominorum meorum oportuit me etiam aliquantum diligentioreſ fieri. Eum igitur maiori, qua potui, diligentia ad Sanctiſſimum D. N. introduxi, & commendauī. à quo cum mea interceſſione, tum ſua uirtute (ſic enim coram Sāctitate ſua ſe ſtrenue in omnib. geſit) benignè acceptuſ eſt, ac eo gratiarum genere donatuſ, quod ipſe met non fuiſſet auſuſ optare. Nunc autem cum ad uoſ ipſe reuertatur, nolui omiſſere, ut ſine hiſ meis literis D. V. Reuerēdiſſimam adiret: à quo de mea ualitudine, de cōp erga eam ſtudio ac obſeruantia plura cognoſcere poterit. Rogo uerō Reuerēdiſſimam D. V. ut eum nomine quoq; noſtro cōmendatiſſimum habeat, ei cōp in tam pio & laudabili officio fauere, ut coepit, non deſiſtat. In quo, præterquam quod rem ſe dignam, Deo ac omnib. boniſ gratiſſimam, mihi perpetuæ memoriæ futuram faciet, Cui me humillimè commendo & dedico, & ipſam diu foelicifimè ualere opto. Romæ, xxx Decēb. Anno Domini MDXXXIII.

LAURENTIUS CARDINALIS CAMPEGIUS, ETC.
uti fratri honorando, D. Ioanni Epifcopo Vienneniſi, S.



Reuerēdiſſime Domine, ex humaniſſimis tuiſ literis, quas ad me dedit D. T. Nauſeæ noſtro, ſummam animi uoluptatem percepi: quoniam ex ipſiſ, ſicut & ex ipſiſ Nauſeæ uerbis, te bene ualere intellexi. Præter hoc illud etiam mihi fuit gratum uel maximè, quod eundem Nauſeam mihi cōmendares: quem ego propter tot uirtuteſ, ac ad uerā pietatem propenſionem & ſtadium, omnium commendatione dignum ſemper exiſtitem. Quamobrē cum iſ ſim, qui erga amicos & familiares meoſ, præſertim boniſ literiſ & moribuſ ornatoſ, me illiberaliter nunquam geſſerim: hoc liberaliſ poſthac agendum putabo, quod te, quem ob ſummam integritatem & doctrinam ſemper nedum dilexi, ſed ſum pariter admiratuſ, interceſſioneſ taleſ facere, me cōp fructum earum expeſtare uideo. Qua de re ipſum Fridericum Sanctiſſimo D. N. qua potui diligentia præſentauī: quem Sāctitas ſua etiam illiſ uirtutum reſpectu, per prudens & doctum colloquiū benignè ſuſcepit: ac ita ſuſcepit, ut etiam motu quidem proprio pluſ ei gratiarum contulerit, quam ipſemet auſuſ fuiſſet optare: quemadmodum ab ipſo præſente commodiſ & copioſiſ intelligere poteris. Nolui uerō redeuntem, ſine meiſ literiſ proficiſci. Quare eum tibi pluſimum commendo, ſicut & Dominiſ meiſ feci: quicquid in ipſum beneficij contuleriſ, id in ipſum me collatum iudicaturuſ. Cui me pluſimum commendo, & te bene ualere opto. Romæ, xxi Deceſmb, Anno MDXXXIII.

Bern-

BERNHARDVS DEI GRATIA S. R. E. CARD. EPIſ.
ſcopuſ Tridentinuſ, Friderico Nauſeæ S. Theologiae, & LL.
Doctori S.



Vas IIII Februarij Maguntiaē dataſ, unā cum Reuerēdiſſimorum Farnetiſ & Campegij literiſ, accepimūſ: ex quibuſ intelleximūſ, omneſ tuāſ, quaſ poſt diſceſſum iſthinc tuum ad noſ dediſti literaſ, euanuiſſe. id cōp ſuſpicionem noſtram auxit, quod nullibi noſtraſ inueneriſ: & ex eo non mediocri moleſtia affecti ſumūſ. Reliquaſ autem omneſ, quarum in literiſ meminifti, accepimūſ: iſ cōp reſpondiſſemūſ, ſed ex iſ colligentes, quaē iam tibi Germaniæ fineſ egreſſo non reddi poterant, omnia uana noſ facturoſ, intermiſimūſ. Cupiebamūſ enim te antè, quam omnino proficiſcereris in Italiā, reuocari. Taleſ cōp per Oenipōtem, Tridentum perferri curaueramūſ. Quod uerō à S. D. N. clemēter tractatuſ fueriſ, libētī animo intelleximūſ: cōp iſ aliter tibi caſurū, nunq; exiſtimauerimūſ. De nouo gradu, Seniſ proximè coſequuto, tibi gratulamur. Eſti nō ignoramūſ, re doctrinā cōp te iam dudū Doctoreſ Iuriſcoſult. & Theologū fuiſſe. Quæ autē à familiaribuſ noſtriſ Tridenti tibi collata ſcribiſ, ea utiq; ex ſententia noſtra proceſſere. Quod ſi minus, quam pro perſona tua, decenter ſuſceptuſ eſ, abſentia noſtra noſ excuſat: qui nō potuerimūſ ita, ut uoluerimūſ, te tractatuſ eſſe. In ſuper Maieſtati Regiæ & Reginali acceptuſ fuit, Homeliā tuā in uernaculum ſermonem eſſe redactaſ, ut ab omnibuſ iam legi & intelligi queant. Ergo Regia Maieſtas eaſ frequenter legit, ac indies magiſ delectatur. Quare nihil erit tibi factu magiſ neceſſariū, quam primo quoq; tempore ad noſ te expedire. Nam habebiſ à Rege cōditioneſ honorabileſ, cū inter Principēſ, Baroneſ, & alioſ Curiaē ſuæ nobileſ, tanquā conſiliariū te collocabit, adiecto famulitio trium, uel quatuor, aut pro opportunitate equorum. Verū præcipuū erit cōcionandi munuſ, propter quod etiā te accerſiſ iuſſit. Quo tamē magiſ ipſiſ Maieſtati innotueriſ, hoc officiſ magiſ te honorabit, & liberalitateſ ſuæ non obliuiſceatur: ut omnino ſolet, & perpetuū conſtitutuſ habet. Cum autem iam præſenſ eriſ, poteriſ cum ipſiſ Maieſtate de Coadiutoria cum Laurētio Truchſeſſio conferre, cuncta cōp ex animi ſentētia expedire. Literarū exemplā petita tibi hic trāſmittimūſ, quib. cum te bene ualere cupimūſ. Ex Praga, iij Martij. Anno MDXXXIII.

FERDINANDVS DEI GRATIA ROMANO.
rum Rex ſemper Auguſtuſ, Friderico Nauſeæ S.



Onorabilis, deuote, dilecte: Priuſquā ad urbem Romam peruenireſ, literaſ ad Aulam noſtram proficiſci iuſſeramūſ. Quæ cū tibi Germaniæ fineſ egreſſo reddi nō poterint, tuum abinde redituſ expeſtandum eſſe duximūſ. Cum autem te modō rediſſe intelligamūſ, tibi propterea ſtudioſè iniun-

AD D. FRIDERICVM NAVSEAM
iniungimus, ut mox intellectis præsentibus, absq; omni obstaculo
te ad nos & Curiam nostram conferas: neque quicquam differas,
aut cuncteris, nostram in eo expressam exequuturus uoluntatē. Da
tum in arce nostra Regia, Pragæ, ult. Ian. Anno Domini MDXXX
III. Regnorum nostrorum, Romani quarto, cæterorum octauo.

BERNHARDVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.
*Cardinalis, Episcopus Tridentinus, Friderico Nauſeæ,
ſacræ Theologiæ & LL. Doctori.*



X tuis III proxima datis, summam displicentiam habui
mus: quod ad nos uenire te, ut cuperes, non posse, signifi
cabas. Cum tamen te promptum ac dispositum ad nostrā
uoluntatem intelligeremus, longē leuius omnia ista qui
dem tulimus. Idq; Maieſtati Regiæ miris modis placuit, uti ex an
ne xis cognosces, quod ita te officiosē mihi excuses. Ne tamen aliud ali
quid post festum Paschatis tibi obſuturum uideatur, circumspecte.
Teq; rebus omnibus in tempore expedito. Interim quoq; ualeitudi
nis tuæ rationem habeto, ut te aduersa ea non inturbet, quo mi
nus propositum tuum perficias, & nobis obsequaris, Pragæ, xx
Martij, Anno MDXXXIII.

FERDINANDVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA
Rom. Rex ſemper Auguſtus, &c. Friderico Nauſeæ.



O norabilis, deuote, dilecte, ex literis tuis quas ad nos &
Reuerendiſſimum Dominum Cardinalem Tridenti
num, amicum nostrum chariſſimum, dedisti, clementer
intellexi, unā cum causa, cur ad nos iam uenire ne
queas. Et sanē credimus per te non stare, quin iam dudum ueneris.
Verum si (quod cupimus) tuum, quando licebit, aduentum matur
aueris, nobis quoq; satisfactum putabimus. Bono igitur animo e
ſto, & cum tempus erit, huc uenire contendas. Nobis in eo rem gra
tam facturum, nostraq; benignitate Regia recompensandam. Datum
in Arce Regia nostra Pragenſi, die XXI Maij. Anno Domini
MDXXXII.

BERNHARDVS DIVINA MISERATIONE S. R. E.
Episcopus Triden. Friderico Nauſeæ S.



A Deo nos implicitos offendit Epistola tua XXI Iulij da
ta, ob itineris ad nostras sedes properationē, ut illi pau
cis respondere cogamur. Igitur quod ad tuas res attinet,
quoniam Maieſtas Regia huc est breui uentura, & per
aliquot meſes permanſura, poteris omnia tua per Danubium ex VI
ma huc trāsmittere: ac ipse deinde conſequi. Reliqua nūc ad aliud tē
pus, ubi responſuri ſimus, prætermittimus. Ex Vienna, XII die Au
guſti, Anno Domini MDXXXIII.

Ortuſ

ORTVINVS GRATIVS MAGNIFICO ET D. O.
*Et ſiſimo uiro, D. Friderico Nauſeæ, LL. Doctori excellen
tiſſimo, S. D.*



M ortuus eram, chariſſime frater in Domino, Friderice,
ac Doctor egregie: ſed literis tuis mihi neſtare & am
broſia, imō & Midæ theſauro ſuauioribus, nuper reui
xi. Mortuus inquam, quia tuo te ſpoliatum beneficio ac
cēpi. Reuixi autē, tanquā ē graui excitatus ſomno, quū per Sereniſſi
mum Regem noſtrum, omniū literis atq; linguis celebrandū, te illi
reſtitutum, ē literis tuis cognoscerem. Iterū mortuus, multis te mihi
iſthinc Romā proſecturū referentibus. Et quid mirum? Quem ad
modū homo absq; nutrimento uiuere non poteſt, ita uerus amicus
uero ſuo ac integro ſpoliatus amico. At nunc obſecro intellige, quō
nam ſuaui pharſiaco priſtinæ ſim uitæ reſtitutus. Certē nō Medeæ
ſucco, ſed incredibili uirtute tuarum literarum, quibus te huc pro
pediem uenturum ſignificasti: tum etiam, quod ad Regiam ſis pro
ſeſturus Maieſtatem, ubi tum in primis tibi, tum nobis etiam om
nibus (præſertim hero meo, & mihi) ſuprà quā credi poteſt, pro
deſſe poteris. Quid igitur his inferam? Nihil niſi quod toties à mor
te per te ereptus, tecum etiam dum ero uiuam. Tu meus Aſculapi
us, tu cor meum, tu patronus meus, tu deſenſor meus. Et quid ad
huc uehementius? Quid (malum) uehementius? Tu mihi illiſc futu
rus es in Curia. Deus: quo duce ac mediatore ſim conſequuturus,
omnia ad bene beateq; uiuendum neceſſaria. Quandoquidem Ro
mana Curia non agnoſcit bonos, nec benefacit bonis. Noſti quid ue
lim, atq; deſiderem: nec ignoras quanta ſim paſſus pro eccleſia Dei.
Quid autem ipſe ego ac boni omnes pro laboribus noſtris à ſede
Apoſtolica conſequuti ſimus, cœlo ac terræ dijudicandum relin
quimus. Vale ſœliciter, ex ædibus Quentelianis, Colonia, III Cal.
Septemb. Anno MDXXXII.

ERASMVVS STRENBBERGIVS EXCELLENTIS
ſimo D. Friderico Nauſeæ, Theologiæ & LL. Doctori, S. P. D.



R euerende & clariſſime Domine, poſt cōmendationem
plurimā. Literæ tuæ Magūtiae prima Martij datæ, mihi
fuerunt gratiſſimæ, tum ob alia, tū ob id maxime, quod
te priſtinæ ualeitudinī reſtitutū intellexi, Deus conſer
uat ſuos, quos elegit ad opus bonum. Idemq; ut te apud Maieſtatē
Regiam ita gubernet, ut omnia pro cōmuni omnium incremento,
tuo autem honore, dignitate & commodo eueniant, precor. Nam
tum demū bene actum putaro, cum tibi, qui ſis omni laude et exalta
tione dignus, bene eſſe uidero. Cui ſi quid à me officiū poſſit tribui,
nihil mihi gratius cōtingere poſſet. Propterea q; ſcribo D. Roſino
noſtro, tametiſi ſciam omnia prius ex ſe facturum. Si quid aliud eſt,

T in quo

in quo possum tibi commodus esse seruitor, mihi mandes. faciamne dictis meis facto desim. Tu denique, cui me commendo & offero, foeliciter ac bene ualeas. Tridenti, die XXI Aprilis, Anno Domini MDXXXIII.

ORTHVINVS GRATIVS MAGNIFICO ET SVM.
mae autoritatis uiro, D. Friderico Nausea, Sacrae Theologiae & LL.
Doctori, S. P. D.



Eddidit mihi literas tuas Ioannes Spengelius, mea certe sententia uir praestantissimus, & omni uirtute praeditus. Gratulor itaque primum mihi, imo gaudeo uehementer, uel ex eo potissimum, quod amicitia nostram proximis diebus hic Coloniae in terrestri paradiso refouisse contigerit, conspectuque mutuo frui licuerit: quodque de uarijs rebus ingenuè commentati simus. Precor Deum opt. max. ut te uirum egregium, atque ad communem omnium salutem natum, nobis omnibus longaeuum foelicemque conseruet. Nihil tuo Gratia sub orbe hoc lunari, magis erit gratum quicquam. Et ut caetera saltem attingam: gratiam habeo tibi, quod frugiferam & honorificam feceris apud Reuerendissimum D. Episcopum Viennensem, mei mentionem. Foelix expectabo responsum, ut tunc data occasione, patrono nostro omnium literis atque linguis celebrando, respondeam. Salutabo tuo nomine uiros illos egregios, quorum tu in literis mentionem fecisti, quem Deo in omnibus orationibus perpetuo commendo. Coloniae, ex aedibus nostris, XVI Cal. Iulias, Anno MDXXXIII.

FRIDERICVS GROIVS SPIREN. ECCLESIAE
maioris concionator, Doctissimo Theologiae, consultissimoque LL.
Doctori, Friderico Nausea, patrono, fratri & praecipuo
colendissimo, S. P. D.



Vibus quantisque desiderijs aduentum tuum est Romana curia, Reuerend. Domine Doctor, expectauerim, non possum satis explicare. Nam sic pro incolumitate tua fui sollicitus, ut antequam redisset te saluum cognoscerem, bono animo esse non potuerim. Nec iniuria. Vir ille es, qui Christianam rempublicam maximis, assidujs & pulcherrimis meritis auges, & ornas. Gratulor igitur reduci tibi, ac precor, ut hac incolumitate tibi multum uti contingat: maxime, cum diuina gratia prouerheris et exaltaris, id est, a potentiss. Principe Ferdinando Rom. &c. Rege uocaris, ubi te uideo plurima pro bono Christianissimi, cum etiam honore tuo acturum. Id quod faxit Deus opt. max. Vale, Nemeti, XII Martij, An. MDXXXIII.

IACOBVS EBELIVS ARCHIEPISCOPI COLO-
nien. Physicus, magnifico uiro Domino Friderico Nausea, Theologo
& LL. Doctori doctissimo, S. P. D.

Ea



A, quae tu, praestantissime Domine, preceptor obseruandissime, mihi est Norinberga de Erasmo Colero, nepote meo, scripsisti, perlegi & intellexi. Primum, quae satis diligentiam & fidem tuam admirari non potui, quod tu rebus alioquin maxime arduis districtus, mei tamen inter tot & tantas curarum uarietates, obliuionem non permiseris obrepere, praefertim nihil adhuc de te meriti. Quamquam igitur pro istiusmodi officio grates persoluere dignas, non opis sit meae: quoad tamen spiritus hic uitalis hos mei corporis artus rexerit, semper habebō, agaque gratias quas possum maximas. Interim apud me semper honores, nomenque tuum, laudesque manebunt. Et si unquam tibi mea qualicumque opus fuerit opera, uel etiam apud Reuerendiss. D. Colonien. habebit ad omnia me promptum & diligentem. Quod autem nepotem ipsum meum, sartorem malle, quam barbitonforem fieri, intelligo, utcumque afficior: si saltem ingenio ad hoc inclinaretur, aut aptus esset. Id si uidetur tibi, rogo digneris adhibere diligentiam, ut ad probum & diligentem magistrum ueniat, apud eumque instituat. Et quia in uisu non nihil defectus patitur, ne cogatur admodum mane surgere, nec ad multam usque noctem lucubrare. Ad hoc si fuerit numerum aliquid expendendum, ut indulgeatur ipsi: libenter exponam, atque me soluturum spondeo. Si uero Norinbergae auram ferre non poterit, atque ob id se ibidem manere non posse dixerit, tum cupio, ut tantum numerum de pecunijs, quae apud magistrum Petrum tonsorem sunt, illi detur, quantum pro itinere sufficiat, atque sic ad me Bonnam remittatur. & diligenter peto, ne plus quam opus habeat, illi detur. Nam si quibus eget, iussu ad me ut scribat, & recepturum ipsum tum demum quod promisi. Praeterea cupio omnem adhiberi diligentiam, ne indulgentia corrumpatur. Quemadmodum alias procuratori scripsi. In his mihi ne inferuire graueris, oro & obsecro. Quaecumque uicissim re de ipso te mihi promerendum fuerit, uolo te mihi imperes, meque tanquam tuo clientulo utaris, summo id studio effectum iri curabo. Deus optimus maximus tediutissime seruet incolumem. Ex Bona, ultimo Ianuar. Anno natiuitatis Saluatoris mundi MDXXXIII.

F. IOANNES ICHTHIOBOLVS CELEBERRIMO
uiro Friderico Nausea, S. D.



Aud possum dicendo consequi, quam mihi saccharo omni tuae literae fuerint mellitiores, eruditissime & prudentissime Doctor. Et ita me Musae bene ament, ut nihil antehac unquam acciderit mihi gratis. Non autem tantum memoriam mihi tui refricabant, sed etiam admirationem nouam doctrinae tuae ingerebant, atque etiam humanitatis. Nam nonne mihi mirum uideri debuit, quod tu tantum tibi a negociosis

T 2 simo

simo tuo ocio literario praeipere, uir omnibus uirtutibus amplissimus, non dubitaueris, ut ad me nauici homuncionem, iustam epistolam, pulcherrimis & rarissimis dotibus plenam, perscriberes: Et ea sane re sic animum tibi deuinxisti meum, ut te sine nec uigilem, nec dormiam. Utinam ea mihi fortunae facultas esset, quam animus cupit: sentire rem tibi esse cum amico minimè tenaci. Tametsi diuina largitas ita te munerata est, ut admodum alienis opibus necesse non habeas: sed animum saltem meum talibus uerbis declarare uolui. Ut igitur redeam ad institutum, eruditio te sola promouit & exaltauit: quin etiam adhuc, absque dubio longè ad maiora, quantum uis nolentem & reluctantem, renitentemque exaltabit. In caeteris autem dotibus paucos etiam hominum habes communes. Me certè multis parafrangis anteuertis, & ut ita dicam, iubare tuo aciem meam omnino retundis: ita tamen, ut non in inuidiam, sed ad imitationem omnes pertrahas: non tibi malè uelle, sed propterea te colere amareque facias. Multerem, qua de iam dudum ad te scripsi, rursus commendo: quam ubi audieris, te non miraturum existimo, cur eius gratia tantum operè haecenus insumpserim. Nam eum referre mihi uideo, qui ouem deperditam, suis humeris reduxit ad caulas. In hanc, mi suauissime Domine Nausea, quicquid officiorum contuleris, rem facies & tuo nomine dignam, & Deo optimo maximo cum primis gratam. Res enim est (nisi stupidè coniectio) quae tibi non multum negotij, mulierculae autem plurimum utilitatis sit allatura: cum tamen pietatis sit plena. Noui autem, quantum apud omnes Ecclesiae proceres auctoritate ualeas, quam ab omnibus ameris, praesertim à Reuerendis. Domino Legato. Nec haec propterea dico, quòd de studio tuo desperem: sed ut curam mihi seruandarum animarum esse uideas. Cupio enim tibi placere, post Deum, maximè: qui ut primum Deo, dein etiam omnibus pijs placere abundè praestitisti. Pro consilio tuo prudentissimo gratiam habeo maximam, idque sequar. Epistola uero tua mihi tantisper reseruabitur, dum te unum conspiciere praesentè licebit. Mihi tum scribes, cum scribere necessarium uidebitur. Non enim sanctissimas occupationes tuas à me praepeditas. Te

mihî, toti que Germaniæ diu florentem seruet Deus
Opt. Max. E. Musgo nostro, xxiij Septemb.

Anno MDXXXIII.

EPISTO

EPISTOLARVM MISCELLANEA.

RVM, AD D. FRIDERICVM NAVSEAM BLANCICAMPIANUM, Episcopum Viennensem, singularium quarundam personarum, Liber quintus.

ERASMVVS ROTERODAMVS INTEGERRIMO VIRO Domino Friderico Nauesæ, Sereniss. Rom. Regis Ferdinandi, &c. Oratori,
S. P. D.



Namicorum literis frequenter hæc uoces infunt, Certiora cognosces ex Nausea; nemo tamen testatur, factam sibi tui copiam. Quin & tu mihi spem praesentiae tuae feceras: quum interim nec te uide re datum sit, nec tuas accipere literas. Non me fugit, quantis negotijs distraharis, mi Nausea: tecum boni consulo. Hic iuuenis, nauata grauitè in studio eius opera, promeruit dimissionem, quam Licentiam uocant. Sed mox hic alligatus est, grata (uti spero) compede. Duxit enim puellam, & genere claram, & forma praestantem. Nihil addam, cum nesciam ubi locorum agas. Vale, postridie Ascensionis. Anno MDXXXIII.

NICOLAVS ARCHIEPISCOPVVS CAPVANVS,
Reuerendo Domino Friderico Nauesæ,
S. D.



QVOD tanta corporis animique tui contentione pro re Christiana labores, non ingratum mihi fuit è literis tuis cognoscere. Illud uero longè gratissimum, quòd in Regem incideris uirtutum tuarum admiratorem: quem tibi, nobis que omnibus, atque te illi, Deus Optimus Maximus su perstitem diutissimè esse uelit. Vale. Romæ, xxij Ianuarij. Anno MDXXXIII.

Feceris mihi rem gratissimam, si insertam epistolam Domino Francisco Ritio, aut eius patri Paulo Ritio, reddi curaueris. Iterum uale. Anno, ut supra

IOANNES EPISCOPVVS VIENNENSIS, PRAESANTISSIMO UIRO, Domino Friderico Nauesæ, Oratori
S.



LITERAS iam accepi, Nausea amicissime, literas, quæ nescio quid dubitationis de animo erga te meo praesentè ferre uidentur. Cum tamen mihi conscius sim, semper me tibi ex animo bene uoluisse, & deinceps rebus tuis

T 3 non

non fecus ac meis, bene prospectum cupiam. Propterea si nonnullorum maleuolorum persuasio apud te plus, quam nostræ ueteris amicitiae argumenta ualent, doleo. Nihilominus tamen non committam, ut quicquam indicij à me ab alienati animi deprehēdas. Reditus ad nos tuus in tantum mihi non displicet, ut uehementer optarim, tecum, & cum tui similibus, hoc est, sanctæ religionis nostræ defensoribus & cultoribus, omnem ætatem agere. Eius que rei causa non semel, sed iterum ac tertio res tuas apud Maiestatem Regiæ & Reuerendissimum D. Cardinalem, communem patronum nostrum, promoueri, sic, ut diligentiori, mea non potuerim. Nec aliud uideo, quam quod uterque de te semper honorifice sentit & loquitur. De reliquo, uidelicet solutione stipendij, nihil certi polliceri possum: cum tota Regiæ Maiestatis familia de nulla re eque, ac de difficili solutione cōqueratur. Sed tamen non dubito, cum redieris, quin Maiestas Regiæ, pro sua erga te affectione, ordinatura sit, ut pecunia debita tibi numeretur. Voluntatem Reuerendiss. Domini Card. scio quod ex literis cognosces. De hospitio dabo operam, ut tibi prouideatur. Noua de Cæsare, posteaquam Castellum captum est, allata sunt nulla. Expectamus autem quotidie certum ac lætum nunciū ex Hungaria. Vdalricus Dux Vîrtenbergeñ, per Danubium huc uenit. Bene uale, tibi que de me, ut de amico optimo, omnia pollicere. Ex Vienna, v Die Augusti, Anno MDXXXV.

PETRVS PAVLVS VERGERIVS ORATOR PONT,
cum potestate, &c. Reuerendo & illustri Capitulo Ecclesiæ
Maguntinæ, S. P. D.

Reuereudi Domini, oro Paternitates uestras, ut cōfestim efficiant, ut colligatę literę Nauseæ reddant. scribo enim illi de meo isthuc aduentu, qui crastino die futurus est: atque de alijs quibusdam rebus, quas eum ocyus intelligere necesse est. Cogitauero, quod certius & citius à D. V. ille inueniri posset, quam à rudi tabellario. Itaque hæc fuit ratio consilij mei, quod in tam parua re utor nunc opera uestra, quæ non nisi in magno fuisset petenda. At offero me uicissim, aut in paruis, aut in magnis, si tamen aliquid huiusmodi possum. Vormaciæ, ult. Augusti, Anno MDXXXV.

CHRISTOPHORVS BARO SCHVARTZENBERGIUS, & in Hobenlandspurg Prouincialis, Aulæ ducum Buarie
Præfectus, Friderico Nauseæ, D. etc.
S. P. D.

Erudi-

Ruditissime & amicissime Domine Doctor, magno gaudio sum affectus, quod intellexi te à Serenissimo Romanorum Rege accersitum. Non dubito, quin apud eum Principem Christianam religionem sic prouecturus, ueræque fidei tantum profuturus sis, ut ullus hominum uix æquæ Libellum tuum de Sacrosancta missa perlegi, placuit que mihi summè. Nam est & sermonis elegantia, et rerum magnitudine nobilis. uerum diebus hisce prodijt hic a quodam Libellus itidem hac de materia: quæ cum recognoscere iussus essem, dein etiam apud me reseruassim, faciedum putauit, ut hunc tibi mitterem. Quemadmodum id nunc facio. Interim me, meum que filium, apud Serenissimum Regem inter aulicos agentem, diligenter tibi commendo. Monaci, xx Nouemb. Anno MDXXXV.

IOANNES CHOLERVS PRÆPOSITVS CVRIEN-
sis, clarissimo uiro, Domino Friderico Nauseæ,
S. P. D.

Reuereudus ac clarissimus uir D. Ioannes à Vuirspurg, Decanus Eystettenensis, tuo nomine perquam officiosè me saluere iussit: me tamen non nihil arguens, quod nihil ad te literarum trāsmiserim, quasi id sit mutati animi mei erga te indicium. Primum igitur, uir optime, quod meam socordiam & taciturnitatem incusaueris, gratissimum fuit. Nam & hoc puto animi esse beneuoli & optimè fauentis argumentum uerissimum: qui in hac parte officium meum requirat, quod ipse ego præstare sponte debueram. Verum si causam silentij mei perspexeris, puto te æquiores fore mihi iudicem. Nam præterquam quod causam nullam habeo, ut Nauseam meum amare cessim: is etiam sum, qui societas amicitiae semel bonis gratiarum auspicijs legitime tecum initum, minima in parte labefactare nolim. Quod igitur rarius ad te scribo, in causa sunt maximæ meæ & perpetuæ ægritudines, quæ me plerunque ita conficiunt, ut quum maximè uelim scribere, tamen non possim, pigeat que nonnunquam gratissimos solis radios intueri. Accessit ad hæc elapso anno, malo huic aliud incommodum grauisimum, licet cum alijs multis mihi commune, tamen molestissimum, quod me ab omni amicorum officio retrahit, schismaticorum hic apud nos importunitas & uiolentia, qua nos ita diuexarunt, ut nemo non hic persuasum habuerit, uniuersam religionem, unà cum nobis in exilium ituram: nisi Deus ἀπὸ μηχανῆς uertisset hos plusquam impios tumultus, in leniorem paulo exitum. Iam ego hinc perfergeram, etiam cum ægro corpore: nec huc postea redij, nisi admodum serò, ingruente iam hyeme. Atque a deo dum hic sum, rarò in publicum processi. Viuo domi cōtractus

(ut

(ut solent cochleæ) succo meo. Nec tamen interim animus officium suum meum minus præstitit, omnibus me aduentibus. Quapropter uir undecunque doctissime, te oro, ne qua te sinistra de Colero tuo capiat suspicio. Tuus enim sum, & ita quidem tuus, ut nemini amicorum tuorum sim studio & beneuolentia cessurus: ad eoque, ut nulla calamitas me possit ab amicitia tua diuellere. Quod si quid adhuc de animo meo subdubitas, fac periculum: uel tantum uerbulo significa, quo genere officij tibi gratificari possim: & nisi uideris me summa alacritate rem aggredi, omnium me mortalium ignauissimum dicitur. Vale: & quoties uacat, rescribe. Prouocabis me, ut non solum præteritam negligentiam diligentius resarciam, sed te literis quoque nostris ad nauream obruam. Ego enim cum sim tardissimus ingenio, te prouocare non debeo. Iterum uale, uir ornatissime, & me in tuorum numero conserua. Augustæ, die XII Mar. Anno Salutis MDXXXV.

HIERONYMVS ALEANDER ARCHIEPISCOPVS
Brundisinus, Friderico Nauseæ S.



Vas à me petijsti pro te commendationes literarias apud Pont. eas coram uerbis ipsis uitis libentissime faciam. Neque permittam te officium desiderare meum, uerbicunque cognouero operam meam tibi usui atque honori esse posse. Sed tanto scias hac in re me ardentior fore, quantum cognouero te amare ac bene uelle uiro undequaque clarissimo Domino FRANCISCO CONTARENO, apud Serenissimum Romanorum Regem, pro illustris. Venetorum aristocratia nunc Oratori. Quem etsi scio te pro ea coniunctione, quam è diuturna & incunctissima Patauij commoratione cum nostratibus contraxisti, plurimum facere: uix tam credas, quantum tibi sim debitorus, si quid etiam mea causa ad istum amorem adieceris. Quarto abhinc die Venetij urbem uersus soluam, Pontificis inuitantis iussu, apud quem in Palatio Apostolico honorifice diuertam. Illuc scribe, si quid me uelis: sed longissimas literas de re cum priuata tua, tum publica. Vale mi frater. Venetij, XII Maij. Anno Salutis MDXXXV.

IOANNES FRIDERICVS AVRINODIVS EGREGIO
uiro, Friderico Nauseæ S. D.



Recepi nuper abs te per communem amicum nostrum D. Blasium Bulchiu litteras tuas, quæ me maximo affectu gaudio, tamque iucundæ extiterunt, ut planè nil magis: tum quia intellexi te ualere, tum mihi fauere, plurisque facere quam deceat. Quid autem posset uel mihi, uel alij cuiquam esse gratius, quam amari à tanto uiro, omni uirtutum genere adornato, scientia, eloquentia, moribus ac gestibus, humanitate, singulari erga omnes

omnes homines, præcipue amicos, pietate conspicuo? Nihil certe, mea quidem sententia. Quare tibi pro bonitate tanta summas ago gratias: & tamen meæ uires non sint, ut quicquam repromittere queam, tamen affirmo, me te perpetuo in oculis habiturum, prædicatione, beneuolentia, modisque omnibus ornaturum: saltem me, ut cepisti, posthac ama. Deus te suæ sanctæ Ecclesiæ, nobisque omnibus seruet incolumem. Vormaciæ, vii Iulij, Anno Domini MDXXXV.

PETRVS PAVLVS VERGERIVS, ET C. DQ.
Eiusdem Theologo Friderico Nauseæ,
S. P. D.



Ecce iam propè adsum, abs te quidem magna sollicitudine expectatus, ut opinor. Nam & ego te complecti uicissim cupio mirum in modum. Quantum uero supputare possum, non multo post decem dies Maguntiam attingam. Has uero uolui ad te dare literas, non modo ut essent aduentus mei prænuntia, uerum etiam ut sis adiumento mihi, in hac mea causa, imò totius reipublicæ Christianæ, quam tu amas ac defendis tantoperè. Abest nunc à nobis, ut audio, Reuerendissimus & Illustrissimus Cardinalis: At saltem cum ipsius uices gerente, multa essent mihi tractanda. Is uero etiam abest nunc, quantum audio, & satis quidem in remoto oppido: quò sanè uenire nollè, si possem eum laborem declinare. Sum enim (tibi ingenuè aperio animum meum) uehementer de lassatus, exantlata parte tam longi & operosi itineris, præterea ualde territus mole magnitudinis que futuri. Cœpi itaque hoc consilium, ut illi scriberem, atque etiam Canonicis uestratibus, si aliqua ratione Principi persuadere possimus, ut ipse potius Maguntiam aduenteret, præsertim cum grauias sint, quæ ego fero, ne gloria. Hoc igitur in primis uelim, ut omnia cogites, omnia dicas & facias, me mihi sit eundem aliò quaesitum Principem. Deinde ut curam suscipias, ubi nam isthic sit mihi hospitandum. Habeo enim in eo meo comitatu equos XIII, & commorari uolo apud uos diebus aliquot. itaque reformidandus est sumptus, si debeam diuertere ad publica hospitia. Tu uide, quid expediendum sit. Feceris in hoc cutroque mihi rem longè gratissimam. Literas uero mittito ad aliquem bonum amicum Vormaciæ, qui confestim, ut adesse me sentiat, eas mihi reddat. Vale, & salue iterum, mi Nausea, sis que bono animo. Faciam, ut & honori & commodo me tibi fuisse intelligas. Salutatur te Othonellus Vuida, auditor meus, à quo amaris plurimum. Haidelbergæ, XII Augusti, Anno MDXXXV.

P. P. VERGERIVS ORATOR PONTIFICIS, REVERENDO Domino Friderico Nauseæ, S. D.

V Vent



Eni Vormaciam nudiustertius: heri manè accepi tuas literas iucundissimas, & iucundiores adhuc libros, de quibus coram agā. Amo te de diligentia, qua usus es in meis negotiis, siue potius publicis. Tuo uerò consilio planè acquiruissem, atque hic constituissem per VII dies, dum scilicet scirem, an Princeps esset certò Maguntiam uenturus: sed ratio publicæ & grauissimæ materiæ passa non est. Itaque constitui hinc discedere cras manè, ita ut possim uesperè illuc appellere: quin etiā apud te minus commorabor, quam constitueram. Voluissem ex meis que mpiam præmittere, qui curam hospitij suscepisset: sed tibi, qui totus es meus, fuissem iniurius. Illud tamen oro, dignitatis pontificiæ in primis rationem habeas. Quod ad hospitium, ut maximè sumptibus non sit parcendum, præmitte cras quempiam, qui mihi nunciet quid egeris. Vale, & saluè: Vormaciæ, ult. Augusti. Anno MDXXXV.

P. P. VERGERIVS ORATOR PONT. MAX. DOCTISSIMO Theologo & iureconsulto, Friderico Nau-
sea, S. P. D.



Ide quanti te, & tuum consiliū prudentissimū, faciam, optime Nausea. Iam enim prorsus constitueram crastina die hinc abire, quemadmodum & scripsi. at mutauissententiam, tuis literis acceptis: & ita omnino faciam, ut uoluisti. Cras enim hic subsistam: perendie ueniam ad Oppenheim, ubi te expectabo. Die Iouis Maguntiam unā intrabimus. Habes itaque consilij tui me sequacem. Sed heus Nausea, arrige aures. Papa PAVLVS contulit tibi Coloniae quandam Præposituram, nuper inquam, cum magna honoris tui accessione. Verum hæc audies à me postea, modò sis animo lato. Vale, & saluè. Vormaciæ, tricesimo Augusti. Anno salutiferæ natiuitatis Christi MDXXXV.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS, AMICISSIMO suo Domino Friderico Nausea,
S. P. D.



Ta me Deus amet, charissime simul & amantissime Nausea, inter totidem tristia, que perpetuo triennio accidere mihi, si quicquam me turbatoris animi fecit, quam quod pro tua dignitate, pro que tuis meritis à questoribus tractatus non es. Tamen tibi, nihil perditum esse, persuadeas. Urgebo ego, & instabo tanta diligentia, ut non dubitem, quin breui tibi lætissimè nunciaturus. Interèa non solum fideiussor, sed principalis

pālis debitor esse uolo. Nontam id me malè habet, quod non usque adeò nummatus discedere coactus es: sed quod fortè consternatus es, formidans nescio quid. Vidisti Regem plusquam propitium tibi. Is proculdubio hanc iniuriam compensabit. His uale, & ex Fabrico tibi optima quæque pollicere. Viennæ, i i Septembris, Anno MDXXXV.

IOANNES MAIVS REGIVS SECRETARIUS, Amplissimo uiro, Domino Friderico Nau-
sea, S.



Am alteras à te literas accepi, Maguntie datas, quibus mihi gratias agis plusquam officiosas, de precibus transmissis: quasi magnum sit, hoc pro te Maium fecisse. Nunc quæ prioribus ad te scripsi, repetam. Primum, quod literas Domini Ioannis à Vuirsperg, Decani Eystettensis, ut ab eo acceperim, tibi miserim. Deinde, quod luculentissimæ famæ uirum, ERASMV M illum ROTERODAMVM, plene explicarim. Cui sic dudum afficior, ut non possim magis. Sum, que in laudibus huius, tam uidelicet eminentissimi hominis, plene mutus. Nam uideo eum omnem fere mortalium laudem, & si quid aliud dici potest, superasse. Bene sit illi simul, & tibi. Vos ex uoluntate Dei religionem restitutos spero, nec adulo. Sum enim sincerus, & manere uolo dum uiuam. De fortuna Cæsaris multa læta narrantur, præcipue, Archipiratam Barbarossam repressum. Faxit Deus, ut maiora perficiat, id que in gloria Dei, quæ crescat, increseat, & semper magis uigeat. Bene ualeas. raptim Viennæ, quinto Augusti. Anno millesimo centesimo tricesimo quinto.

VALENTINVS A TETENLEBEN, DOCTOR in spiritualibus Domini Maguntini Vicarius, Magnifico & eximio uiro, Domino Friderico Nausea,
S. P. D.



Reces (quas uocant) Regales Serenissimi Domini Romanorum Regis, ad collationem Decani & Capituli ecclesiæ Maguntinæ, impetrauit & expedit Reuerendissimus Dominus Episcopus Brixinensis. Cupit autem eandem Reuerendissimus & Illustrissimus noster Dominus Cardinalis, pro quodam suo fideli & charo: mihi que negotium hoc, ut sollicitem, commisit. Quare rogo te, digneris intuitu Reuerendissimi Domini Cardinalis rem suscipere, ac promouere diligenter: si fortè, quod dubium non est, Dominus Brixinensis eas à se Domino Cardinali tradere uelit. Pro labore, scribis apud

Dominum Brixinensem abundè satisfiet. Te autem Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps gratiose remunerauerit. Si literis ipsius ad Dominum Brixinensem opus esse iudicas, mihi perscribas: celeriter eas expediam. His foelicissimè ualeas. Deus que te ad reditum huc uersus incolumem conseruet. Maguntia, i. Octob. Anno MDXXXV.

FRANCISCVS RVPILIVS CLARISSIMO
VIRO Domino Friderico Nausea,
S. D.



Incredibili tenebar desiderio cognoscere, num omnes quas haectenus ad te, praestantissime Domine Nausea, dedissem literas, accepisses. & tandem XIX Aprilis facundissimam & amicissimam tuam, quam V Februarij Viennae scripseras, epistolam accepi: qua satis de omnibus rebus edoctus fui. Pro amicissima tua uoluntate, quam mihi declaras, gratias ago tibi longè maximas. Nihil me puto uulgaribus hisce meis officijs de te meritum: magnificè autem de te mereri cuperem. Id que tibi testatissimum faciam, cum maiora rerum facultas & occasio mihi permiserit. Rectissime fecisti, quod ad Reuerendum Dominum Episcopum Aquensem literas dedisti. Illas ei statim reddidi, fuerunt que homini gratissimae. Commendauit ei causam tuam, cuius ipse auditor est: Iudicem in eo habes fauentissimum. Rescribit ipse mihi, quod cupiat illic à te sibi expediri, Praes Regales. Hortor igitur, ut id diligentissimè, citissime que facias. Romamque ad eum instrumenta illico mittas. Obtinebis certissimam causae tuae (mi Nausea) uictoriam. Et haec de re scribit tibi Zolerius. Eius consilium non contempnas, sed modis omnibus obsequere. à Roma, festinanter, XXIII Aprilis, Anno MDXXXV.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS
Praestantissimo uiro D. Friderico Nausea,
S. D.



Literas tuas, optime Nausea, XXI Maij datas, nunc primum huius Mensis XXI accepi, & miror non parū, ubi nam illae tam diu latuerint. Itaque si responsio mea tardior ad illas esse, quam amicitia nostra postulet, uidetur, non id mihi, sed tabellariorū negligentiae adscribas. Quod uero primò statim scribis, fuisse quosdam, qui conati sint tibi persuadere, quod non ex animo tibi faueā: quin etiā conatus sim, ut primo quoque tempore ex aula extrudereris: demiror te, qui iam multis argumentis uoluntatem & fauorem meum erga te pridè nō perspexisse non potes, quod

quod eiusmodi inanibus inuidorum quorundam delationibus tam facile aures praebueris. Ad eò, ut etiam (quod è uerbis literarum tuarum subodorari licet) parum abfuerit, quin illorum persuasionibus credideris. Itaque ueteris amicitiae nostrae rationes expeterent, ut aut tecum amice expostularem, aut me purgare, nisi me res ipsa dudum apud te excusaret. Tute enim nō ignoras, quam difficulter ad Maestatem Regiam, hinc isthuc abeundi copiam obtinueris. Ea autem in re adiutor tibi fui, non ut obessem tibi, sed ut gratificarer. Nec aliàs ulla in re uerbum ullum, uel indicium, sat scio, alienati animi mei erga te, proferri potest. Nam ego tibi semper faui: cupioque adhuc, ut dum uiuas, nobiscum maneas. Quod si talium maleuolorum persuasiones plus apud te ponderis, quam nostrae necessitudinis rationes habent, est quod doleam. Non tamen erga te, & omnes sanctae fidei defensores ueros, de amore beneuolentia que quicquam diminuat. Quod profectioem hinc commodam & foelicem habueris, est mihi gratum. Illud tamen gratius & iucundius, quod oblatas istic tibi nouas conditiones, Regiae Maestatis causa contempseris. Certo tibi persuadeas, eum adhuc de te optimè meriturum, & hoc tuum erga se studium clementissimè compensaturum. Nam ille semper honorificè de te loquitur. Ad haec, ipsa serenissima Domina Regina, tum etiam Reuerendissimus Dominus Cardinalis Tridentinus, simul erga te benignissimam uoluntatem gerunt. Librum operis Astrolabij iunioris in uicinisimo Regi nostro dicatum, nondum uidi. Literae, quae meis iunctae fuerant, iuxta illarum inscriptionem, singulis per Andream praesentatae sunt. Rerum nouarum apud nos nihil est, nisi de Monasterij expugnatione: de quo Caesare, quod portum illū munitissimū apud Tunetū expugnarit. Cum Hungaris adhuc de pace tractatur. Bene uale, & amicitiam nostrā pridè inuitā, & multis mutuis beneficijs confirmatā, malorū falsis persuasionibus dirimi ne sinas. Ex Vienna, XXI Iulij, Anno Domini MDXXXV.

FRANCISCVS RVPILIVS CLARISSIMO VIRO
Domino Friderico Nausea, S. P. D.



Expectaui magno desiderio tuas literas, ornatissime Domine, & ecce VI Iulij sub noctem mihi tuae sunt reditae. Longas uero illas, quas ante ad me te dedisse scribis, nondū recepi. Gaudeo abs te mihi negotia aliqua iniungi, ea summo procurare studio non desistam. Deus faxit, ut ex mea sedulitate optatum sentias fructum. Erit mihi abundè magnum iucrum, gaudium illud, quod ex insigni aliqua utilitate tua capiam. Postridie eius diei, quo tuas accepi, summo mane adij D. Ambrosium de Recalcatis: ei reddidi tuas literas, atque retuli, quae ad me scripseras.

V 3 Heri

Heri Neapoli Romam ueredarius uenit, quia oratorem Cæsareum literas à Vicerege attulit, quibus scribitur, Imperatorem XIII Iulij propugnaculum illud munitissimum in faucibus portus Tunetani situm, uocant Lacollata, modica suorū iactura expugnasse. Trucidatos & captos esse Turcicos milites ter mille, Bombardas centum captas. Item Galeatas naues hostium septuaginta, cum ple-risque alijs nauibus, in potestatem Cæsaris uenisse. Eius uictorię no-mine heri plebs Romana lætabūda plurimos fecit ignes. Hoc uelpe-re summus Pontifex dicitur etiam signum læticię daturus. Deus nobis bene uertat, Monasterium, & nouum eius tyrannum uobis, cum illic captum esse, magno Romę gaudio percepimus. Deus op-timus maximus det omnibus fidei hostibus talem uite exitum, pre-cor. Proxima hebdomada elapsa mortuus est D. Ioannes Ingel-uinckel. Heri uerò Cardinalis Barenfis. Postquam ista scripseram, redij, ut iussus fueram, ad D. Ambrosium, is mihi literas hisce con-iunctas, quibus munus à Pontifice promissum, insertum est, ad te mittendas diligenter commendauit. Literarum istarum fasciculum per Dominum Tetenebium tibi reddendum commisi, qui se id bo-na fide facturum promisit. Tu D. Ambrosio, cum cuncta receperis, id significa, ne quid de fide mea dubitet. Insertas hisce literas ad D. Decanum Vormaciam certò curabis. In tua ego semper sum pote-state, factururus cupidissimè quicquid iusseris. Tibi uir clarissime, do-ctissimeq; me plurimum commēdo. Bene Vale. Romę, XXI X Iulij, Anno MDXXXV.

IOANNES BVESSO ROM. REGIS ETC, SA-
cellanus egregio uiro Friderico Nauſea,
S. P. D.

Literę tuę fuerunt mihi gratissimę, propterea quod certiore me de incolumitate tua faciebant, quam ego semper cognoscere cupidissimè desidero. Quod ad pecuniam attinet, iam diu summa cura sollicitaui. Sed dantur mihi bona uerba, præterea nihil, ut in Aula nostra moris est. Tamen ego non quiescam, donec aliquid, uel potius hoc totum per-ficiam. Tu sis interim bono animo, nec de mea diligentia fidē que quicquam dubites. Cum Regia Maiestate, & Domino Martino de Guzmannis, feci quę uoluisti. Maiestas ipsius de reditu tuo inter-rogauit peramicè: tum etiam, an iam Homelię in lucem exiuisent, ego me literas expectare dixi. Eas igitur primo quoque tempore mittere digneris, ut Maiestati ipsius, si rursus fortè interroget, sci-am quid respondeam. Nam uideo semper eum de te esse sollicitū, cupere que, ut iam apud suam Maiestatem sis. De uictoria Cæsaris te iam

te iam intellexisse puto. Alia quę scribam non habeo, nisi quod de pace inter Regē nostrum, Turcam et Veuuodam agitur, Deus om-nia bene uertat. Tu bene ualeas. Ex Vienna, XXI X Iulij, An-no MDXXXV.

PETRVS VORSTIVS EPISCOPVS AQVENSIS

Clarissimo uiro D. Friderico Nauſea, Doctori,

etc. S. P. D.

Reuerende domine, ueluti frater amatissime: Reddidit mihi ante duos aut tres dies D. Doctōr Franciscus lite-ras tuas, v Feb. datas, quibus pro humanitate tua con-gratularis mihi de promotione ad Episcopatū (licet im-merito.) Pro quo non possum non tibi gratias max. agere. licet tu non minus tibi ipsi, quā mihi gratulari debeas, cum, quicquid ex hac dignitate uel honoris uel autoritatis habeam, id æquē tuum sit, ac meum. Quamobrem tu dubitare nō debes, quin negotium istud de quo mihi scripsisti, sed plenius indicauit D. Franciscus, ita confici-am, ut nō possim melius. Idēq; eo libentius, ut uices referā pro bene-ficio præstito in obtinendis nominationibus munificentissimi Re-gis. Cui humillimè meis uerbis gratias agi, meq; plurimum commē-dari desidero. Cæterum cum ex hac gratia nullus effectus uenire possit, nisi manus ea quę coepit perficiat, enixè te oro, ut literas Ma-iestatis ipsius desuper necessarias expediri, curare uelis, postea que huc ad me transmitti, hac in re sumptum omnem illico restituam, la-borem uerò tuum pro uirili compensabo. Deus te in omni foelicitate florentem diu conseruet. Romę, XXII Aprilis, Anno salutis mundi MDXXXV.

CORNELIVS ANTHONIVS ET TENIVS

Reuerendo Domino Friderico Nauſea, S. D.

Clarissime Domine Nauſea, Tandem XXX Septem-bris tardissimus nuncius literas mihi tuas reddidit, unā cum libris unici amici mei Ludouici Canonici Vor-macienſis quibus cognoui propensam erga me uolun-tatem tuam, cum expresso desiderio: nec possum satis exprime-re, quanto gaudio propterea fuerim affectus. Hoc unum dico, ni-si tantum interualli post datam fuisset interlapsum, mox istuc me fuisse aduolaturum. Verum, cum tantum intercapedinis intercessis-set, existimaui te ob responsionis moram indignatum, alium ad te recepisse. Quod si ita est, æquo animo feram oportet. Ta-met si ea nunc est rerum mearum ratio, ut sine maximo honoris & facultatum dispendio, ante proximum uer hinc discedere non que-am: sed quia laudatissimis & clarissimis uirtutibus tuis cupio con-uiuere, facerem quod possem. Concilij iam indicia luculenta appa-
rent

rent. Faxit Deus, ut opinioni exitus respondeat: hoc est, sic, ut speramus, accidat, & synodus sancta celebretur. Interim dum hic sum, & D. Franciscus Rupilius abest, si tibi inferuire possum, liberrimè mihi imperes, & ad omnia deditissimi seruitoris & clientis officia me promptissimum reperiens: Nec iam modò, sed perpetuò quidem, quàm diu uiuere, & aliquid diuina benignitate præstare datum fuerit: Quæ te in multa felicitate diu conseruet incolumem. Romæ, I I Octob. Anno Christi nati MDXXXV.

OTTONELLVS VVIDA IVRIS VTRIVSQVE
Doctör, Friderico Nauſeæ Sacræ Theologiæ Doctör, S. P. D.

RVtabat summus Pontifex, te adhuc Viennæ apud Regē moram trahere. Ideoq; nobis per literas præceperat, ut postquam te nomine eius plurimū saluere iussissemus, has tibi complicatas, & ipsius iussu cōscriptas literas traderemus. Cum tu autem in patriam iam concesseris, ego, qui nihil amicis libentius nunciare soleo, quàm ea quæ illis honori & commo- do esse uideo; & illas illico tibi transmittendas curauim. quibus abundè perspicias, ipsum summum Pont. beneuolentissimo in te esse animo. Ita, ut omnino decreuerit, pro laboribus tuis, quos plurimos in uerbi Dei prædicatione, & sanctæ Ecclesiæ propugnatione assidue impendis, condigna propediem præmia rependere. Qua de re, cum te plurimum diligam & obseruem, æquum est, ut pariter letet, & plurimum etiam tibi gratuletur. Quod quidem ut libenter, ita uere & ex animo facio. Vale, meq; tui amantissimum mutuo redama. Ex Vienna Austriæ, IIII die Iunij, Anno, &c. MDXXXV.

LAURENTIUS CARD. CAMPEGIUS REVE-
rendo D. Friderico Nauſeæ S. P. D.

Literas tuas ad VIII Cal. Ianuarij datas accepi, ex ijsq; cognoui, te, ut Regiæ Maiestati obtemperares, relicta Maguntia, iam in aula aptid ipsam degere uelle. Ea est tua prudentia, & in Christianam rem publicam pietas, ut ubicunq; fueris, ibi & fructui & adiumento quàm maximo semper futurus sis. Ad quod quidem ut omni studio atque omni contentione incumbas, te etiam atq; etiam hortor, nullum etenim maius ad te ornandum, amplificandumq;, beneficium præstare potes. Quod uerò ad res tuas hic attinet, quoniã Reuerendissimus Feltrensis frater, cui planius eas explicauisti, tibi rescribit, nihil est quod scribam, nisi operam meam atque studium tibi minimè unquam defuturum. Reuerendus Dominus Petrus Paulus Vergerius à nobis benignè susceptus est, et summo Pontifici cōmendatus. Vale. Romæ, Nonis Feb. Anno MDXXXV.

Thomas

THOMAS EPISCOPVS VASIONENSIS, REVE-
rendo Dominò Friderico Nauſeæ, S. D.

Doctor egregie, licet de laboribus tuis, quos in uinea Domini strenue laborando, iugiter exerceas, aliàs multo- rum testimonio cognouerim: tamen literis x xv Decemb. datis idem clarius perspexi. Quod etsi bonæ mentis tuæ ac promptitudini adscribendum sit, cum tamen magis ac magis per hoc accrescas in sapientia, ualde lætor: Deum rogans, ut te confirmet, & tibi præmia digna reddat. Munusculum tuum, quod ad me transmississe te scribis, ego, maiore id, quàm ego sum, Præla- to dignum reputans, pridem alijs literis me accepisse scripsi, et nunc idem scribo. Doleo tamen, quod cum tibi debere me plurimum ingenue fatear, non tamen animum propter temporis incommodita- tem facto declarare queam. Si foelicis memoriæ Clemens adhuc ui- ueret, facile uoti compos essem. Sed nunc eo ab humanis subtracto, non tantum ego, sed omnes etiam quondam illi adhærentes, peius habent. Erat enim in illo mira bonitas, summaq; erga Christianam religionem dilectio, ultra cæteras, quas habuit innumeras animi dotes. Est tamen spes de isto, qui fuit antè Cardinalis Farnesius, non minor. Si Deus uolet, cum laude etiam hoc in fastigio uersabitur. Querelas tuas satis intellexi, & ex animo doleo. Sed habiturus est hic Pontifex fortassis laborum tuorum rationem. Ego certè pro uirili, tuo commodo non deero: saltem indica, quo modo, uel quid, omnia, quæ me tibi præstare posse putas, significa. Videbis me pro tua dignitate augenda, amplificandaq;, fidem & diligentiam perpetuò adhibiturum. Bene uale, Romæ, VI Feb. Anno MDXXXV.

FRANCISCVS RVPILIVS DOCTISSIMO THEO-
logo Friderico Nauſeæ, S. D.

MEas tibi literas, præstantissime atq; doctissime uir, omni- no non reddi, non puto: sed tam tardè tibi reddi, doleo. Nam proximæ, quas uir absolutiss. D. Vergerius mihi reddidit, fermè ad omnes respondent, quas hæctenus mihi. Gaudeo rem tuam eo in loco esse, ut & monitorio pœnali & Bul- la illa carere possis. Profuit tibi pro negocio illo pecuniam defecisse: quæ si ad manus fuisset, frustra esset erogata. Admonueram te li- teris illis meis, ad Pontificem gratulatoriam scriberes Epistolam: id abs te nunc probè factum est. Domino Vorstio ut scribas, magno- pere uelim. Is ad gratificandum tibi, ualde se paratum semper exhi- buit: utq; illi significes, ad quæ loca pro eo precès Regales impetra- ueris. Id omnino tuo conuenit officio, idq; ipse cognoscere magno- expectat desiderio. Cæterarum literarum tuarum fasciculum ad me miserat D. Vergerius, XXI Ianuarij, hora noctis prima: ipse uerò a- bierat Marlianum, quod inter Hostiam & Romam ad Tyberim situm

X tum

tum est, ut ibi Pontifici suæ legationis curam & rationem exponeret. Altero die, mane summo obambulavi ad reddendas literas tuas his, quibus eas inscripseras. Qui se eas lecturos dicebant: de respondendo, per commoditatem cogituros. Reuerendissimus Dominus Cardinalis Campegius, in lecto ex podagra decumbens, me rogavit, in qua domo habitarem: eo que se missurum responsum, si tua res postulet, pollicitus est. Summus Pontifex, & Ambrosius, pridie eius diei Romam redierant. Hoc die statim orto sole, me ad Pallatium contuli, atque Domino Ambrosio tuas reddidi: Literas que, quas ad Pontificem dederas, ei commendavi, qui sibi id curæ fore pollicitus est. ad summum enim Pontificem tum mihi aditus non dabatur. Hoc eodem die salutatum adij Dominum Vergerium, qui de te honorificentissimè, amantissimè que loquutus est: mihi que retulit, in colloquio, quod Marliani sibi cum Pontifice M. fuit, se trium eruditissimorum uirorum, qui sedem Apostolicam in Germania, fidem que Catholicam facundia atque doctrina contra hæreticos tuerentur, mentionem fecisse, quorum tu præcipuus fueras. Quum que eum rogarem, ut ipsius opera scire possem, si quando nuncius hinc istuc iret: ille se perbenignum obtulit, iubens ut hoc adhuc uespere scriberem, iturum ad Serenissimum Regem manè ueredarium. Tantum igitur in præsentia ad te scribere potui. Christophorum Coquum de mittendis uestibus cohortatus fui: respondit, se circa quadragesimam in Germaniam iturum, & eas Ratisbona tibi procuraturum. Porro quod me magnis & amplissimis uiris notum facere studes, illis que tam amice commendas, ac per id dignitatem meam prouehere desideras: pro tanta tua beneuolentia, uir clarissime, tibi merito summas ago gratias: qua ut me quotidie magis dignum reddam, omni & obseruantia & officiorum genere contendam. De meo ex urbe discessu, nihil adhuc deliberatum habeo. Fieri posset, ut hanc æstatem hic adhuc agerem. Quocunque tamen loco fuero, tuus semper ero. Carolus Zolnerius tibi fuerat scripturus, sed hominem domi non reperi. Vasionensis Episcopus dixit se tibi responsum. Borgerus putat illum adhuc posse bene de te mereri. Si aliqua tua causa requirat aduocati consilium, se ipsum hoc præstiturum. Respondi, si tu omnibus illis, quorum expectare possis auxilium, debeas aureum Romam poculum mittere, non suffecturam tibi Regis alicuius fortunam. Indignor illorum hominum auaricia, & stoliditati. Fecisti muneris illius indignam iacturam: quod, quia mutari non potest, æquo animo ferendum est. Erigis me in spem, tui Romæ uisendi. Quod ut te saluo & incolumi, magno que tuo commodo & honore fiat, ex animo precor.

precor. Scribe ad nos sæpius, & de rebus Hungaricis: quæ ut Reginostro uerè optimo foeliciter cadant, à Deo uotis ardētissimis opto. Tu foeliciter ualeas. Breui plura scribam. D. Iodocus Hoidfelder sæpe admodum me rogauit, quum ad te scriberem, suo te nomine salutarem, commendarem, et quod tibi seruire paratissimus sit, si gnificarem. Romæ, uigesimo sexto Ianuarij, Anno millesimo quingentesimo tricesimo quinto.

CORNELIUS ETTENVS, ETC. CLARISSIMO

mo uiro Domino Friderico Nauſeæ,

S. P. D.



Cæpi, uir doctissime, Epistolam tuam, XI Octob. Viennæ da tam, iuxtaq; commissionem tuam rogavi Dominum Episcopum Aquensem, quid de precibus intercessionem tua à Regia Maieſtate obtētis fieri uellet, quod ex literis ipsius cognosces, & profectò plurimum admiratus fuit, id te scire rursus desiderare: cum tamen ille pridem abundè tibi omnia, me nescio, perſcripserit. Si D. Rupilius non diligenter ad te direxit, mirandum est. Iam igitur cum denuò tibi cuncta ad rem pertinentia Dominus meus perſcribat, facies illi gratissimum, si notas preces expedieris ac miseris. Expensas ipse statim cum summa gratiarum actione tibi restituet. Præterea, ut mandasti, interrogavi Dominum Carolum Zolerium de statu causæ tuæ: dixit optimam se habere spem, saltem commoditas adsit. Cupit enim frustra Regestum à Notario auferre. Quod reliquum est, gratias ago tibi maximas de gratuita beneuolentia, qua me prosequeris. Pro qua cum nihil adeò mihi in uotis sit, quam gratum esse & uideri, æternæ tibi obseruantia atque seruitutis studium polliceor: cuius fructum, si quando fuerit usus, certò experieris. Conditionem, in qua sum nunc constitutus, non mihi uideor adhuc commodè commutare posse. Habes ad Epistolam. Fit hic qualiscunque apparatus pro aduentu Cæsaris, quem tamen tardio rem fore pleriq; autumant, & penè usque ad quadragesimam delatum iri. Suborta est non leuis suspicio belli inter Principes Christianos, quod superi prohibeant: nam Concilium tam diu desideratum, quod præ manibus esse uidetur, retardaturum timerem. Vale patrone colendissime. Romæ, quarto Februarij, Anno Domini Millesimo, quingentesimo, tricesimo sexto.

FRANCISCVS RUPILIUS CLARISSIMO

mo uiro Domino Friderico Nauſeæ,

S. P. D.

X 2 Nuper



Vper ad te cum Reuerendissimo Domino Vergerio, nuncio Apostolico scripsi: teq̄ summè rogavi, me Reuerendissimi Domini Cardinalis Tridentini gratia liberares à molestia, quam mihi minetur Episcopus Nouæ Ciuitatis ex iure Domini Card. nescio quo, super Canonatu Brixinensi. Nunq̄ non dubito, quin id pro uirili tentaueris, ac præstiteris. Tuas raras accipio literas, id' que ascribo laboribus, quibus hac quadagesima ex concionandi munere te plus solito obrutum scio. Cum autem ocium redipseris, te rogo, uelis me tuis eruditissimis & desideratissimis literis exhilarare. Tum etiã maximopere moneo, ad Episcopum Aquensem Petrum Vorstium scribas. Romæ pro certissimo fertur, Imperatorem proximo mensè in Italiam Neapolim uenturum. Item, Turcam magnam stragem à Persarum Rege accepisse, castris exutum, ita' que obsessum, ut ei nisi longus, difficilis, periculosissimus' que reditus in regna non pateat. Et quæ spes uobiscum potiundæ Hungariæ? quam ut Rex noster serenissimus atque optimus, foelicissimè obtineat, nuncupatis uotis à Deo Optimo Maximo precor. Te uerò, eximie uir, ex animi sententia faustiter uiuere, ualereq̄ opto. Romæ, uigesimo nono Martij. Anno salutis Christianæ millesimo quingentesimo tricesimo quinto.

PAVLVS VVIENERVS CANONICVS ET EC-
clesiastes Labacen. celeberrimo Theologo Friderico
Nauseæ, S. P. D.



Værentem me sapius uiam, qua opportunè in tui notitiam, uir præstantissime, peruenirem, ac meam erga te obseruantiam officiose declararem, noui subinde casus ab incepto depulerunt: dum literæ suauissimæ tuæ, & omni humanitate plenæ superuenerunt, quæ uidelicet omnem mihi scrupulum exemerunt. Nihil autem mihi gratius ijs, nihil optatius omnino esse potuit. Habeo igitur, uir doctissime, summas tibi gratias, ac deinceps habebō perpetuas, quòd, tamen in maximis quotidie & grauissimis negotijs cum summo dignitatis & nominis splendore uersaris, tamen me nullius existimationis hominem, tenui' que loco collocatum, amantissimis literis partim sponte tua, partim uerò (ut scribis) amicorum meorum hortatu, inuisere uoluisti. Ornasti me præterea opusculis sanè pulchris & elegantibus, pro quibus summa tibi habetur à me gratia. Utinam & referre liceret. Interea tamen hæc literas arrabonibus tantum loco esse uolui, quoad promissã ab amicis re ipsa declarare possim. Dominus Leonardus Mertliz Canonicus tui studiosissimus, uicissim te plurimum saluere iubet. Vale uir multis nominibus semper

per obseruandissime, meq̄ tuum totum, tibi commendatum habe. Ex Labaco, VIII mensis Februarij, Anno MDXXXVI.

GEORGIVS VICELIVS ERVDITISSIMO VI-
ro, Domino Friderico Nauseæ, S. P. D.



Harissime atque optime Friderice, uir quem ego amo maximè, si ad te literæ meæ non peruenerunt, ut uolui, nihil habeo quod excusè. Cæterum cor illud præpollet & literis redditis, et non redditis. Sic te, sic te inquam in hoc gero corde, ut si eiusmodi uelim uerborum inanium fucis eloqui, adeò nequeam, ut nihil minus. Hunc Fridericum meum amare, honorare & colere me si quis uetet, is non aliud fecerit, quam si uetet uterum uerè germane' que fratrem amare, honorare & colere. Qui prodijt Colonix libellus, tua eruditione commendatus, mihi erat uel ob hoc gratissimus, quòd planè cognorim, tuo illum iudicio antè perplacuisse, quàm daretur in publicum. Video tibi, uiro tali, amico tanto, quid debeam. Comes illustris Philippus, fortassis hanc acrem luctam, in qua non foelicissimè concutimur, fidei Christianæ, te hominem quippe Christianum, nescire non passus est. Utinam uerò tu Friderice, et tu fortissime Faber, faceretis, ut opera uestra studioq̄ Christus Rex, mansuetus & pauper olim, permotus tandem, post tot querelas, post tot uota, post tot lachrymas, post tot indignationes, post tot fremitus, post tot eiulationes iterum atque iterum, post tot imprecationes, post tot precationes, expectationes, postulationes, post deniq̄ tot obsecrationes, ecclesiam ueterem, misso spiritu paraclæto, id est suo, reedificet, reformet, repurget, restituat, ac consolidet: ita, ut aliquando uideamus unum ouile in Domino, in quem credimus, quem diligimus: cuius ego gratia, ut nemo alius, mordeor, laceror, crucior. Amor distabat plura, sed per grammatophoros Dominorum meorum plura scribere non licuit. En in tribus syllabis uniuersum, Amate. Vale. Respondebis, quæ lugentem consolentur. Eyslebj, II. Feb. Anno MDXXXVI.

PETRVS VORSTIVS EPISCOPVS AQVENSIS
Reuerendo D. Friderico Nauseæ, S. D.



Stendit mihi meus Secretarius ea, quæ tu ipsi scripsisti circa gratiam precum, per singularem humanitatem tuam à Maestate Regia pro me obtenturum: cupiens intelligere, quid de dictis precibus fieri uelim. De quo sanè non potui plurimum non admirari, propterea quòd putabam, te iam dudum omnia necessaria cognouisse per literas, à me iam plures Domino Doctore Francisco Rupilio missas. Miror igitur eas non illa, qua decuit, fide direxisse. Per illas autem te

rogabam, ut gratiam ex eiusdem insigni bonitate et erga me benevolentia coeptam, perficere, & expensas pro literarum expeditione necessarias, quia quantitatem earum nescire, mutare dignaretur. Quod te iterum enixe rogo, ut facias. Me maximo beneficii vinculo tibi devincies, ac mutuo ad omnia integerrimi amici officia paratissimum reperies. Quem divina benignitas, in plurima foelicitate conferuet. Romae, IIII Feb. Anno MDXXXVI.

IOANNES LUDOVICVS BRASSICANVS REVERENDO Domino Friderico Nauseae, S. D.



Vpio equidem scire ex te, quo pacto negotium meum Herbipoli, de precibus a Reverendis. D. Venien. & te sit coeactum. Vtrum ille Georgius Millerus acceperit, nec ne: an quid spei sit reliquum. Quocirca plurimum obtestor te, digneris omnem tuam fidem ac diligentiam interponere, ut hoc negotium primo quoque tempore conficiat. Omnes enim studiorum meorum rationes inde pendent. Bene ualeas, & me hoc nomine commendatum habeas. Sanctissimus Dominus noster edidit novum Breuiarium, opera Cardinalis S. Crucis, quod nunc Venetijs receditur. Quod si uolueris, mittam tibi prima quaque occasione: saltem mihi de hoc dicto negotio, scribas, & literas ad me Reverendissimus Dominus Viennensis mittet. Patavio, III Nonas Martias, Anno MDXXXVI.

BRASSICANVS NAVSEAE S. D.



Magna expectatione, & maiore uoluptate accepi literas tuas: quibus mihi perhumaniter significas, studium erga me tuum. quod ut mihi maxime sit gratum & fructuosum, tamen uix est, ut praepudore id agnoscere possim: cum sciam, hoc benevolentia potius tua, quam ullo merito meo accidere: & facultatum mearum probe conscius sum, ut paria me tibi facturum plane desperem. Quae enim illa tua benignitas in Brassicanum, quam grata, quam commoda? Certè nihil mihi neque gratius, neque magis necessarium hoc difficillimo tempore accidere potuisset, quam tua illa fides in negotio meo explicando. Dabo ego quidem operam, & studium impendam singulare: ut, quod nomina facultatibus lapsa facere solent, cum solido soluen do paria non sint, interim ut unciatim creditoribus aliquid numerent, dum amplioris summæ rationes rescribant. Cæterum quod ex tuis & Georgij Mulleri literis intelligo, planè gratum est: rogoque, ut hac benevolentia negotium meum conficere pergas, ne quid Brassicanus tuus detrimenti capiat. Quicquid tamen Reverendissimus D. Viennens. uoluerit, ratum & gratum habebō. Vale, Paduae Calē. April. Anno MDXXXV.

Hierony

HIERONYMVS ALEXANDER ARCHIEPISCOPUS
Scopus Brundisinus, suo Doctissimo Friderico Nauseae, S. D.



Isciuissem te in aula Serenissimi Romanorum, &c. Regis fuisse hoc proximo tempore, & scripsissem ad te saepe, & non parum tecum exoptulassem, quod nihil ad me scripseris tanto tempore, neque ulla in re opera mea uti uolueris. Nisi fortè & tu susurrone alicuius falsis calumnijs, sis à me abalienatus. Atqui non propterea te desino Pontifici commendare, usque adeo, ut sperem propediem uisurum te, commendationem meam non fuisse inanem. De quo plura, cum id quod iam plusculos dies molior, ad optatum finem perduxero. Casus mihi nuper accidit non parum quidem aduersus, sed reuera uobis omnibus doctis uiris communis, ut ex amplissimi Episcopi Viennensis epistola ad me scripta percipies. Sum enim malignitate inuidiarum linguarum, ab honoris noui accessione deturbatus. Eum tu pro uberrima illa tua facundia satis deslere posses. Vale: & literas, quas ad me scripturus es, ad manus Reverendi Domini Gabrielis Santij mittas, sed per primum quemque cursorem. E Palatio Apostolico, Romae, XX Ian. Anno MDXXXVI.

IACOBVS CARDINALIS SYMONETA REVERENDO Domino Doctore, Friderico Nauseae, S. P. D.



Non potest, nec debet cuiquam uel leuiter erudito, memoria facile excidere hominum disertorum. Deberet id priuilegium speciosae uirtuti, quae natura huiusmodi est, ut semel uisa, nulla possit obliuione deleri. Cur igitur tu, qui tanti es, quantus esse te norunt omnes apud quos tua scripta sunt, dubitas me, qui etiam uirtutis umbram sequor, potuisse tui, tam cito obliuisci? qui tantum abes, ut te non cognoscam, ut libellos tuos legens, quorum nonnulli mecum habitant, desiderem aliquam mihi copiam fieri, per quam ualeam de te, deque tui similibus benemereri. Sed modò quid agam? Tenues meae fortunae sunt, facultas exigua. Quod tibi praestare possim, praeter egregiam uoluntatem, nihil uideo: quam tua tuorum que causa paratam semper fore, obsecro ne dubites. Verum enim uero literis tuis unde quaque mihi gratissimis, uideris uelle per me summo Pontifici commendari. Quod magnopere à me fiet, & peramanter. Est enim incredibilis suae pietatis clementia: uenatur undecunque praestantes uirtute, nec lassatur liberalitate. Ita tamen interdum magnis urgetur negotijs, ut cogatur uel inuitus ab his diuersa cogitare. Quam obrem non ualde mireris, tui non habitam esse rationem, his iam elapsa occasione: Sed potius sis forti animo, & speres meliora. Si quid enim intercessione studioque meo assequi poteris, certior factus,

AD D. FRIDERICVM NAUSEAM

factus, cum opus fuerit, id promitto libenter, præstaboq; peregre-
 giè, cum ob ueterem amicitiam, tum ob eminentem doctrinam tu-
 am, tum ut præclarissimo Regi FERDINANDO rem gratam faci-
 am: Cui seruire uolo & opto, si possum. Eius enim Regias uirtutes
 tanti æstimo, quanti debeo. Sed in eo illud in primis admiror, quod
 in consilio sibi esse uult excellentes uiros, quos uelut alter Isocratis
 Nicocles, suis alijs summis potestatibus anteponebat. E quorum tu u-
 nus numero es, & quidem præcipuus: quam que merito, declarât
 tua tum multa luculenter excogitata, tum recens Monodia, iurè ei-
 dent FERDINANDO, pio ingeniorũ altori nuncupata. In qua ma-
 gnũ illũ ERASMVVM deploras ac defles, cum potius sit Gratiarũ can-
 tibus honestandus: quando nihil atræ morti reliquit, præter ossa, cu-
 temq;. Non mirum, si autoritatem, gratiam, copias, opesq; tuas ad
 amici memoriam celebrandam defers. Certè ipse etiam, audita eius
 de terris demigratione, communem iacturam illam existimauit. Sed
 ô fortunatum Erasmmum, si suis uigilijs & laboribus: beatum etiam
 tuo amore, tua Monodia, quæ tota ardet, tota dolet, tota fert in di-
 uini uiri sepulturam. At eadem se mox cõuertit, & apologetico pul-
 lata fungitur munere. Quid quæris: multum debent Bataui tuæ scri-
 ptioni, & depositi incunabula recensenti, et illos Sabinis ueteribus
 que comparanti. Cur non mirum in modum debeant? Laus enim
 ea demum uera est, ut asserit Neuianus Hector, quæ a laudato uiro
 proficiscitur. Cæterum ut aliquando finiam, quem mihi tantopere
 commendasti, multifariam doctum, uidi lubentissimè: & si res po-
 scet, habebit me quem desideras. Ago uerò & habeo diligentia tuæ
 innumeras gratias, pro misso libello, quem materia dignũ duco, &
 in quo amorem, iudicium, uoluntatem, prudentiam, literas tuas plu-
 rimi certè facio. Quamuis uelim eas in excolèdo campo elaborare,
 unde possint aliquã frugem in horreum reportare. Tu foelicissimè
 ualeas. Romæ, XIII Calend. Decemb. Anno MDXXXVI.

IACOBVS CARDINALIS SADOLETVS DOCTISS.

uero Friderico Nauseæ, S. P. D.



Vm propter diuturnam absentiam meam ab hac urbe
 minus mihi noti essent docti ac insignes uiri, qui in Ger-
 manica ista natione florent, atque ego nuper Romam
 euocatus à summo Pontifice, præter omnem etiam ex-
 pectationem meam in hunc ordinem S. R. E. Cardinalium adsci-
 tus essem, accepi tuas literas plenissimas amoris, humanitatis, offi-
 cij, quarum lectione mirificè sum delectatus. Erant enim & piæ, &
 eleganter scriptæ. Consului Antistitem Brundisinum, hominem
 (ut tute nosti) summi iudicij, optimi animi, excellentisq; doctrina: at
 que cum de te accurate percoctatus sum, qui mihi ea de te narrauit,
 tuasq;

tuasq; egregias uirtutes tot apud me laudibus prosequutus est, ut
 non solum tibi rescribere, ad me antè scribenti, sed gratias etiam a-
 gere, quod prior ad me scripseris, debere me confitear. Quid enim
 mihi optatius, quàm adipisci bonorum beneuolentiã, uel ipsorũ hu-
 manitate, uel meis studijs ac officijs, erga illos cõciliatã mihi, atq; par-
 tam: Quod quoniã mihi in te, atq; adeo per te contigit, nõ enim ulla
 merita antecesserant erga te mea: crede mihi, mi Nausea, nõ medio-
 criter ad te amandũ sum accensus. Facit enim apud me hoc uirtus, ut
 quod in cæteris usus & longa efficit consuetudo, ea repente me ad
 eos, in quibus ipsa inest, diligendos alliciat. Atq; ego, qui in suscipien-
 da bonorum amicitia promptus & facilis esse soleo, idem in tuenda
 sum constantissimus. Quare sic tibi esse persuasum uolo, omnia offi-
 cia, quæ ab amico uetere, & multis in rebus probato, iurè expectari
 possunt, tibi & esse à me, & fore semper parata. Quæ admodum re-
 ipsa, si usus uenerit, cognosces. De Concilio quod quæris, Ponti-
 fex stat in sententia. Et quanquam permulta sunt, quæ nos hic reti-
 neant, in primisq; discordiæ nostrorum Principum, atq; eius peri-
 culi suspicio, quod à Turcis grauius impendit, quodq; omnia itine-
 ra omnibus penè in locis infecta sunt: ut qui conueniant ad Concilij
 diem, futuri non sint, præter admodum paucos, sicut & uobis Ger-
 manis patère, ac perspicuum esse non dubitamus: tamen & de pro-
 fectione Pontifex loquitur, & iam ad iter aliqua parare incipit: nõs
 que sumus moniti, ut expediti ad tempus esse debeamus. Itaq; puto
 fore, ut transacto tempore Ieiunij, hinc proficiscamur: utinam, mi
 Nausea, auspicijs bonis, hoc est, fauente bonis cogitationibus Deo.
 Quanquam ille quidem semper ijs fauet: sed tamè multa mihi ueni-
 unt in mentem, quæ tibi item uenire certò scio. Quamobrem de to-
 to exitu rerum timendum mihi potius, quàm sperandum esse uide-
 tur. Etenim partim mores hominum, partim etiam maiorum opi-
 niones ita corruptæ sunt, ut medicinam nullam salutarè inueniam:
 præsertim exasperatis animis, & aduersus uerum contumacibus.
 Quod tu malum, quod istic es, & ab errorum fontibus prorsus ab-
 es, facilius potes & sentire, & noscere. In quo tua quidem præstans
 & eximia laus elucet, quod uir doctissimus, atq; idem Concionator
 eloquentissimus, recta semper firmaq; tenuisti summi Dei, & San-
 ctæ ac Catholice religionis uexilla. Quo etiam nomine ego tibi plu-
 rimum debeo. Habes de Concilio sententiam meam. Quod si tu mi-
 hi scripseris, qui sint habitus animorum apud uos, & quid istic a-
 gant, qui nouitates & dissidia in fide Catholica quærunt, & sint nõ
 ad modestiam & æquitatem parati animi, nec ne, cum nos certè æ-
 qui & faciles ad indulgendum & obsequendum, quo ad recta ratio
 præscribit, futuri simus: dabis mihi materiam sæpius ad te scriben-
 di, quod quidem & libenter & studiose faciam, tecumq; hæc societa-
 tem lubētissimè inibo, ut ambo et coniunctè, & pro sua parte uter-
 Y. que.

que huic tanto incendio, quantum nobis datum fuerit, subuenire studeamus. Sed iam de his satis. Tua mei honoris gratulatio, gratissima mihi est, proficitur enim ab optimo animo, & studiosa mei uoluntate, quam ego potiore ipso honore duco. Nam honor fæ penumero datâ Fortuna temerè. Talia aut studia talium uirorum, qualis tu es, assequi, solius uirtutis est: cuius ego fructum ceteris rebus omnibus, antepono. Vale. Romæ, VIII Cal. Mar. Anno MDXXXVII.

IACOBVS CARDINALIS SYMONETA REVERENDO Friderico Nauseæ, S. P. D.



Go uero, amicissime Nausea, omnibus literis tuis, ut eas cupide legi, sic officiose respondi. Magna afficio ad miratione, mearum ad te nihil peruenisse Epistolarum, quæ sanè longæ & uerbosiores fuere. Soleo enim scribere tibus facile quiduis rescribere: piaculum quæ esse duco, si uel alienis hoc in genere non satisfaciam: nedum tibi, cuius amor, uoluntas, mirum nescio quid habet suauitatis. Ea enim commemoratio necessitudinis & beneuolentiæ eius quam erga me ab Clementis usque tempore contulisti, cætera que quæ ad hanc sententiam pertinent, magnam mihi læticiam attulerunt. Quod si facultas mihi quidam optabilis tui ornandi esset, non committerem, ut uillum factum meum in rebus tuis reprehendere iure posses. Quare tibi persuade, si quid consilio entis, labore ac diligentia tractare possum, hoc tuum semper futurum. Si uirtus ac eruditio tua nauigat hæctenus uento non secundo, temporum culpæ potius, quam ullis alijs causis censeo tribuendum. Ipse quidem Paulus Clementissimus Pontifex, uix in triennii limine est. Qui etsi ea est maximè uoluntate præditus, ut uelit omnes amplexari, fo uere omnes, curi gerere omnium, qui tamè potest in tam angustio tempore: Longior sit Pontificatus oportet, quod Deus faxit. Non dubito enim, uelle eum quandoque tibi consulere. Contendit eò cursu citato Sanctitas ipsius, ut de pijs Musis & sancta Minerva quam optime mereatur. Quod ad Concilium spectat, scito illum idem, quod pridem Clementi, alijsque Pontificibus semper consuluerit, nunc tandem cum diuina gratia rerum summam tenet, facere: hoc est, concilium perficere conniti. Misit idcirco per Christianam reipublicam Nuncios, uiros insignes, qui Reges, prouincias, populos, ciuitates cierent & commonefacerent, aggrauatam esse manum Domini super populum suum, & traditam esse flagellis Christianam superbiam. Sua cuique horum assignata prouincia est. PETRO VORSTIO, uiro optimo, fratri que meo charissimo, Germania obtigit. Videre eum credo potuisti. Dixit item sanctissimus Dominus noster, nihil in potestate sua esse, quod in tam sanctum opus profundere recuset: nullas sibi graues fore expensas, nullos molestos nimirum labores. Post sanctum itaque Pascha Bononiam cogitat, ut proximior fiat Concilio. Maio uero mense Mantuæ erit: uel

Vel prius etiam incipiet celebrari conuentus, eo die, quo terrarum orbem uis spiritus sancti diuina repleuit. Quod si forte non coierint tunc uires & corda Christianorum, nec esset ualde frequens confessus, incertum est, si incepta intermittentur usque ad Calendas Octobris. Et hæc quidem habui, quæ de hac ad te ratione perscriberem. Tu uero sic habeto, nihil à te fieri posse præstantius, quam ut tota mente, pietateque omni, etiam mentis impetu in Sanctam Ecclesiam incumbas. Quid tibi maiori gloriæ & usui possit esse, non uideo. Vale foeliciter. Romæ, die Ieiuniorum V I I. Anno MDXXXVII.

GEORGIVS VICELIVS CLARISSIMO VIRO D. Doctori Friderico Nauseæ, S. P. D.



Larissime uir, & idem Domine colendissime, in ista miseria leuamen & solatium mihi profecto non mediocre est, quoties mecum recogito, Christianum Episcopum, Reuerendissimum Dominum Ioannem Fabrum, & te, mihi, meaque infimæ humilitati non solum bene, sed etiam optime uelle. Quod amicorum par in meo pectore uiuit, ualet, uiget. Utinam talibus dignus sim amicis. Respondi Episcopo ante complures menses: nunc quando urgebat tabellio, passus sum eam epistolam à puero notario describi, ne uiderer ingratus, aut cerè ignauus. Domino Gaudentio, ubi licebit, respondebo: homini, quod suis ad me literis liquet, rectæ pietatis studioso. Locum, quem notat in Catechismo, serio perpendam. Non ero ullo pacto in ullam scripturam iniurius. Te optime Friderice frater, utinam possim magis demereri mihi: te inquam, quo uix alius erga meam calamitatem clementior extitit. Expectamus Synodum, & hanc Christianam, Romanorum Regi FERDINANDO inuictis. Principi, Christianæ religionis ac eruditionis patrono fauentissimo, precor omnia saluberima. Scribere multa, nisi mihi hic apud operas typographicas esset inuigilandum publico commodo. Habeo gratiam Reuerentis, D. Episcopo, pro missis ac donatis libris. Vir potens est in scribendo, & sectator præcæ Theologiæ, sicuti tu quoque. O Christe, da plures tales. pereat quicquid est futile, Deo & hominibus inuisum. Vale, me ama, quod facis. Lypsiæ, IIII post Oculi, Anno MDXXXVII.

IOANNES COCHLAEVS, EXIMIO VIRO Friderico Nauseæ, S. P. D.



Vcunda mihi perpetuo erit memoria beneuolentiæ tuæ, mihi Pragæ nuper exhibitæ. Apologiam tuam Homiliaticam in uia perlegere non potui, tum propter horas Canonicas multo prolixissimas, tum propter asperitatem uenti. Domi, licet grauedine capitis et raucedine detentus, per-

legi semel. Quæ tam pia atq; ædificatoria mihi uidet, ut singularem aureolam (uti uocant Theologi) tibi pro ea repositâ crediderim in cœlo. Bene uale, uir integerrime, ac patrone, meamq; paruitatem cõmenda Regiæ Maiestati, & Cardinali Tridentino, tum etiã Domino Viennensi, &c. Misit, xx Martij, Anno Domini MDXXXVII.

IOANNES HASENBERGIVS DECANVS LITOME-
ricensis, eminentiss. uiro Friderico Nausea, S. P. D.



In signis theologus, Doctor Ioannes Cochlaus, clarissime & eloquentissime uir, patrone optime maxime, bene manè se hinc in uiam daturus, iniunxit mihi, ut te suo nomine salutarem quàm officiosissimè: deinde mone-rem, ut reuerendissimo Episcopo Viennensi, omnium piorũ & studioforũ Mœcenati amplissimo, persuaderes, ne tã liberaliter quous uis promoueat. quoniam Lutheranorum colubri se mirabili metamorphosi in columbos & angelos lucis transforment. Perfacile potes animaduertere, quorsum hæc dicatur. Ridebam hoc mecum in literis Georgij Vuicelij, & iam rem non perinde uanam esse comperio. Quæso, cum occasione iam quasi à frõte arrepta, plurima bona in aula tantĩ Regis, præsertim ne Lutherana factio inualeat, efficere possis, facias sedulò. Sed currenti calcar addo. Reuerendus pater uicarius, Iodocus Rausch, heri mihi scripsit, D. Viennens. ad diẽ proximum Mercurij Pragam aduolaturum. Quod ut auspiciũ fiat, in pijs uotis habebõ. Negotium autem meum identidem tibi cõmendo. Neminem enim hominum habeo, cui plus tribuam & credam, quàm tibi. Si uicissim gratus esse potero, nihil unquã, dum uixero, prætermittã. Timeo certè, ne si infortunatè Iouis taxilli cadant, aliquo graui Phalarismo ego accipiar. Sed ualeas, opt. Nausea: Ioan nemq; Hasenbergiũ, non aliter q̃ tuũ mancipiũ aestimes. Lithomericij, ex Prepositura, postridie Letare, Anno Domini MDXXXVII.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS D.
Friderico Nausea, S. P. D.



Quod Nausea mi, tanta animi propensione, tãtoq; desiderio uidere cupis ea, quæ nuper pro sacerdotio nouæ legis, dein pro rebus alijs fortè non contemnendis in publicum, pro publico cõmodo edere cæperamus: est qd in te plurimũ suspiciã atq; demirer: qui sciã, è præoptuario studio rũ tuorũ, te lõgè præstantiora nobis dare posse: nec tibi hac in parte gratificari ualemus. Quippe etsi L. folia nunc essent excusã, tamẽ exemplaria omnia leuauimus ex officina, ut ea Vulcano traderemus. Proin si eorundem fauillam ac cinerem habere uelis, rescribe. Mitã ad te posthac duerniones aliquos, ut uideas in quo genere discipulationis uersati fuerimus. Primum duernionem edere noluit: citò enim mutauit sententiam. Reliqua pro sacerdotio nouæ legis, pro que Missæ sacrificiõ, ac tandem pro sacramento Eucharistiæ, fortè non usq; adeo contemnenda fuissent, & procul dubio potuissent

sent

sent prodesse nõ parũ. In his enim pro Religione orthodoxa totas uires intendi. Nunc ad XL duas Mansiones filiorum Israel, dein ad scalam Iacob Patriarchæ, stitũ & omnẽ laborẽ cõuert. Cõplura tri duo cũ Helia Thesbite ascendent in altũ curru igneo. Vale, & Reuerendis. Domino Petro Paulo Vergerio, Nũcio Apostolico, nostrũ utriusq; patrono optimo, omnia bona meo nomine precare. Datum Viennæ, XIX Iunij, Anno à nato Iesu MDXXXVII.

IOANNES BVESSO HISPANVS, RO. REGIS, ETC. E-
leemosynarius, D. Friderico Nausea S. P. D.



Reuerende ac excellentiss. Domine doctor, quod indies summo cũ desiderio te expectauimus, credebamus in causa esse aduersam tui corporis ualitudinẽ. Sed intelleximus te satis mediocriter ualere, prædicare q; aliquando. Quare sereniss. Rex, Dominus noster clemētiss. iussit, ut tibi priuatim scriberẽ, quo, quantocyus fieri possit, tu uenias ad Maiestatẽ suã Regiã. Credebat sanè ipsa, te uenturũ ad solẽnes Marianæ Purificationis ferias: sed uidēs te nõ esse presentẽ, mœstè quodãmodo sciscitabat ex me, nũ quicq; mihi de aduẽtu tuo cõstaret? Respondi inquã, planè nihil, sed de eo fortassis scire Reuerendiss. Dominũ Viennens. Quẽ propterea Maiestas sua ad se uocauit, ac me presente eũdem Viennens. interrogauit, an certũ quicquã de reuersione tua cõpertum haberet. Qui respondens adfirmauit, te ad septuagezimã Dominicam dubio procul præstò fore. Hæc scripsi iussu Serenissimi Regis, magnopere rogans, quatenus eius uoluntati tempore primo satisfacere studeas. Dictu enim mirum est, quàm clementi sit erga te affectu. Bene ualeas, meq; commendatũ habeas. Ex Insprugk, Decimasept. Februarij, Anno salutis nostræ MDXXXVI. BERNHARDVS, ETC. S. R. E. CARD. ET EPISCOPVS TRIDENTINVS, &c. D. Friderico Nausea Theologiae ac LL. Doctõri S. P. D.



Venerabilis, egregie, nobis sincerè dilecte, tuas penultimo præteriti datas legimus, placuit q; nobis ex illis intellexisse, te cum max. omnium satisfactione uerbo Dei insudare: quod ut diutius exequeris, nostrũ esset te hortari, nisi sponte tua te ad id multum accensum esse perspiceremus. quò sit, ut nec studium nec opera nostra tibi in ullo defutura sint, id que facilius desiderio nostro corresponderet, si uires bonam uoluntatem nostrã æquare possent. Bene uale. Romæ, VIII. Ap. An. MDXXXVI. VVOLF GANGVS VOLANDVS REVERENDO AC CE-
leberrimo uiro Domino Friderico Nausea, S. D.



Reuerende ac præstantissime Domine, quos præteritis diebus dono dedisti libellos, opus que Sermonum tuorum quod in præsentiarum mihi misisti, gratissimò ac cepi animo, & ob id summas ago tibi gratias: & si opis meæ fuerit referre enixius etiam studebo. Et quia Regi-
nalem Maiestatem omni tibi gratia inclinatum esse cognoui,

Y 3 non

non dubites, quin sua Maieftas iftorum, quos fubijfti ex fuæ Maieftatis commiffione, laborum, & non uulgarium tuorum erga rempub. Chriftianam meritorum, gratiofe recordabitur, quod ut ante abutum tuum exequutus fuiffet, omnē operam adhibuiffem, fi fuæ Maieftatis aduerfa illa ualetudo idipfum nō impediffet. Sed tu tibi de gratia & fauore fuæ Reginalis Maieft. firmiter perfuadeas, quod eam meritorū tuorum non immemorem fenties. Præterea ut tibi tale meritorū debitū exequatur, me diligētiffimum monitorē offero: Tibiçq; aut mittendum, aut ad manus Domini Ioannis, de quo mihi fcribis, aut ad reditum tuum retinendū fummoperē curabo. Quem admodū etiam Reginali Capellano Domino Leonardo, ut tibi id fignificaret, expoſui. Quapropter cum Maieft. ſua Reginalis cōualuerit, quod ut propediē fiat, Deus opt. max. faxit, ſupplicabo fuæ Maieft. ut te, quemadmodū mihi pollicita eſt, expediat. Tu ante diſceſſum tuū poteris me certiorē reddere, cui poſt abitū tuum, id quod Maieft. ſua ordinabit, cuſtodienđū cōmittere, aut ſi illud tibi mittere debeā. Valeas ſemper foeliciffime, meçq; cōmendatū habeas. Cui omnē foelicitatem, ad ſuā profectiōem & fauiffis. reditū, perpetua cū incolumitate exopto. Datū xv Maij, Anno MDXXXVI.

BERNHARDVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.
Card. & Episcopus Tridentinus, &c. Venerabili, egregio, nobis ſyn-
cere dilecto, Friderico Nauſeæ, Sacræ Theologiæ ac
LL. Doctori S. P. D.



Venerabilis, egregie, nobis ſincere dilecte: Credebamus equidē, nos tam opportunē iſtic affuturos, ut deſiderio, quod literis xvii Maij datis nobis ſignificasti, ſatiſface-
remus. Verūm id uetuit indiſpoſitio noſtra, quæ nobis in præſentia adeo aduerſari uideē, ut conſulto hætenus hic permã-
ferimus. Non deerimus tamen ob hoc, quin te, cum in curia erimus (quandocunq; id fiat) apud Maieft. Regiã cōmendatum habituri ſi-
mus, ut conſtet, ſtadium ac operam noſtram tibi (cui ob doctrinam & indefeſſos labores tuos in uinea Domini, multis modis teneri fa-
temur) nullo unquam tempore defuturam. Idçq; copia oblata, re ipſa experieris. Bene uale, Tridenti. xxi Maij, Anno MDXXXVI.

PAVLVS AB OBERSTAIN, PRAEPOSITVS VIEN-
nen. &c. Reuerendo & clariffimo uiro D. Friderico Nauſeæ, Sacræ Theo-
logiæ & LL. Doctori eminentiſſi. S. P. D.



Reuerende Domine, & frater mi obſernand. Salutem & cōmendationē, &c. Scripſi aliàs, me hætenus nullas à te recepiffie literas: ſollicitauī que propterea diligentius, ut mihi perſcriberes, ſi quid rerū mearū abſoluiffes, & præcipue apud D. Clementē Reuerendiſſ. Legati Apoſtolicī ſcribam. Nō autē uideo te admonitiōib. meis adhuc locū aliquē reliquiſſe, etiã ſi hoc per Magnificū D. REYMUNDVM à Dornberg, Regium conſilia-

conſiliariū, ſollicitauerim, quē plurib. adegi in quibuſdam literis ad huc ante aliquot mēſes ad illū datis, quo pacto ipſe rerū mearū omnīū diligens ſollicitator apud te eſſe deberet. Sed ſicut à te, ſic etiã ab illo, nullū uſq; in hunc diē reſponſum obtinere potui. Quapropter te obnixè oro, ne graueris, me nūc saltē de omnib. certiorē reddere, et te laboris pro me ſubeūdi nunq; poenitebit. Assignauit mihi Paulus Stroferius bibliopola Viennē. res illas meas, quas tu mihi ex Magun. afferri curasti: aliàs nihil. Quod hæc de cauſa ſubiūgo, quia exiſtimo me ex ore tuo intellexiſſe, illū mihi assignaturū, una cum e-
iſdē reb. meis, etiã quēdā alia rerū tuarū: quod tamē nō fecit. Volui idcirco tibi non ignotū eſſe, ne credas me tam ruſticū, quod, ſi quid mihi uel ſcripſiſſes, uel miſiſſes, quin tibi, quemadmodū deceat, de omnibus reſpondiſſem. Te undecunq; bene ualere opto, ex Poſo-
nio, die ix Iulij, Anno MDXXXVII.

MELCHIOR NOVESIANVS CLARISS. VIRO FRIDE-
rico Nauſeæ, Theologiæ & LL. Doctori eximio, &c.



Itere tuę, uir ornatiſſ. tãto mihi gratiores fuere, quo magis præter ſpē meritūçq; meū mihi accidit, ut tu uel breui me epistoſio dignareris, nedū literis tãta humanitate, tã-
tãq; erga hunc hominē beneuolentiã referriſ. Et quod ſcribis me tibi rem feciſſe non ingratã, qui libellū à te profectum, uel ob tuã ſolius cōmendationem excudendū lubens ſuſceperim: equi-
dē gaudeo uehemēter, inciſiſſe tandē qualiſcunq; officioli occaſio-
nē, quod tantū mihi uiri gratiã amicitiaçq; conciliaret. Simulçq; oro çq; poſſum humillimē, ut illã adeo gratuitã erga me nihil tale promeri-
tū beneuolentiã, perpetuã eſſe uelis. Ego uiciffim, quicquid ad amicitie rationē pertinebit, idemçq; fuerit uirū mearū, omnib. modis o-
perã dabo, ut çq; fideliffimē præſtem: atq; adeo talē me tibi pro uiriſſi mea exhibere conabor, q nec ingratus ſit, nec tãti uiri amicitia pro-
fus indignus. Porro, qd ad libelli cenſurã attinet, tuã ut tuto, ita libē-
ter ſequimur autoritatē: nihil dubitantes, quin prælo noſtro, ac om-
niū lectiōne digniffimus ſit, quē tu tuã cōmendatione dignū duxe-
riſ. Reliquū eſt igiſ, ut & tua præfatione lectori commendatiõis fa-
ctus, & noſtris typis non minus emendatē, çq; eleganter deſcriptus, propediē in lucē prodeat. Titulū opuſculi, quē præfationis cauſa re-
quiris, autor ipſe hiſce breuiuſculis uerbis expreſſit. DIVORVM ue-
teris teſtamenti Hypodeigmata, &c. Bene uale Colonia, ex ædibus noſtris. viii die Iulij, Anno Domini MDXXXVII.

MELCHIOR NOVESIANVS EXIMIO THEOLOGIAE
ac LL. Doctori, D. Friderico Nauſeæ, S. P. D.



Meſce iam alteras à te accepi literas, uir eximie, quas uix credas, quãto cū gaudio perlegerim: eo çq; in hiſ itidem, ut in ſuperiorib. illis, non uulgarem tuum erga me amo-
rem declares. Quid enim gratius, quid magis optãdum mihi,

mihī, talis tantiq; uiri gratia & amicitia? qui cum res meas omnes, tum typographicas, singulari sua eruditione iuuare, ornareq; & uelit, & possit: Et cum exhibitio operis (ut ille inquit) probatio sit dilectionis: pulchrè nimirū quadrat, est que tam tuæ grauitati decorū, quàm mihi gratum, quod eisdem hisce literis, quibus amorem testaris, amoris argumentum addidisti, doctissimā illam in Georgij Vicelij ἀγιολόγιου Præfationem, sic ad unguem prorsus elaboratā, ut non dubitemus, quin & libello ipsi plurimum gratiæ ac ornamentī, & nobis etiā nōnihil quod πρὸς τὰ ἀλφειττα attinet, sit allatura. Nec opus habet, meo quidē iudiciolo, licet tua tu pro modestia nō recuses, uel quoq; Aristarcho, nedū nobis, nullo uel ingenio uel eruditione præditis: multo minus ea temeritate, ut tale qd nobis sumamus, quod præstare nō possumus. Alterū autē, quod in mādatis mihi dedisti, ut Vicelij librū unā cum præfatione tua maturè & emendatè excudā, id mearū partiū esse libenter agnosco: nec nō, adiuuantib; superis, uiriū quoq; satis futurū spero. Sic bona fide tibi promitto, ac etiam ne dubita, fideliter præstabo. Et quo minus iam dudū præstitū sit, superiorib; quidē diebus, per tuam illam Præfationem, dum illam expectarem, interim hisce aliquot per nimiam præli nostri occupationem stetit. Nunc autem & illius facta nobis copia, & huius aliqua parte uacante, nihil reliquum est impedimenti, Aggrediemur igitur bonis (quod aiunt) auibus. Imō iam aggressi sumus (argumento est id, quod ad te mittimus, folium) excudendi laborem: quo absoluto, quod sub nundinas Frankofordinas, Christo auxiliante, futurum non dubitamus, ipsi istuc ad te ueniamus, uel Chilia des aliquot exemplariū nobiscum allaturi. Interim bene uale, uir eximie, Theologorū singulare decus & ornāmētum. Coloniae, ex officina nostra typographica, VIII Aug. An. Domini MDXXXVII.

LAURENTIUS CARD. CAMPEGIUS, ETC. Reuerendo, familiari suo charissimo, D. Friderico Nausea LL. Doctori, ecclesiae Mag. Concionatori, &c. S. P. D.



Harissime Nausea, salue. Tuas VI die Maij Magontiae datas, elapsis aliquot diebus accepimus literas: quibus, ternis tuis prioribus conquereraris, per nos minus esse responsum. Tardiusculam uero respōsionem nostram, tum dolores crurium, quibus antea cruciabamur, nunc autem sanitati pristinae restituti: tum etiam ingruentia plurima negotia, excubant. Quanquam etiā meminimus, eisdē tuis literis uel binis statim respōdisse, licet fortè nostræ tardius ad te peruenerint. De quarum tamen præsentatione, scripta Reuerendi Domini Eberhardi Schiesseri Decani nos certiores reddiderūt. Quæ uero de Lutheranis scripseras, nō sine animi dolore intelleximus: quanquam in perscribendis ad nos de singulis, tuam diligentiam & integritatem per maxime laudemus: sperantes, Deum ipsum a nefandæ sectæ fautori-

fautoribus condignas pœnas sumpturum. Demum tuā & pro nostra fidei religione, & bene institutis primæuis ritibus conseruandis, flagrantem operam, nec non crebras tuas ad populum, easdem que pientissimas declamationes, aliorum quoq; testimonio & prædicatione collaudatas, non possumus satis etiam ipsi collaudare. & extollere: hortantes te, ut pro tibi innata pietate, uirtutum que ac scientiarum tuarum integritate, ita progredi uelis. Speramus enim inde ultra diuinam remunerationem, non nihil etiam commodi ab hominibus tibi accessurum, Et quod ad nos attinet, non cessabimus totis uiribus S. D. N. (qui nihil omittit, quod pro fidei Christianæ incremento ac tranquillitate conseruanda, & deniq; pace adipsenda, necessarium atq; utile erit) strenuam tuam operā exponere, & eius sanctitati personam tuam non uulgariter commēdare. Tibi que persuadeas, apud eandem Sanctitatem, & Reuerendum Dominum Datarium, nos aliquando tui memores esse, ut dignior aliqua prouiso, de quouis pinguiori beneficio tibi fiat, ut possit melius tuis necessitatibus subueniri: speramusq; propediem eam dari occasionem, quo citius hæc fiant. Quod reliquum est, libellum per Lutheranos maliciose editū recepimus, expectātes tua, ut ais, cōpēdia contra schismaticos edita. Ex disputatione uero contra Zuinglium, nihil nisi omnia pro fide bene succedere posse speramus. Item de nostra istic excogitata in Galliam legatione, nihil aliud respondere poterimus, quàm, quod ne quidem proposita, nec affecta ra fuerit. Quod uero ad negotium Dominorum Theutonicorū attinet, tuam desuper commendationem accepimus: nec dubitamus, quin scias, iam dudum nos affectione non parua causam illam S. D. N. commendasse: & uti ultimis quoq; literis significauimus, modo huic negotio diligens sollicitator (qui nos aliquando admoheat, & quid facto opus sit recenscat) non defuerit, operam atq; commendationem, & deniq; autoritatem, nostras non defuturas scito: quibus tam in re ista, quàm alijs, pro tua erga nos sinceritate uti poteris. Bene uale, Romæ, xxvii Iulij, Anno MDXXXVI.

AMBROSIVS DE RECALCATHIS, SVMMI PONT. Secretarius, Reuerendo Domino Friderico Nausea, &c. S. D.



Reuerende Domine, accepi literas tuas Maguntiae Calend. Iulij datas, quæ mihi admodum gratæ fuerunt. Ex ijs enim maximum animi tui affectum erga sanctissimum D. N. planè perspexi. Munus tibi dum hic esses promissum, scilicet auream imaginem S. Iug. his literis inclusam, sed non omnino similem S. D. per Quirinum mitto. est enim facies suæ S. multo magis uenusta & decora. Sed ne te deceptum esse putares, ut cuncq; est, libenter dono datur. De sacerdotio autem nihil opus erat me literis sollicitari, ne immemor essem, Summus enim Pontifex ipse

fax ipse tibi prouideri statuerat, de primo beneficio in Germania uacato: prout iam omnino faciet, de aliquo illorum beneficiorum, quæ his proximis diebus uacant, & uacant, per obitum Ioannis Vincleri, antiqui Curialis, qui plura in ipsa Germania sacerdotia obtinuit, dum uiueret. Vale, & pro uirili (ut semper fecisti, & facis) stude de tota republica Christiana & Orthodoxa fide benemereri, & me ama. Romæ, IIII Kalend. Augusti, Anno MDXXXVI.

FRANCISCVS RVPILIVS, ETC. REVERENDO
atq; Doctissimo uiro, D. Friderico Nauseæ, LL. Imperialium ac
sacrae Theologiae Doctore consultiissimo,
S. P. D.



Quum mihi rursus idoneus nuncius contigisset, per quem ad te literas destinarem, adij Dominum Ambrosium, S. D. N. Secretarium, qui respondit, se iam tibi per Oratorem Imperatoris respondisse. atq; hoc est, quod in praesentiarum, Reuerende ac clarissime uir, te latere noluit: si quid interrim erit, quod tua causa facere possim, eius me admonet: & quod iusserim, curabo sedulo. Nuper per Dominum Ludouicum Henonem, qui Maguntiam abibat, de his quæ tua interesse putaræ, plura scripsi. Nunc aliud ad scribendum non occurrit, quàm, quod tibi semper cupio quàm commendatissimus esse. Romæ nunc noui nihil dicitur. Sumus omnes attentissimi ad nuncium, quo nobis Imperatoris ad Italiam appulsus nuncietur, hoc enim certissimè expectamus. Deus clementissimus te saluum, incolumem, & florentem quàm longissime seruet. Romæ, ex ædibus domini Martini Lupi, Anno Domini MDXXXVI. postridie Pentecostes.

LAURENTIVS CARDINALIS CAMPEGIVS, ETC.
Reuerendo Domino Friderico Nauseæ, uti fratri nostro
charissimo, S.



Reuerende, uti frater charissime: quæ de rebus Germaniæ meliorem faciem induentibus, de pace apud uos uigilante, ac de summa læticia nuncias, pergrata habuimus. Quod meam operam officiumq; ubi rei publicæ Christianiæ, communisq; omnium salutis cõsuli possit, præstari quàm diligentissimè postulas, id profectò me facturum polliceor. Tu item frater, qui propius Ecclesiæ uulnera inspicere, eademq; diligenter cognoscere potes, ne desine ingenij tui uires, (quod & pulcherrimè hactenus, tum fidelissimè fecisti, & facis) Christo impendere. nullum etenim, quod te magis ornent, amplificentq; beneficiū tibi parare potes. Ego etiam, si tui honestandi aliqua hic se facultas offeret, meritorum tuorum apud nos memoriam labi minimè sum passurus. Vale. Romæ, XII Cal. Decemb. Anno MDXXXVI.

PETRVS

PETRVS CRABBE A MAGLINA MINORITA, ETC.
Præstantissimo I. V. Consulto, Domino Friderico Nauseæ, sacrae
Theologiae Professori eximio, &c.



Domine Reuerende, ac magister noster, cuius mihi noticia cum ex libris tuis in Minoritarū Magliniana repositis, tum ex collatione dudum cum ministro tuo in Colonia contracta accreuit: Præcepto, aut (ut magis proprie loquar) pio uoto obtemperare uolens, prohibi uiri, cuius Coloniensis Petri Quentellij typographi, in cuius ædibus pro hoc tempore ego pauper & modicus Minorita maneo, praesentes libri Conciliorum iam tertio impressorum absq; quacuncq; nec certè syllabæ unius restitutione, mendas (ni fallor) aliquas, licet sint duplo plures, ne tamen tu nimium graueris, selectas mittere curauim: potissimè, quod idem probatissimus uir Petrus, in acumen ingenij, intellectus claritudinem, doctrinæ quoq; & sciētiae tuæ abyssum, totam (ut par est) spei suæ anchoram fixerit: id firmius tenens, quod si quid correctionis, castigationis, restitutionisq; fieri in his debeat, per alium neminem (quanquam plures iam desuper pulsati sint) quàm per te exequi poterit. Sunt hæc mendæ desumptæ ex Conciliorum imprimendorum parte priori. In parte autem posteriori, nisi Domino displicuerit, tibi, tempore opportuno, de simili castigatione sollicitanda curabimus: si tamen (quod Deus optimus auertat) necesse fuerit. Præterea, si quid Conciliorum, sicuti præfatus Dominus Petrus nuper significauit, maxime tamen Nicenū secundum, Constantinopolitanum septimum & octauum, quæ certè in Constantiensi & Basiliensi Concilijs citantur, unà cum Concilijs Lateranensibus, Viennensibus, & Lugdunensibus, sollicitari possit, existimo non modicum fructum atq; utilitatem in Ecclesia generari. Sed & Concilium Nicenū græcè simul cum latinis exemplaribus è regione typis excusum, iudicio meo, licet exiguo, erit multa commendatione dignum. His paucis ualeas faustissimè, Magister optime. Colonia, XII Augusti, Anno salutis humanæ MDXXXVI.

Z 2 Epi.

EPISTOLARVM MISCELLANEA-
RVM, AD D. FRIDERICVM NAVSEAM BLANCICAM-
pianum, Episcopum Viennensem, singulari-
um personarum, Liber
Sextus.

LAVRENTIVS CARDINALIS CAMPEGIVS, ETC.
Reuerendo, uti fratri charissimo, Domino Friderico Nauſeæ, Sere-
nissimi Rom. Regis concionatori & consiliario,
&c. S. P. D.



Reuerēde, uti frater charissime, ex tuis literis, quid tecum Reuerendissimi Domini Viennens. erga te munificentia præclare istic actum fuerit, intellexit: qua quidem re nihil mihi gratius hoc tempore accidere potuisset. Gratulor itaq; tibi ex animo: idq; ut sempiternæ tibi laudi atq; felicitati sit, à Deo Optimo Maximo summis precibus peto. Quod quidē, pro tua in ipsum quam maxima pietate, futurū minimè ambigimus. Doleo autem, me hoc tempore à Curia abesse, ubi omnes ingenij mei uires in te ornando amplificandocq; ponendæ essent. Verūm id meis ad Sanctiss. Dominū nostrum literis, quam diligentissimè potero efficiā, ad Bononiē. q; Electum Filiū illic degentem scribam, ut quicquid meo nomine tibi præstare possit, id quam diligentissimè præstet. Non committam q; ullo unquam tempore, ut ubi augeri res tuę, ex tolli q; possint, operam meam ulla ex parte desideres. Vicentiæ, v. Jul. Anno MDXXXVIII.

IOANNES COCHLAEVS REVERENDO ET EXIMIO
sacrae Theologiae, Legumq; & artium profesori, Domino Doc. Friderico
Nauſeæ. Rom. Regia Maiestati à consilijs & sacris concio-
nibus, Domino & amico charissimo S.



Reuerēde & eximie Domine Doctor, uir clarissime, & mihi merito charissimè, ac semper uenerāde, ex literis Hancuri Nornergen. iam dudum intellexi, te per eam urbē iter habuisse. Doluerūt uehementer Doctor Christophorus Scheurlus, & ille, quod nescierūt te adesse, quia honoraturi fuerant te munusculo hospitali. Ex literis nepotis mei accepi, te in die Sancti Martini sermonem habuisse Vuirtzeburgi ad populum, summa cum celebritate & plausu, auditorij perquam copiosi. Deo sit laus, & gratiarum actio, qui in domo sua te ad uas honoris e legit. Putant nonnulli te à Regia Maiestate missum iri ad summum Pontificem, qui ex facie quoq; nouit te, et quidem gratiosissimè. Id si euenerit, rogo ut paruitatis meæ non sis apud Sanctitatem eius in memor. Non sanè, ut me ad maiorem dignitatem promoueri petas: sed ut pensuncula aliqua adiuuer pro sustinendo impensarum onere,

onere, quod nosti mihi iam multis annis graue fuisse: quemadmodum & tibi, alijs que prijs uiris aliquando graue fuit. Alia enim ratio est de libris contentiosis, quam de sermonibus ad populum. ij omnibus grati & utiles sunt: illi paucis, & de re iucunda curiosis, aut sollicitis. Ego in foelix, in locum contentionis demersus, à contentionibus liberari non possum, quoad contendunt contra nos hæretici. Tibi utiliora, magis que ardua committentur negotia. Vide nepotis mei non sis in memor. Nomen, cognomen, & dioccesim retine memoriter: nempe, Ioannes Agricola, clericus Eystetten. diocesis, &c. Alia ex Reuerendissimo Domino Viennensi intelliges. non enim libet ad te longa uti epistola, dū nescio ubi sis, aut ubi te literæ inueniāt meæ. Si Romā iueris, uide ut ex toto corde & intimo amoris affectu Reuerēdis. D. Card. Campegijū nomine meo salutes, ac optime ualere iubeas: quem merito præ omnibus amo, ac uereor. Bene uale: & si in aula uersaris, & cōsistis, uide que so rescribas. ex Dresda, pridie Calend. Ianuar. Anno, &c. xxxvi.

PAVLVS PAPA III DILECTO FILIO
Friderico Nauſeæ.



Dilecte fili, salutem, & Apostolicā benedictionem. Mittētes dilectū filiū PETRVM PAVLVM VERGERIVM nuncium & oratorem nostrū, in Germaniam, ad Serenissimum Rom. Regem, omnesq; Germaniæ circulos pro Concilij generalis, quod, adiutore Domino, omnino celebrare intendimus, apparatione urgenda, has ad te dandas duximus. Cui nos, pro singulari doctrina affecti, & pro prijs scriptis ad tuendam fidē editis debitores eramus. Itaq; te fili hortamur, ut hoc maximè concilij habendi tempore studiū pietatis & calamum tuum acuire uelis, ad nos coadiuuandos, & Catholicam fidem, prout hæctenus fecisti, defendendam. Deum enim in primis maiorē, in maioribus præmijs, remuneratorem habebis. Verūm nostræ etiam erit curę, ut tuam uirtutem, sanctumq; laborem honoribus & cōmodis, quibus poterimus, largē ac libenter prosequamur: sicut ex eodem nostro nuncio plenius intelliges. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, die x Februarij, Anno MDXXXVI. Pōtificatus nostri anno quinto. Bloſius

IOANNES COCHLAEVS, CLARISSIMO VIRO
D. Friderico Nauſeæ, LL. & Sacrae Theologiae Doctori, Sere-
nissimi Regis Rom. &c. concionatori & con-
siliario, S. P. D.



Reuerēde & eximie Domine Nauſeæ, hæctenus amice, nūc patrone, potēs in opere & sermone. Ego ex animo tibi gratulor, quod incolumis peruenisti tandē in aulā. Deus opt. faxit, ut uoti in te mei breui cōpos siā. Habes

(ut audio) gratiosum Regem, atq; etiam serenissimam Reginã. Habes & Romanum Pont. cuius benignitatem in te iam pridem sensi fti, antequã Papa esset. Mihi hactenus data sunt uerba, uerba in quã. Sed ijs non satisfiit neq; typographo, neq; papyropolã. Cõfido autem in Domino: quoniam nuper oculo uno respexit me fortuna in Valle Ioachimica, ubi donata mihi unius fodinã particula (quã Kukus uocant) nuper mihi XII florenos peperit, spem præbens de ampliori prouentu. Tu iam in messem uocatus es, uide ne tibi ipsi defis. Nepos meus scripsit mihi nuper, quod ipsum beare posses Herbipoli citra incommodum tuum. Spero te omnino facturum, quod amicum decet. Nosti, nepotem esse hominem ueracem, & rectum. Libellum nouum exhibebit tibi Reuerẽdis. D. Viennẽ. rogo si, uacat, ut unius horulẽ dimidiũ perdas. perde legendo semel, & optime uale. Ex Dresda, x. Feb. Anno salutis nostrã MDXXXVI.

AMBROSIVS DE RECALCITIS MEDIO-

*lanensis, Sanctissimo Domino nostro à Secretis, Reueren-
do Domino Friderico Nausea, &c.
S. P. D.*

Rerdiligenter legit literas tuas, ac perlibenter, Sanctissimus D. N. in quibus grauer sanè ac prudenter de consilio ea agis, eaq; admones, quæ pij, deuoti, religiosiq; officio pro Christi ecclesiã dignitate uerè omnino conuenire uideãtur. Et quanquam hæc ipse eadem iam diu cogitat, secum uersat, examinat, discutit, ad eaq; ita toto animo paratus est, ut sua quidem sponte plus longè incitatus sit, quàm cuiusquam cohortatione accendi posse uideatur, tamen sententiam tuam cognouisse, uehementer illi placuit. Proinde & bono animo te esse iubet, & ad Catholicã fidẽ in partibus istis de more tuo tuendã, te ualde hortatur: sperans, ac omnino confidens, summi omnipotentisq; Dei ope ac gratia ita breui futurũ, ut quæ contra Christianã fidẽ nefariè peruersorũ hominũ malicia ac scelere cõmota sunt, eadem cum summa diuinã Ecclesiã autoritate tollant, ac radicibus extirpentur. Quod uerò ad me ipsum scribis, ut cum eodem Sanctissimo de eius imagine tibi per literas mittẽda diligentiam adhibeã, feci id libenter. Ipse autem, ut id fieret, mihi assensus est. Sed hic statuimus, non esse illam cuiuspiam committendam, nisi à te prius, in cuius manus nominatim peruenire uelles, certiores facti essemus: uerentes, ne forte deperderetur. Id igitur si nobis significaris, illam quam primum perferendam dabimus. Pontifici ipsi te summopere gratum esse scito: tibi que hoc ego confirmo, te illum uirtutum tuarum fautorem experturum. Ego uerò, si quid sit, in quo beneuolentiam tibi meam ostendere possim, operam meam omnem tibi polliceor. Vale. Romæ, XIII Maj. MDXXXVI.

Ioannes

IOANNES CVBITVS DOCTOR, ETC. PHYSI-
*cus, Regius Magnifico ac integerrimo uiro & domino, domino Do-
ctori, Friderico Nausea, Regis Ferdinandi prædica-
tori doctissimo, S. D.*



Vm multa sunt, integerrime ac doctissime uir, quibus uita humana & sanitas hominis læditur: tum uerò maximè labores, & uehemens exercitium, & ingenij siue cerebri occupatio frequens, resoluunt corpora nostra. Tu ergo, si sentis in corpore tuo alterationem, non mirum est. Quis enim sine nocumento bonæ ualitudinis, faceret illos continuos labores, uigilando, prædicando, legendo & relegendo, quos tu fecisti in præterita Quadragesima, in uinea Domini: Ego & multi boni uiri sæpe admirati sumus, talem continuationem in officio prædicationis. Credendum, quod Deus ipse conferret suos operarios, recte & uerè prædicantes Euangelium. Sed de his fatis. Tu posthac non tam assiduo officio prædicandi, continuabis officium concionandi, ne quis morbus grauior te inuadat. Timenda siquidem apoplexia, uel simile quid: sicut hactenus scio multis contigisse, in eodem officio. Moderata durant. His remedijs sis tu contentus pro hac uice. Si aliquid aliud occurreret mali, quod nollem, diligenter & libenter inseruiam tibi, cui me commendo. Vale. Eniponti, uigesimo Decemb. Anno salutis nostrã MDXXXVII.

MARTINVS LEONITIVS CLARISSIMO VI-
*ro, Domino Friderico Nausea, Theologia & Iuris utriusque
Doctore, Ferdinando Cesari ab Euangelica
doctrina, Domino & Patrono
suo colendo.*



Aluus sis plurimum, uenerabilis Patrone, Doctissimũ te uirum, Clarissime Friderice, pridem sciuit: tam humanum, ne nunc quidem, longo quantumuis iam conuictu coniunctus, mehercle sciuit. Ergo doctrinã singularis tuæ perchristianissimum fers fructum, gloria nobili dudum insignem: Humanitatis, in Boemiã fers, hominum amore præstantem. Cur hæc dicam, rationem audi. Cognita patris mei captiuitate, statim literas ad eum ultro scripsisti peramicas, quibus eum pro perpetua Claritatis tuæ consuetudine, honorificè, & omni studio mirificè consolaris. Verum gratias agere nũc animus non est, & ratio dissuadet, cum nec beneficium hoc erga nos tuum sit primum, nec uirtutis testimonium solum. Hoc saltem dicam, ubi tuam istam pro nobis paternam sollicitudinem descendens retuli, precatos tibi omnes foelicitatem statim omnem: sic, ut existimare possim, iam per totam Pragã miris eos nomen tuum modis uehere.

uehere. Iussitq; mox Dominus Magnificus Iacobus, Coss. senatus huius urbis Princeps, ut te saluere plurimum suo nomine iuberem. Id quod facio. De reliquo nostri negotij mox praesens disseram. Interim uale. Ignosce, quod, quemadmodum asinus ille aefopicus in sportuno reditu dominum suum aggressus est: ita ego te, eiusdem rationis incondita compellatione molestem. Tempus non fert, & rem, & calamum, ut deceat, expolire.

*Salue, prima tui generis laus, gloria salue:
Tu quoq; Teutonici Nausae magne solti.
Salue praesidium, decus, & certissima salue
Spes modo fortunis terq; quaterq; meis.
Austriacas uideo iam festinamus ad oras,
Et certa nostrum mente paramus iter.
Nempe precor tempus, nunc omnia laeta per istud
Det tibi cunctipotens ut Friderice Deus.
Te rogit, ueteri sic me digneris amore,
Ut dignatus in his es modo rite locis.
Sum datus a uero, natus tibi patre, parenti,
Tanquam legitimo, sum datus atq; lubens.
Ergo quod officium fert, uult, poscitq; parentis,
Praesta, pars animae dimidiumq; meae.
Corrige, castiga, mentem tibi finge tenellam:
Ex animo semper, te precor ipse, tuo.
Nunc ego perficiam tales mox sedulus omnes,
Atq; sequar monitus, magne Patrone, tuos.
Postea nempe modis rursus pensauero cunctis,
Ista meo tali praestita mente bono.*

IOANNES COCHLAEVS, REVERENDO ET EXIMIO
Domino Friderico Nausae, sacrae Theologiae ac LL. Doctori, Rom. Regis
Concionatori, & Consiliario dignissimo & amplif-
simo, S. P. D.

Binas nuper a te literas mihi attulit nepos meus Georgius, optime ac doctissime D. Nausae. Ex quibus non absque dolore intellexi quaedam, ad quae sane per literas respondere non est securum. In primis congratulor tibi, si foeliciter (quod spero & opto uotis omnibus) in aulam reuersus es. Id enim tibi & honorificentius & utilius fore arbitror, quam ut Magistriae degeres priuatim, atq; in hospicio, ubi tot annis tam insignis concionator fuisti. Amplissimas uero gratias ago, habeoq; tibi, pro doctissimis orationibus tuis, quas in laudem & Reginae Angliae, & Erasmi Roterodami edidisti. Sermones tuos tum Aduentuales, tum Quadragesimales, nondum uidi. Teuthonica autem sermones tui

tui satis foeliciter in hisce terris uenduntur. Audio Ioannem Vauodam obisse diem suum. Quod si Turca non irruerit in Hungaria, spero, me breui cum gaudio auditurum esse, D. Nausae factum esse diuitem in Vngaria Episcopum. Dignus es qui crescas. Ego in terris ad maiora crescere non cupio. Habeo Canonatum beneficio Principis mei, qui me alere poterit, si non superuenierit noua aliqua calamitas. Praeter Hussitarum gesta, Lutherana quoque gesta de anno in annum collegi utcunque: ea sane intentione, ut in futuro concilio possint per eum laborem externationes breuiem de Lutheranismum habere instructionem, per xviii libros Actorum, per iii libros Dogmatum, & per i libros Sermonum eius, quos ex eius Postilla, exempli gratia, extraxi. Non poterunt ea quoque opuscula duo paruo aere excudi. Ideo, & propterea opus erit priuilegio affini meo. De nouitatibus bellorum nihil habeo scriptu dignum. Princeps noster, ut leo imperterritus, per uiam regiam inter frementes Lutheranos pertransit. Quem si Deus auferret a nobis, uereor equidem, ne grandis in his terris fieret rerum immutatio. Duo Marchiones fratres diu disceptauerunt super terrarum diuisione: qui nunc compositis rebus pacem habent. Elector Saxoniae multis tractatibus uexauit Reuerendissimum & illustrissimum Dominum nostrum Cardinalem Maguntinum: sed spero iam esse finem, & rem ad pacem redactam, per medium Principis & Domini mei, qui iam ex Hallis domum reuertitur. Bene uale, optime ac doctissime Domine Nausae. Ex Misna, iiii Calend. Ian. Anno Domini MDXXVii.

ERNESTVS AB VGEZDECZ IN GILEMNICZ, OR-
natissimo uiro Domino Friderico Nausae, Regio ecclesiastica &
consiliario, &c. S.



Vinctis mortalibus, natura ipsa institum est, Reuerende pater, ut hominum animos morum similitudo concilieret: & iuxta graecum adagium, simile simili amicum sit. Quam legem cum a prophanis quoque obseruari uideamus, quid facient hi, qui sacrationibus instituti legibus, totos se expediunt, ut multis praesint: & mortales iuuando, ipsi sese ueluti Deos praesentent, apud quos iura amicitiae habent sacrosancta: semelq; conciliati animi, similitudineq; honestarum disciplinarum deuincti, in ea beneuolentia instar Vergilianae quercus constanter persistant. Sed quorsum, inquis, haec? His proximis diebus, cum apud Graeciam ciuitatem partes muneris mei mihi a Serenissimo, Rege nostro iniuncti subirem, inter quae caetera (ut fit) cum Ioanne Leonicio ciue, uero perbelles docto, integritateq; morum singulari praedito, de literis bonis, deq; earum Artistibus, multa in medium conferremus, tandem is apud me, tui nominis honorifica (ut par est) facta mentione, monstrauit literas, Aa quas

150
 Quas tu ad ipsum dictaueras. Gratulor uictoriosissimo Regi nostro, quod fuge Maieft. S. talis, tantisq; ornatus uirtutibus contigit Eccle-
 siastes: qui proculdubio confulet ea, quę sunt optima: proponet ea, quę ad Catholicę Ecclefię tranquillitatē spectāt maximē. Gratulor mihi quoq; quod se obtulit o ccaſio, ſummi dubio procul numi-
 nis prouidentia, ad conſecrandā mutuā cum tantę eruditionis uiro beneuolentiā. Quę ego licet nondū uiſum, iam tum ceu amicū amo, ueneror ut patrē: in poſterūq; curabo ea, quę erūt officij mei, id eſt, ſinceri amici, preſens in præſentē conferre. Tu interim me amicorū tuorū albo aſcribas. Decq; me perſuaſum habeas, Erneſtū Vgez deū tuū totum fore. Bene ualeas. ex Græcio, Reginali Bohemię ciuitate. XIX Aprilis. Anno ab orbe redempto MDXXXVII.

GEORGIVS RATZENBERGERVS EXCELLEN-
 tiſſimo uiro D. Friderico Nauſeę, &c. ſuo maiori ſemper, S. P. D.

Ræmiſſā commendatione ſtudioſiſſima. Id quod tu mihi tribuiſti, non auſim mihi arrogare, planē fateor: (ego enim memet noui:) ſed ea humanitate, quā tu apud omnes homines cognitus eſ, id fieri ſolet. Quare de ea re non uerbum amplius commutabo. Illudq; quod tu petis, ubi uide-
 rim, digito tantum demonſtrabo. In opere Sermōnum ad populū, cui titulus eſt, Mariale fratris Bernhardini de Buſto ordinis Minorū, parte prima, ſermone tertio, de annunciatione Marię, & eo loco uel ſerie: Dicit autē Albertus, ſupermiſſus eſt, &c. ſerē circa mediū illius ſermonis: quibus temporibus, & a quo pulſus ſit inſtitutus, nondum reperi. Quod aliās ter pulſetur, dicunt pleriq; id fieri nomine Patris & filij & ſpiritus ſancti, quod tamen æquē non inueni. Sabyinianus (ut Platina, alij Sauinianus) ſucceſſor Gregorij ma-
 gni, Phoca tūc imperatore annuente, ſtatuit pulſum campanarū ad horas diei. Idē ſcribit autor, qui Chronicarū chronicas edidit. Idq; in faſciculo temporū eſt, annotatione de Sauiniano & Sabiniano. Abbas Tuitieñ. in opere ſuo de Diuinis officijs, in Capite de Cāparis, de uſu campanarum multa diſſerit. Quę omnia, & aliorū multa, Polydorus Vergilius de Rerū inuentoribus libro quinto, cap. duo-
 decimo, doctē admodum collegit, ut te nimirum minimē fugit. Ex illis demum facile eſt inuenire, ut mea eſt opinio, cur pulſus ille, ut in cæteris, ſit conſtitutus. Quod tam tardē reſponderim, id non negligētia factum eſt. Optabam enim tibi morem gerere. Sed præſta-
 re, quod uolui, id neq; hodie potui. Quare boni æquiq; conſulas. Me itaq; tibi commendo. Ex ædibus ſcholę diui Stephani, XXVII Ianuar. Anno Domini MDXXXVII.

CAROLVS CAPELLIVS ORATOR VENETVS

Reuerendo & Doctiſſ. Domino Friderico Nauſeę, L. L. & Theo-
 logiæ Doctori, &c. S. P. D.

Nudius



Vdius quartus à familiaribus tuis redditæ ſunt: mihi abs te literæ, Pragæ Idibus octobris datę: quibus, quam haud ſcio an ullæ mihi acceptiores & iucundiores afferri potuiſſent, tamē nō parum commotus ſum, quoniam ſcribis te admodum uereri, ne, quod ad priores literas tuas ad me, nō reſcripſerim, eas minus grātē acceperim. Indignū enim prorſus mihi uiſum eſt, ut tu id de me ſuſpiceris, uel tibi perſuadeas. An tibi in mentē nō uenit, q̄ ego eximię doctriņę tuę, ſingulari tuę eloquētix, tuis probatiſſimis moribus, atq; adeo tuę, tuiq; ſimiliū inculpatæ et ſanctiſſimę uitæ diuinitus propemodū afficiar? Quam quā plures, & eas iuſtiſſimas quidē cauſas afferre poſſim, quæ me impediērint, quo minus reſpōderim: tamen negligētix abs te præcipuē accuſari nō dolerē. Huiuſmodi enim bonorū reprehēſio, qua ſi ſtimulus ad melius diligentiusq; agendū haberi debet. Verūm ut quiſquā ingenuus, qui me nouerit, aliquid de me minus ingenuum uel ſuſpiceret, non admodū facile pati poſſum. An ego te admirabili uirtute uirū, dies noctesq; cōmuni rei pub. Chriſtianę cōmodo, cōcordiæ, quieti & ſaluti proſpicientem & conſulentem, non plurimū faciam? An, cum ſanctiſſima tua conſuetudine diutius mihi frui non liceat, literarum ſaltem tuarum diuinis colloquijs non dele-
 cter? locaris, arbitror, ut me excites. Utinam mi Nauſea te uideam, antequam in patriam redeam (quod intra menſem futurum puto) nam in itinere iam eſſe ſpero nobiliſſimum & clariſſimum uirum, MARINVM IVSTINIANVM, qui mihi ſuffectus eſt. Idem enim ego, quod tu, uehementius cupio: ſcilicet, ut coram nonnulla inter nos de re Chriſtiana conferre poſſemus. Vt cunque, ſi generale concilium Vincentiæ cogetur, (quam ciuitatem ſenatus Venetus, ſi neſcis, ut nunquam non Chriſtianę rei publicę quieti & concordiæ inſeruiat, ad eam rem Pontifici maximo conceſſit) unā nos futuros eſſe bene conſido. Interea non paruā ex ea re capio uoluptatē, quod præſtanti eius uirtute, qui mihi in hunc locū ſuccedit, non ſolum tuū mei deſideriū facile conſolaberis. Sed etiā multo magis, q̄ ex ea quæ in me aut nulla omnino, aut per exigua eſt, delectaberis. Bene uale, & mihi oratione & deprecatione tua Deum optimum cōciliare uelis. Et doctiſſimum Cochläum, cum ad eum ſcripſeris, plurimum meo nomine ſaluere iubeas. Viennæ, x Cal. No-
 uemb. Anno ſalutis humani generis MDXXXVI.

PETRVS VORSTIVS EPISCOPVS AQ. VEN. RE-
 uerendo ac primarię eruditionis uiro D. Friderico Nauſeę, Doctori, Regi Romanorum à concionib. digniſſ.



Euerēde Domine, oblata opportunitate Domini Doctōris Logi ad Curia Regię Maieſt. redūctis, pro ueteri amicitia noſtra uolui te epiſtola ſalutare, meq; tibi in hac curia offerre. Inter alias incommoditates, quas in le-

Aa 2 gatione

gatione mea tuli, illa magna fuit, quod te videre non licuit. pro doctrina enim & singulari humanitate tua, pergratum fuisset, tuo colloquio frui: cuius spero per Concilium meliorem commoditatem fore. De cuius foelici successu firmissimam spem teneo, si modo pax inter Principes, quam quotidie expectamus, successerit. Cum existens in Germania, & postea hic praesens S. D. N. de uiris doctis & de sede Apostolica benemeritis redderem certiore, puta de Reuerendissimo Domino Episcopo Viennensi, Cochlæo, Eckio, ac alijs, honorificum etiam de te testimonium dedi: & data opportunitate continuabo, Deo adiutore. qui te diu foelicem seruet. Ex urbe, XIII Ianuarij, Anno MDXXVIIII.

FERDINANDI ROM. ETC. REGIS SACRATISS.
ad summum Pontificem epistola.

Beatiss. pater, cū uenerabilis Ioannes Episcopus Viennensis, Cōsiliarius noster deuotus, nobis dilectus, ex certis rationabilibusq; causis & respectib. animū suum mouētib. honorabilē, deuotū, nobis sincerē dilectū, Fridericum Nauseam, sacrae Theologiae ac LL. Doctorē, consiliariū & cōcionatorē nostrum, in suū & Ecclesiae suae Viennens. Coadiutorē & successorem adsumperit, ita tamen quod idem Fridericus Nausea in administratione eiusmodi Ecclesiae, dum uixerit, nullo modo aut quacuncq; uia praefatū Episcopum Ioānem impedire uelit, aut debeat. Nosq; de eodem Viennens. petiti & instanter rogati ac requisiti, tanquam Ecclesiae praefatae collatores & patroni & Archiduces Austrig. quatenus in huiusmodi Coadiutoriam assensum et consensum prestaremus, literasq; nostras de super expediri faceremus: Idcirco S. V. affectuose rogamus, ut hanc Coadiutoriam clemēter ad ministrare, ipsumq; Nauseam maiori etiam honore, propter perpetua inexhausta que studia, labores, uigilias, lucubrationes, indefessam denique operam suam, quam tuendae sacrosanctae religioni nostrae, atque uniuersali Ecclesiae Romanae, sedi que Apostolicae totis ingenij uirib. impendit, dignū & idoneū, auctoritate Apostolica cōfirmare, eiq; literas superinde necessarias & opportunas expediri mandare: taxāq; seu cōpositionem, & alia de more soluenda, ex eo quod ecclesia Viennensis ex superioribus Turcarū incursionibus, multisq; alijs incōmodis grauiter afflictā est, et oppressa, tam dictus Episcopus, quam Nausea egeāt plurimū, benignē remittere & condonare dignē. In quo S. V. rē se pastoralisq; officio dignā, nobisq; singulariter gratam faciet, nostra in eam filiali obseruatione promerendam. Cui nos humiliter & deuotē commendamus. Datae Praegae, VIIII Maij, Anno &c. MDXXXVIIII.

REUERENDISS. IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,
D. Hieronymo Aleandro, S. R. E. Cardinali amplissimo, Ioannes
Fabri, Episcopus Viennensis S. D.

Salutem



Alutem, & omne bonū. Exhilarati sumus, quotquot trilinguis atque doctissimi illius Aleandri, Archiepiscopi Brundusini, nomen & honorem cordi habuimus semper, tandem post labores tam sanctos eum sacrosancto Cardinalium coetui adscriptum, & Galera honoratum esse. Hisce enim & talibus uiris recte & sancte gubernari potest Ecclesia Dei: qui faxit, ut quem diu & plurimis annis Archiepiscopum uidimus, multo diutius & longiori uita sub Galera triumphantem uideamus. Sed Reuerendissime Pater, non satis est, de sua & propria gaudere exaltatione: nisi etiam iuuet, & pro uirili promoueat, ueteres suos clientulos etiam euehere. Ad quam rem nunc pulchra datur occasio, quando hisce diebus ego solius Dei Optimi Maximi & orthodoxe Ecclesiae intuitu, D. DOC. FRIDERICVM NAVSEAM, Sereniss. Rom. Hungariae ac Boemiae, &c. Regis consiliariū ac cōcionatorem, in coadiutorem & successorē Episcopatus mei Viennens. nemine instigante, & eodem Nausea nihil tale cogitate, minus ambiente, elegerim. Spero hanc uocationem esse, & fore, cum Deo, & non modo placituram S. D. N. sed & uniuerso & sancto Cardinalium Collegio. Rogo itaq; iterum atq; iterum Reuerendissimam P. T. huic expeditioni assistere, & pro meliori nota eam commenda tam habere dignetur. Et maxime, cū nobis neq; aurum neque argentum sit, gratis, & de benignitate Apostolica, Prouisionis Bullam obtineamus. In qua re profecto S. D. N. & uos quoq; Reuerendissimi Patres, rem facietis Deo ualde gratam, atq; Ecclesiae Dei plurimū profuturā. His in Domino ualeas. Reuerendiss. Praesul. Datae Praegae, XII die Mensis Maij. Anno Domini MDXXXVIII.

REUERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,
mino, Dn. Laurentio Campegio, S. R. E. Cardinali digniss. Ioannes
Fabri Episcopus Viennensis.



Vantum profuerit, Reuerendissime in Christo pater, Doctorem FRIDERICVM NAVSEAM, me ita promouente, in aula clemētissimi Regis nostri FERDINANDI, hoc exacto quinquennio esse, ac uerbi diuini concionatorem a gere, uix enarrari potest. Religionis enim multa pars ab hac aula, illiusq; capite pendere uisa est. Et ut is post reliqua argumenta mei amoris signum haberet euident, ecce ultro, & prorsus nemine instigante, hunc in coadiutorem, & Episcopatus Viennensis successorem elegi. Est haec planē uocatio Aaron, qua nihil utriq; praeculis habet, q; Dei opt. max. laus, honor, & ut integra seruet in hac parte, orthodoxa religio. Praesentat & scribit Rex noster piētiss. de hac re, S. D. N. Sed utriusq; confidentia in te ea actualis est, ut non dubitemus ambo, te studia nostra, diligentiam nostram, labores & sumptus eo directurum, ut S. D. N. unā cum coetu Cardinaliū, Bullam Coadiutoriae liberaliter donet; atq; his quidē, qui

Aa 3 tota

totidem annis liberaliter suam erogauere pecuniam pro Ecclesia Catholica, ac sacrosancta sede Apostolica. His in Domino bene ualeas, Reuerendissime Pater. Data Pragæ, duodecimo Maij. Anno MDXXXVIII.

LAVRENTIVS CARDINALIS CAMPEGIVS, RE-
uerendissimo Domino, uti fratri charissimo, D. Ioanni Fabri
Episcopo Viennensi.



Reuerendiss. Domine, uti frater charissime! Literas tuas IIII Idus Maij scriptas, accepi. Ex quibus quidem intellexi, te pro tua in Deum quam maxima pietate, Doctorem Fridericum Nauseam, de Christiana republica optimè meritum, in Coadiutorem Ecclesiæ tuæ elegisse: quod profectò mihi adeò gratum ac iucundū fuit, ut nihil mihi gratius, nihil iucundius hoc tempore accidere potuisset: tibi que uerè gratulor, quòd ad innumerabilia tua in sanctam Dei Ecclesiam merita, hoc sanctissimum dignissimumq; opus addideris. Doleo autem summo opere, me à Curia hoc tempore abesse, quo eidem Nauseæ ornando omni meo studio, cura, diligentia q; adesse cuperem. Verùm ad S. D. N. quas efficaciores potero literas statim daturus sum, ad Electum q; Bononiens. filium in Curia scribam, ut quicquid operæ hac in re, meo nomine præstari possit, id quam diligentissimè præstetur. non dubito q; summum ipsum Pont. Reuerendissimosq; Cardinales, pro sua pietate illius meritorum ac paupertatis eam, quā decet, rationem optimè habituros. Ego abs te etiã atq; etiam peto, ut me Serenissimo Rom. etc. Regi FERDINANDO, q; humillimè cõmendare digneris. Vale. Vincetiæ, v. Cal. Iunij. Anno MDXXXVIII.

LAVRENTIVS CARDINALIS CAMPEGIVS, ETC.
Ioanni Fabri Episcopo Viennensi, &c.



Reuerendiss. uti frater charissime, literis tuis, quibus tuas Reuerendiq; ac ornatissimi uiri Friderici Nauseæ res, mihi summo studio ac diligentia commẽdaueras, nihil est ut hoc tempore respondeam. Nuncius etenim uester qui ad uos redit, quæcunq; acta fuerint, perpulchrè, prout confidimus, enarrabit. Has autem ad te dare uolui, ut scires, & tuos mihi libros traditos esse, & me tibi hoc nomine plurimum debere: quippe quem tua potissimum scripta mirificè semper delectant. Ago itaque tibi maximas, quas possum, gratias: te q; id pro certo habere uelim, me tui memoriã, tuq; in me beneuolentiã, adeò conseruare, ut nihil hac mihi charius iucundius ue sit. A Deo Optimo Maximo suppliciter peto, ut & meam erga te uoluntatem, propensum q; animum declarare, & tuis aliquando meritis cumulatiùs, prout summo opere cupio, respondere possim. Vale, me que Serenissimo atq; inul-

inuitissimò Rom. Regi, de meliori nota humillimè cõmenda. Romæ, VI I Cal. Maij. Anno MDXXXVIII.

IACOBVS CARDINALIS SYMONETA REVE-
rendissimo Domino Ioanni Episcopo Viennensi, Fratri
obseruandissimo.



Reuerendiss. Domine, frater obseruandiss. &c. Semper si milem ducit Deus ad similem, uetus est & uera profus sententia. Tu diu iam Episcopus es, nō quæ tua sunt quærens, sed quæ Dei: non terrena, sed coelestia sapiens. Declarasti te omnibus talem esse studijs, uitæ exemplo, religione, literis. Atq; parum putasti, si solus in ordine tantus fuisses: de deligendo tibi simili successore prudentissimè cogitasti. Probitas delectat probitatem, uirtus uirtutem. Quid poterat tibi contingere laudabilius: quid speciosius: quam Ecclesiam tuã, quã optimè rexisti, cum Deus statuerit, optimo rectori relinquere? FRIDERICO scilicet NAVSEAE, cuius est & spectata doctrina, & probata uita & pietas, religioq; singularis. In senatu, cum tractatum est de petitione utriusq; uestrum, mira fuit consensio atq; concessio. Nihil Pontifex, nihil patres tã doctis & pijs petitoribus denegandū esse censuerunt. Si enim postulata uestra non concederent, iudicauerunt, non sine graui erroris culpa se deesse posse acerrimis suis propugnatoribus. Expedita itaque res est ad uotum: operã mea, quantum potui, iuui. Aderoq; semper, quãdòcunq; uolueritis ea uti. Sed benedictus Dominus, ut est Ruth Cap. IIII, qui non est passus, ut deficeret similis successor: ut habeas, qui consoletur animam tuam, & enutriat senectutem. Vale. Romæ, xx Martij. Anno MDXXXVIII.

ALEXANDER CARDINALIS FARNESIUS, RE-
uerendo in Christo patri. Domino Ioanni Fabri, Episcopo Viennensi, tanquam fratri, &c.



Vm Georgius Bulmãnus ad uos reuertere, nolui eum sine literis meis pro fisci, nō quòd scriptione quaq; magnoperè dignum haberem, sed ut propensam in te uoluntatem meam declararem. Nam quæ superiorib. proximis diebus, in expedienda Viennensis Ecclesiæ Coadiutoria à me curata sunt, puto ea iam pridem, & ipsius NAVSEAE uirtuti, & ingrauescenti tuæ ætati debita. Illud tamen est præcipuè quod gaudeam, ea omnia summa cum laude ac dignitate tua in amplissimo Reipublicæ Christianæ senatu & acta, & comprobata esse. In quo quidem, etsi multos habeas tui studiosissimos, ego certè nulli in te colendo atq; amando facillè concedam. Quamobrem nihil erat, quòd mihi gratias ageres, si quæ de uirtute ac probitate tua sentirem, familiarius paulo cum Bulmanno locutus sum. Id est enim meum

meum de te iudicium, qui defendendæ religionis prouinciã cum tui similibus suscepisti: quos omnes bono quidem animo esse iubetas, propterea quod neq; illis Sanctissimi D. N. liberalitas, neq; meum, qualescunq; est, patrociniũ, quum primum sese offerret occasio, defuturum sit. Interea uerò, ne pulcherrimum illud tuendæ religionis studium remittant: sed, te duce atq; imperatore fortiter hostium impetum sustineant, ex quibus præsertim sint uictoriã unã cum immortalitate reportaturi. Sed de his hæcenus. Tu fac persuasissimum habeas, me tibi esse amicissimum: diligenter q; omnia quæ ad dignitatem & commodum tuum pertinent, ac sedulo curaturũ. Vale Romæ, VI Cal. Maias. Anno Domini MDXXXIX.

MARINVS CARDINALIS GRIMANNVS, REVERENDISSIMO Domino Ioanni Episcopo Viennensi, fratri, &c.



Euerende, tanquam frater charissime, XIII Cal. April. Venerabilis atq; profundissimæ eruditionis uir, Dominus FRIDERICVS NAVSEA, summa cum Põte Max. tum uniuersi ordinis nostri approbatione, coadiutor tuus & Ecclesiæ Viennens. successor factus est. Qua in re non fuit admodum nobis laborandũ. Ea est enim hic de utriusq; uestrum uirtute ac probitate opinio: itaq; hæcenus meriti, & magis indes de Christiana religioe, deq; sancta sede Apostolica mereri existima mini, ut nemo non ampliori uos dignitate, benignitate & gratia dignos iudicauerit. Quod quidem maiorem in modum uobis gratulamur. Et tamen non necessarium ducimus, hortamur tamen, ut, qua pietate ac foelicitate hæcenus fecistis, operam communibus rebus nauare non desistatis. Talem enim ob hæc merita uidemur huius sanctæ sedis uoluntatem in uos perspexisse, ut omnia digna uirtutibus uestris, eius de benignitate uobis polliceri non dubitemus. Quod ad nos ipsos attinet, sic habeto: Gratissimum nobis accidisse, quod in hoc negotio præcipuam nostram operam requisueris. Nam præterquam quod non medio cris id amoris signum fuit, poscere quoq; ita uideris, ut quantum tibi de nobis pollicitus es, tantundem nos de te nobis polliceamur. Gaudemus etiam datam nobis occasionem declarandi, quanti humanitatem, integritatem, doctrinam, ceterasq; uirtutes faciamus: quas certè facimus plurimi. Ita que persuadeas tibi, nihil esse tantum, aut tam arduum, quod nos libenti aggressuri non simus animo, modò ad honestatem & dignitatem tuam pertineat. Bene uale. Data Romæ, tertio Calend. Apr. Anno MDXXXIX.

IACOBVS CARDINALIS SYMONETA REVERENDISSIMO Domino Ioanni Episcopo Viennensi, fratri, &c.

Reue-



Euerende Domine, frater obseruandissime: puto te literas iam meas recepisse, in quibus tibi significabam, petitioni tuæ ad uota satisfactũ esse. Idcirco modò nõ ero prolixior. Redeũte enim Georgio Bulmanno, hæc pauca scribo, ut postremis literis x Aprilis datis respondeam. Coadiutoriam Domino FRIDERICO NAVSEAE libentèr admisit cum eius, tum tua causa, sanctis. Dominus noster: Reuerendiss. item patres assensere lubetissimè, cum summa utriusq; meritorũ comemoratione. Sciunt enim ambos esse in Christi acie antesignanos: nõrũt ambos opere & sermone potètes, & ualde dignos beneuolentia & liberalitate huius sanctæ Sedis. Ego sanè, quantum in me est, in hoc genere rerum totus soleo laborare, uires q; meas effundere, ut ratio habeatur hominũ uestri similiũ, eisq; ornãmẽta tradantur Ecclesiæ, qui aptè sciant gerere: & possint, si opus sit, ecclesiã & tradita sibi ornamenta defendere. Cuiusmodi estis uos ambo: quos ego ea sententia iuui, qua potui & debui. Ita sanè lætatus sum in illorum confessione petitorum, ut intellexerim non minus Ecclesiæ danti, quam uobis accipientibus esse congratulandum. Vbicunq; poterò, scito te me uestrum esse, et debere esse. Ago innumeras etiam gratias pro libris ad me transmissis, qui & necessarij sunt legentibus, & iucundi. Similes sunt libri autoribus: probi sunt, p̃ij sunt, docti sunt, & succi pleni: qui, scio certè, cum eternitate certabunt. Serenissimo Regi, & Domino Naufæ, me quam plurimũ comendari cupio: & te cum illis foelicis, ualere. Rom, die xxv Ap. Anno Domini MDXXXIX.

IOANNES EPISCOPVS VIENNEN. ETC. CLARISSIMO uiro D. Friderico Naufæ, Theologo, Sacræ Rom. &c. Regiæ Maiest. à sacris concionibus & consilijs, amico suo singulari, S. D.



Alutem, & omne bonum. Clarissime domine Doctor, & amice singularis, tui causa conueni Regiam Maiest. hodie peracto prandio, rem quoq; tuã ad longũ expendi. Dicit uix potest, quam bene affectum erga te Regem inuenerim: id quod è suæ etiam Maiest. literis deprehendes. Putaui enim ad rem pertinere, ut literas Regis acciperes. Dein consensit iuxta memoriale hoc tuũ, ut tibi contingat domus, quam Viennæ cupis habere: neq; restat aliud, quam ut cum Abbate contuenias, & res in plano erit. Et quamprimum numerabitur aulicis reliquis pecunia tuã, pars etiam tibi numerabitur: cuius rei fidelis ac non negligens sollicitator ero, id quod habiturus es. Et quod hodie obtinui pro te, declarabit scheda meis manibus scripta. Insuper de Frãcofordienf. noua perscripta ad me, prælegi: & rem gratam fecisti scribens hæc. Duernionem de Monasteriensibus ipse Rex legit. Et supra modum placuerunt suæ R. Maiestati præparatoria Cõcilij,

Bb quæ

quæ etiam summa cum diligentia legit. Reliqua habiturus es in proxima posta. Ex Oeniponte, decimo sexto Iulij, Anno Domini MDXXXVII.

IOANNES EPISCOPVS VIENNEN. ETC.
Friderico Nauſea, &c. S. D.



Ecce quomodo tibi displicere potero, si Regem & Reginam tuis uotis obtemperantes nūciem: Regina quippe tibi de meliori serico ordinauit ulnas x x. Rex consensit in Abbatis de domo negotium. Sed hac de re præmonitum esse te uelim, Regem hinc abiturum ad uigesimum diem Augusti. Ibit autem Tridentum, illic aliquot dies acturus. De in per Carinthiam ac Styriam ibit Viennam. Ne itaque longitudine & molestia itineris graueris, uidetur esse consultum, ut ante festum Michaelis illinc pedem non moueas, sed reb. & studijs tuis intendas, atq; Viennā si ueneris ad primā octobris, recte feceris. Nō uenias autem, nisi ratem uino Rhenano aliqua ex parte oneratam, pro communi sanitate tecum feras. Interea mittam ad te literas, & donationes Regias. ac alia, quæ tuo cōmodo profutura uidero. His Vale. Ex Oeniponte, xxxiii Iulij, Anno MDXXXVII.

IOANNES EPISCOPVS VIENNEN. ETC.
D. Friderico Nauſea, &c. S.



Quoniam per occupationes hōdie Regem adire non potui, per Castilegium Secretarium omnia communicauit: & spero plurimum quod omnia sis pro tuo arbitrio habiturus ex Rege. Bona, imō optima est apud nos tui nominis existimatio, quæ & aliquando procul dubio te euehet altius. In præparatorijs Concilij sudauit ad dies aliquot, & ea triginta folijs complexus sum: ea nunc Rex habet in manibus. Tu tecum ferre uelis, quæ super centum illa nationis Germanicæ grauamina cogitasti. Cura quoque, ut perferas ad nos Indicem librorum tuorum omnium, etiam hæreticorum. His hac posta bene uale. & proxima posta totū, quod habere cupis, & ad te pertinet, scribā. Ex Oeniponte, prima Aug. Anno MDXXXVII.

IOANNES FABRI EPISCOPVS VIENNENSIS,
&c. Friderico Nauſea suo, S. D.



Mirum quod ternæ literæ, quas ad te dedi, necdum reditæ sunt. En compendium priorum ad te repetito. Regina donauit te uiginti ulnis Damasceni serici, ita referente secretario Reginali. Rex consensit in emptionem domus Abbatialis. Inuenies Regem adeo tibi clementem, ut nec clementiorem optare possis, & tibi adhuc restant expectanda

expectanda plurima. Quamprimum alijs aulicis numerata fuerit pecunia, curabo ut tui ratio habeatur optima. In summa, meæ in te uoluntati nihil deerit unquam. Res Cæsaris ubiq; foeliciter & prospere aguntur. Eleemosynarius Ioannes, contractus manibus, lecto decumbit nunc in tertium mensem. Erasmus mortuus est, nostri apud quos: utinā piè sepultus. Præparatoria mea pro futuro Concilio comprehendi x x x folijs, quæ cum iudicio & Regis & Cardinalis Tridentini Romam perlata sunt. Recessit nobis Tridentinus, mox rediturus ad aulam. Omnes mei salui sunt. Agrotant autem aulici plurimi, propter uina. D. Gallus adhuc ægrotat, sed refumit uires: de quo tragœdias audies longæ orationis. Vale, Oeniponte, 1111 Augusti, atque hac eadem hora, qua tuæ redditæ sunt. Anno MDXXXVII.

IACOBVS MELANCEPHALVS RVDESHEIMIVS,
doctissimo D. Friderico Nauſea, Regio concionatori & consiliario, &c. S. P. D.



Si, Mecœnas liberalissime, tui habeatur ratio, censeo fore neminem, uel mediocriter eruditorum, qui scriptis suis te compellare audeat, nedum ego, ut qui uix in eorum numero haberi possum, qui eruditionis fundamentum iecisse creduntur. An non igitur aliquid literarum nunc ad te dabo? Certè sic pudor nonnullum in adolescentia decus postulare uidetur. Sed contra fides ad scribendum hortatur: quam fallere, mihi quidem & turpe & nefas est. præsertim quando (quæ tua est coniuncta cum solida eruditione humanitas) non modò non denegas literarum scientibus tuum colloquium: sed etiam, si eis conducatur, ad colloquendum tecum ipsos accersi iubes. Hoc ego re ipsa comperi. Nam ut heri in pulcherrimum tuum *μουσείον* sum admissus, tam doctè, tam piè mecū colloquutus es, ut conditū eiusmodi sermonem, quibusuis cœnis dubijs lubentissimè semper antepone re nihil cunctarer. Sæpè aliàs, sed nunquam melius quam hic animaduerti: Si hominis integritati exquisita doctrina accesserit, quanto tum pulchrius, tum latius, quasi face adhibita, uirtus polleat. Iam uerò inter differendum, quod sacerdotum mihi statum, omnium facile principem, commendabas, atque ne quid me commoueret, quod hodiè apud multos in uili poneretur, rectum consilium dabas, in eo me à te stare credas: neque id iniuria. Namque eius ordinis excellentiam qui uituperat, haud sanè intelligo, quid sit quod laudandum putet. Vulgus hominum huiusce ætatis in suspiciendam illam dignitatem inuehitur, & quidem sine omni discrimine: uerum quoniam tempus minime fert hanc rem prosequi, ad illos transire uisum est, de quibus utinam non tam uerè, quam

eleganter id fecisti, dixisses idem illud, quod & Marcus Tullius primo Officiorum libro scripsit: Multi, inquit, multa faciunt temeritate quadam, sine iudicio, uel modo, in omnes uel repentino quodam (quasi uento) impetu animi incitati: quæ beneficia eque magna non sunt habenda, atque ea quæ iudicio, consideratè, constanterque delata sunt. Sed in collocando beneficio, & referenda gratia, si cætera sunt paria, hoc maximè officij, ut quisque maximæ opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. Quod contra fit à plerisque, à quo enim plurimum sperant, etiam si his ille non eget, tamen ei potissimum inferunt. Deinde dolere te intellexi, nimis magnam negligentiam eorum, in quos solos spectant plerumque tenuiores, literis tamen addicti, adolentes. Ex quo, pace istorum dixerim, tanta doctorum Ecclesiasticorum inopia. His nos quod respondeamus, in promptu est. Usque adeo perfrictæ frontis, omnis que ratiocinationis expertem esse nullum, quin petat nihil nisi quod sine detrimento tribuentis accommodari possit. Quo modo, qui confert non nihil benignitatis in aliquem, perinde facit, quasi lumen de suo lumine accedat alij, nihilo minus ut ipsi luceat, cum accenderit.

Deinceps tuum audiui, patrone singularissime, animum adeo in me propensum, ut si esses pater, non posset esse magis. De quo animo, adeo que te toto, nihil reor posse dici tam magnificè, quin id uirtus & insignis doctrina tua longè superet. Absit assentatio, adest dictis ueritas, præcipuum sermonis ornamentum, ut diuinus ille Plato attestatur. Ad extremum ergo, arrogantia (qua nulla potest pestis cum alijs rebus, tum studijs esse maior) arrogantia inquam, ut ne notam incurram, ad ea quæ de me cum laude prædicabas, id dicendum uidetur, spem tantum eorum in me inesse, quæ eæ res multis disciplinis simul & uirtutibus contineantur. Verum enim uero, quod & ei expectationi respondere pro uiriculis commodius queam, & aliquando Christianæ reipublicæ non omnino nihil conferam, quæ res studiorum meorum prora pariter & puppis est, tu pro incredibili bonitate tua adiuuentum afferre benignè uelis. Hoc est uerè putare, id quod Stoicis etiam placuit, homines hominum causa esse generatos. Ut autem magnæ in grauius, eis que Regalibus causis, occupationes, & curarum procellæ quædam, non importarent mei obliuionem, literulas, præter alia quædam, habentes etiam patriæ meæ ac cognomenti appellationem, iussisti conscribere, quæ in loco, atque ubi opus esset, tui clientuli Iacobi memoriam reuocarent. Est igitur mihi patria Rudeſheim, Renigex pagus, ob uini feracitatem non prorsus ignobilis. Nomen, cognomen que meum, supra positum est. De Reuerendo Domino Abbate Monasterij sancti Ioannis, nihil hic attinet dicere, nempe quod is consanguineus sit meus. At ne

longiore

longiore sermone in publica commoda peccem, finem iam mihi loquendi faciam. Deus uerè opt. uerè max. suæ reipub. te quàm diutissimè incolumem seruet. Eunti tibi semper ipsa salus ut sit comes, precor. Vale, uir incōparabilis, ac Meccœnas liberalissime, Maguntia, III. Cal. Nouemb. Anno Domini MDXXXVII.

Iacobus Melancephalus, quantulacunque tuarum rerum pars.

*Si ius nostra facit, uacua in qua uenimus, aut que
Vsu, uel pacto, propria consequimur:
Empta uel ingenti nobis quæcumq; labore
Accedunt, uel quæ legibus adueniunt:
Ius etiam merito nostros pronunciat illos,
Quos ipsi nostros fecimus officijs.
Nausea confiteor, tuto signare licebit,
Sum tuus, & semper audiar esse tuus.
Nil opus est istud multis ostendere, dico
Ipse ego, mandatis obsequar usq; tuis.
At quia discedes, reuocatus, Nausea summe
Vir, cum doctrina, tum pietate pari:
Herculeos numero ut uincens grauitate labores,
Ut modò de cunctis promerere bene:
Christus & deus & saluum, recteq; ualentem
Te, precor, ut faciat inde redire: Vale.*

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS, REUERENDO D. Friderico Nausea, &c. S. D.



Atis mirari non possum, qui nam fiat, ut tot literæ tibi non reddantur, ex quibus omnem statum rerum non modo nostrarum, sed & tuarum intelligere potuisti. Scribit in præsentiarum ad te Rex noster. Congratulatur tibi de bona ualetudine, hortatur ut quantocyus redeas, & reditum pares. Migrabimus hinc xxv Augusti, ituri ad Tirolensem diætam, quæ celebrabitur in Posano, prima Septemb. Inde mouebimus, ituri per Carinthiam, & habituri diætam Prouincialem uigesimo primo Octobris. Deinde rectà Viennam conscendemus. Iam tuum erit deliberare, num obliqua uel recta uia uenire uelis. Vito nostro, tui obseruantissimo, mandauimus, ut iam, quando pecunia numerabitur, pro te & instet, & sollicitet, ut hoc uaticum commodius ad nos redire possis. Reginale hoc Damasce num sericum, quamprimum ueneris, à secretario Reginali dabitur.

B b 3 Elemo

Elemofynarius noster Ioannes Bofius, uita functus est, & respon-
debit literis tuis in sinu Abrahamæ supercoelesti. Nos literas tuas red-
di curauimus, nescientes eum trahere spiritum. Petrus Paulus Ver-
gerius scripsit ad nos, sese non rediturum hac uice, necdū redijt Do-
ctor Claudius Cantiuucula. Errarunt, qui nunciant, coadiutorem
Metropolitanae ecclesiae Maguntinae hunc illustris. Marchionem
de castris redijisse. Non graueris, ad nos scribendo frequēs esse. His
uale. Ex Oeniponte, XII. Aug. Anno MDXXXVII.

FERDINANDVS DEI GRATIA ROM. HUNGA-
riae Boemiaeq; &c. Rex, &c. Friderico
Nauseae, &c.



Onorabilis, deuote, dilecte, uenerabilis: Deuotus et dile-
ctus Ioannes Episcopus Viennensis, consiliarius noster,
nos certiores reddidit, quod incolumis Maguntiam ue-
neris, quodq; ab aegritudine, qua laborabas, respirare ce-
peris, & melius habere. Id quod & clementer & libenter audiui-
mus. Hortamur ideoq; & committimus, ut istic ita te praepares, ut
te tempore quoq; primo ad nos, & ad officium tuum recipias. Vin-
de nostra fiet & uoluntas, & sententia. Datum in nostra ciuitate Oe-
niponti, VI Augusti Anno MDXXXVII.

VVOLFGANGVS VOLANDVS REVERENDO AC
praestantissimo Domino, Friderico Nauseae, sacrae Theologiae &
LL. Doct. Rom. &c. Regis consiliario et ecclesiasticae,
Domino suo obseruandiss.



Euerende ac celeberrime Domine mi obseruandiss. post
obsequiorum meorum atq; singularis obseruantiae com-
mendationem. Non immerito egro fers animo, quod ea
quae tibi promissa sunt, haecenus re ipsa non fuerint pra-
stita. Sed nil aliud in causa fuit, quam longa inter nos itineris distan-
tia. Non enim innatae illius Reginalis Maieftatis clementiae defuit
clementissimus affectus, neq; meae in admonendo dexteritatis stu-
dium, & obsequendi promptissima uoluntas. Neminem enim huc-
usque, nec in praesentiarum etiam, qui ad te profectus esset, percun-
ctari potui. Quapropter ad manus Reuerendissimi Domini Vien-
nae. xx ulnas Brabantini nigri serici damasceni tibi mittendas tra-
didi, quas praefata Reginalis Maieftas tibi pro suae gratiosae erga te
inclinationis indicio, non in laborum ac meritorum tuorum com-
pensam, donare uoluit. Tu igitur Reginalem illius gratiam tibi nun-
quam defuturam, non dubites: meq; semper tibi & fidelem & since-
rum amicum & seruitorem fore, tibi firmiter persuadeas, meq; com-
mendatum habeas. Ex Insprugg. xx Augusti, Anno MDXXXVII.

Erhardus

ERHARDVS DE MARCKA, MISERATIONE DIVINA TIT.
Sancti Chrysogoni S. R. E. Presbyter Card. Archiepiscopus Valentiae, Episcopus
Leodiensis, Dux Buliae, & Comes Lusienfis, &c. Reuerendo & do-
tissimo Domino Friderico Nauseae, sacrae paginae
Doct. & Regio Ecclesiasticae.



Euerede & doctiss. domine Nauseae, post commendatio-
nem: Tamesti in omnes literarum bonarū studiosos ani-
mum beneuolum semper gestauerimus, in eos tamen
propensiori haecenus & amore & fauore sumus, qui la-
uentibus Ecclesiae ac sacrae fidei rebus, suis non cessant laboribus ac
lucubrationibus, pro sua uirili occurrere. Hinc est, uir dignissime,
quod & tuae literae simul, & librarium munus, quod nomini nostro
tibi placuit dedicare, fuerit longē gratissimum, quod Ecclesiasticam
& Theologo dignam redolet officinam. Oro te, ut eo instituto, quo
foeliciter haecenus capisti, pergas, accepturus pro animarum lucro
à summo Deo opt. max dignas mercedes. Et quoniam ex M. Ar-
noldo Tungro Theologiae professore, deuoto nostro, cuius censu-
rae ac reuisioni opus tuum tradidimus, intelleximus, illud & doctis
iucundum, & docendo populo apprimē fore utile & commodum,
in gratiarum uicem constituimus tibi aliquando de bono & pin-
guiori prouidere sacerdotio: unde non tam faciem nostram, quam
animum, in tuam rem propensissimum experiaris. Vale. Ex ciuita-
te nostra Leodieñ. xv Octob. Anno MDXXXVII.

VALENTINVS A DIETELEBEN CANONICVS, ET IN
spiritualib. Vicarius Maguntinus, Reuerendo & eximio D. Friderico Nauseae, Theo-
logiae & LL. Doctori, Regio Ecclesiasticae, &c. S.



Euerende ac eximie Domine Doctor, Libellum de pu-
blica Missa proroganda, qui Francofordiae publicē uen-
ditur, Generoso Domino Guilelmo de Nassau Comiti,
&c. dicatum, ad me mitti curauī, & aliquot Capitula in
eo legi. Et uidei mihi, quod, quisquis ille sit, qui auctor est libri, tan-
tum priuatam Missam abrogandam, quantum Missam pub. arro-
gandam laboret. Cupio super eo libello iudicium tuum. Vbi loco-
rum idem libellus impressus sit, non inuenio. Character tamen mihi
uidetur, Iuonianus. Praeterea rogo digneris fratrem meum, Domi-
num Iob à Dietenleben, in gymnasio Patauino degentem, apud
Reuerendissimum Dominum Episcopum Viennensem in profe-
ctione Romana, quam fortē tu ad proximum uer facturus es, com-
mendare, quatenus eundem pro familiari suo ad Iustrandā aliquot
mensibus urbem secum ducere dignetur. Vicissim me offero serui-
torem deditissimum. Magunt. xxi Octob. Anno salutis huma-
nae, MDXXXVII.

DANIEL MAVCHIVS IVRIS VTRIUSQVE D. ETC. RE-
uerendo & nobili D. Friderico Nauseae, Rom &c. Regis concionatori
et consiliario ampliss. Domino plurimum obseruando,

Reuerende



Eue: e de Domine, Libellum cum Epistola tua, Serenissima Reginae Camerario dedi. Nam egomet non potui tam commodè ad illam accedere. Cui multo gratissima fuit oratio. Verùm quia in Epistola mentionem Corne In Scepperi fecisti, ipsa Regina illum expectabit, & postea fortè respondet ex animi tui sententia. Interim miser ille, redijt à mari tam ægrotus, ut ad ipsum accedere non fuerim ausus. quam primū paululum cōualescet, Epistolam illi tuam reddam, cum orationibus: & munus uerbis ornabo quantum possum, licet per se sit ornatissimū. Vale. Bruxellæ, Cal. Nouemb. Anno MDXXXVII.

DANIEL MAVCH I. V. DOCTOR, EPISCOPI
Brixinensis Consiliarius, &c. Friderico Nau-
seæ, &c. S. P. D.



Euerende & nobilis domine, mihi plurimū obseruande: iam conualuit Cornelius Scepperus, cui tuos cū epistola reddidi libellos. Cupit morem gerere tibi, sed solum querit opportunitatem. Regina perlegit orationē, & multū Maieitati suæ placuit. D. Cornelius mihi dixit, postquam uir ille, ut uideo, doctissimus, atq; (ut audio) integerrimus, de Angliæ Regina orationem habuit, à nostra aliquot Anglicos aureos bene promeruit. Et non dubito, ipsum tuo nomine aliquid facturum, modò adfit tempus & commoditas. Meæ diligentia deeerit nihil. Si quid dabitur, diligentissimè curabo ad te perferendum. Tu modò ubi sis, & quid agas, mihi scribito. Cæterum in negotio, quod scis, si quid per te poterit fieri, perforce queso: ita tamen, ut nemo te procurasse, aut me ambiuisse intelligat. Tu cū in meis reb. ita sis diligens, quemadmodum ego libentis, essem in tuis. Ego tibi gratias, si possum, referam, & perpetuò habebo. Vale, & me commendatum habe. ex Bruxellis, III Nouemb. Anno MDXXXVII.

IOANNES FABRI EPISCOPVS VIENNENSIS
Friderico Nauseæ suo, S.



Alutem, et omne bonum. Adamus Carolus, Maji successor, ter promissit præsentationem: nondum tamen dedit in manus meas. & heri, cum uerbū facerem illi, dedit bonam spem, se facere uelle. Libri de fide & operibus crescent quotidie. exscripta sunt ad prælum ducenta et uiginti folia, restant forsari adhuc xx. D. Gallus uidere cupiebat, sed negaui. Solus enim tu omnium uidebis, ut si quid erratum deprehenderit, amici officium facias. Vale. Oeniponti, xx Octob. Anno MDXXXVII.

IACOBVS MELANCAEPHALVS, VNDECVNQVE DO-
ctissimo uiro D. Friderico Nauseæ, Regi inuictissimo Ferdinando à Sacris
concionibus & consilijs, &c. S. P. D.

Salue



Alue uir summe, atq; literatis. ò diem lætū, nec uno candido signandum calculo, qui terræ Maguntianæ tantum doctissimorum hominum decus retulit. Ego, certè inquantis nunc sim gaudijs, dictu non est facile. Nam ex quo tua studia erga literarum studiosos omnes, uultu & uerbis significasti coram, atque potestatem ea declarandi re tibi optasti, semper tui desiderium molestum fuit: semper pectus tuum cum ab omnibus, tum præcipuè Musarum cultoribus diligendum, admirandumq; duxi. Iam uerò non tibi gratuler: non mihi gaudeam: non Deo Opt. Max. gratias agam, cum aduētus tui dies, timoris diuturni, quem habuante illud tempus, finem attulerit: Siquidem, priusquam didicissem te uiuum, ac bellè ualentem, nobis restitutum esse, dies noctesq; de te (ut æquum erat) cogitans, casus dumtaxat humanos, & incertos euentus ualitudinis, & naturæ communis fragilitatem extimescebam: precabarq; (quod etiam nunc facio) IESV benignitatem, ut te suæ reipub. quam diutissimè conseruaret tum superstitem, tum incolumem: præsertim, quando non aliud æquè uideatur pro salute populi Christiani, in hoc uitæ curriculo, tantis se in laboribus exercere. Mandauit literis quidam magni nominis uir, copiam ut sibi facerem uidendi te, à quo potissimum rerumpub. salus penderet: nempe à principe rectè instituto, à bonis concionatoribus, publicis & probis ludimagistris. Ergo si multos tu Principes ab adolescentia salutaribus præceptis atq; literis imbuisisti, homines quam plurimi tuis sacris concionibus ad uirtutem ueramq; religionem à uitiorum turpitudine reuocati sunt: & bonis artibus iuuentus, te doctore, est erudita, aut ut certè fideliter sanctèq; informaretur, quantum in te fuit situm, sedulo curasti: illa, quæ certè summa sunt omnia, quis tacitus præterire poterit? Ingratus iniustusq; aestimator sit oportet, qui hæc à uirtute donata, non à fortuna commòdata, debitis laudibus non efferat, candidis studijs nõ prosequatur, singulari beneuolentia non complectatur. Fortuna medijs fidius rerū humanarū olim credita domina, cū soleat pro sua cæcitate imperius fauere temerarijs imprudentibusq; mortalibus, uicta quodammodo abs te uidetur, cum tam inusitatā apud summos Monarchas gratiā, tantos honores tibi concedere coacta est. Eaq; Euripi in morem solita, quos modò ad summum fastigium euexit, eosdem postea non longo interuallò in infimam quamq; sortem deicere: non modò nihil tuis rebus adimere ualeat, sed uelit nolit, breui etiam maiora excelsò animo tuo permittere cogitur. Ille enim, qui unus elementissimèq; iustissimèq; omnia gubernat, suorum curam gerit, & reficit atq; recreat in uinea Domini nullum tranquillum atq; ociosum spiritum trahentes, usq; ad extremum spacium. Iam unum est quod malè me habet: aduentum tuum sic non esse celebratum, ut decebat. Nonnulli sepe, nescio qui, officiosissimè excipiuntur, qui ne

Ce que

que promeruerunt aliquid: neq; si possint, iniuriam à nobis propul-
sarent. Homines quondam in Græcia mediocribus multis, humili
saltem aliqua arte præditis, gratuito ciuitatem impertiebantur.
Quantam pugnam atq; contentionem inter multas ciuitates fuisse
accepimus de doctis uiris, etiam post mortem? Nos autem clarissi-
mos, omniq; doctrinæ genere ornatissimos uiros, omnino nullis of-
ficijs sæpenumerò recipimus, etiam si rerum Maguntinarum penè
patroni sint. Verùm quid multis moror? Nosti, quàm multi Midæ
iudicij existant hæredes. Detur sanè aliquid maiorum imaginibus,
ac excellens uirtus atq; eruditio sua non defraudanda laude, aut be-
neuolentia. Tu quidem illa parui pendis, uerum tamennos nostri of-
ficij meminisse conueniebat. Vereor porrò, ne tibi pigriciæ nomine
sim suspectus (quæ enim obliuione tui prætermisillum id putabitur,
cum res mea in te uno consistat?) quòd nullas ad te literas post dis-
cessum scripserim. Quocirca obsecro, ne aliud putes obtulisse, quo-
minus literarum officium sit à me cultum, nisi quòd grammatopho-
rum nullum inuenire potuerim. Quotidie uerò ex Herberto Zol-
nero quæsiui, sciret ne aliquem, cui ad te literas darem? Quare cum
ipse scriberet, mihi non esse communicaturum, non semel cum illo
expostulaui. Sed quoniam excusationem meam facile (ut spero) ac-
cipies, neq; plura huic epistolæ sint committenda, omne meum stu-
dium uelim existimes tibi tuisq; debitum. Vale, unicum huius secu-
li ornamentum, Maguntia, ult. Octob. Anno MDXXXVII.

IOANNES FABRI EPISCOPVS VIENNENSIS, ETC.
clarissimo ac doctissimo uiro D. Friderico Nausea, Regio Ecclesiastica
et consiliario, amico opt. S. D.

Decima septima die huius mensis Septemb. tandem Re-
gia Maiestas è Tridento soluit, eo animo, ut per Carin-
thiam & Styriam sit iturus Viennam. Et quarta Octobris
celebrabit in Carinthia diem. Et, nisi me mea fallat con-
iectura, ad finem Octob. futurus est Viennæ. Quod propterea tibi in
hoc trāsitu (præcedo enim Viennam) significare uolui. Vale, cele-
berrime Nausea. Ex Brixina, XIX Septemb. Anno MDXXXVII.

CHRISTOPHORVS DEI GRATIA EPISCOPVS AVGV-
stensis, etc. Doctissimo Theologo Friderico Nausea, Regio consiliario.
etc. amico suo charissimo.

Salutem: Doctissime uir, ac amice charissime. Literas tuas
de dato Maguntia IX Octob. ad me scriptas, unam cum li-
bello eis incluso, uigesimo quarto Nouemb. accepi, quæ
non una de causa fuerunt mihi gratissimæ. Primò,
quòd ab homine doctissimo, qui etsi de facie non notus, scri-
ptis tamen ac fama notissimus sit, uenerint. Deinde, quòd
nullis, insignis Præceptoris mei, ac Principis doctrinarum, ERA-

SMI ROTERODAMI honorifica fiat mentio. Cuius laus ac uir-
tus tāta est, ut nulla humana uoce pro meritis prædicari possit. A
quo, nō minimam Christianitatis portionem (si saltem in me aliqua
residet) me accepisse profiteor. Is fuit, qui ueram pietatis ac religio-
nis uiam digito (ut ita loquar) demonstrauerit. A Christo nato non
fuit natus in terris, qui melius de re Christiana meritis fuerit: licet
nonnulli malam ei rependant gratiam. Sed eo meliorem, speramus
ipsum nunc in cœlo recepturum. Quare doctissime uir, si qua in re
tibi rem gratam facere possum, id ob insignem tuam doctrinam, ac
nominatissimi Erasmi nostri amorem, me ex animo facturum possi-
ceor. Vale, ex ædibus nostris Dillingen. xx x Nouemb. Anno Do-
mini MDXXXVII.

MARIA DEI GRATIA HUNGARIAE ET BOEMIAE, ETC.
Regina, Rom. Casarea Maiestatis, etc. in prouincijs Germaniæ inferioris Locumtenens et guber-
natix: Venerando, nobis singulariter dilecto, Friderico Nausea sacre Theologiæ
D. Romanæ Regiæ dignitatis, etc. charissimi et amicissimi Domini
et fratris consiliario ac concionatori, nostram gra-
tiam et omne bonum.



Energè, nobis singulariter dilecte: Scriptum tuum, quod
nobis ex Praga x die Maij, unam cum libello nobis pariter
transmisso, itemq; cum oratione funebri, quam ad hono-
rem illustrissimæ, charissimæ, & amicissimæ nostræ co-
gnatæ, bonæ memoriæ, Domine Catharinæ, Angliæ pridem Re-
ginæ, abs te conscripta & composita, cuius & abs te mentio fit, de-
disti, gratiosè accepimus: ac interim tuam inibi Christianam fidem,
pietatem, operam & diligentiam intelleximus. Qua de re non
uulgarem complacentiam habuimus, cuius etiam propterea erga te
non erimus ingrati, nec immemores, sed omni gratia prosequemur.
Id quod ad scripta tua nolimus, gratioso nimirum animo, te late-
re. Datum Bruxellæ, II Iulij. Anno MDXXXVII.

MATTHAEVS MISERATIONE DIVINA S. R. E. CARD. AR-
chiepiscopus Saltzburgerensis, etc. Honorabili in Christo, sincerè nobis dilecto,
Friderico Nausea, Regio concionatori et consiliario.



Onorabilis in Christo, nobis sincerè dilecte, paucis ex-
actis diebus redditæ sunt nobis subinde binæ tuæ litere:
unæ de dato Ratisbonæ, xvi Nouemb. & alteræ de da-
to Viennæ, xvi presentis, unam cum libro Sermonum po-
steriorum quadragesimalium, & Metaphrasis in xix Davidis Psal-
mum: quæ nobis dedicasti. Et fuerunt nobis tam litere, quàm Meta-
phrasis, & sermones prædicti, admodum accepti. Nam ex his nō so-
lūm singularem tuam erga nos obseruantiam, uerum etiam tam le-
ctione propria, quàm ex fide digna relatione nostrorum uerbi diui-
ni concionatorum, quibus Metaphrasim & sermones legendos tra-

didimus, eruditionem tuam non uulgarem, ac pium & præcipuum erga Deum opt. max. & fidem orthodoxam zelum, nec nõ contra illius impios oppugnatores studium, & labores indefessos, perspicue intelleximus. Quo factum est, ut aliquanto tardius, quam tu forte desideraueris, ad prædictas tuas responderimus. Age igitur uiriliter, & ut coepisti, strenue tanquam bonus in uinea Domini operarius, perge, recepturus non modo ab omnium retributore Deo laborum tuorum condignam mercedem, uerum etiã consequuturus ob id gloriam nunquam intermorituram. Et ut comodius tuo tanto proposito insistere queas, & intelligas nobis hos tuos Sermones & Metaphrasim, tanquam Christiano Principi, non fuisse ingratos, mittimus ad te dono numisma aureum monetæ nostræ Saltzburgeris, ualoris XVI ducatorum. Desiderantes per te intelligere, num & quando tibi hæc nostræ unã cum numismate aureo fuerint redditæ. Ad hæc, quacumq; in re hos tuos labores & tam pium studium fauore gratioso adiuuare poterimus, in eo senties nos semper erga te benignos & propensos. Datum in ciuitate nostra Saltzburgen, XXIII Ian. Anno Domini MDXXXVII.

MAGISTER CIVIVM ET SENATVS ANTIQVAE VR.
bis Pragensis, &c. clarissimo uiro, Friderico Naufæ, Regio concionatori
& consiliario, Domino & patrono
colendissimo.



Eri redditæ sunt nobis literæ, quib. tu pro Ioanne Frey intercedis, ut errato suo, quod à se in præcisâ arbore est commissum, ueniã à nobis detur: præsertim cum id non dolo aliquo malo, aut temeritate, uerum ipso errore (ut ipse fatetur) adductus fecerit, &c. Cum itaq; cõstet, te erga ipsum Ioannem ita affectum, ut pro eodem etiam intercedere uelis: equum esse censuimus, petitionem tuam audiri, nec in hoc negotio despectam admitti. Iamq; hæc in memoria habentes, cum ipsius Ioannis crimen à nobis in senatu pro more expensum fuerit, curabimus sedulo, ne ob id iam rigore iuris plectatur: sed potius ut intelligat, tuam sibi petitionem maximè profuisse. Datæ Pragæ, XXVII Feb. Anno, &c. XXXVII.

P. THEODORICVS LOHER A' STRATIS, CAR-
thusiæ in Colonia Vicarius, Friderico Naufæ,
&c. S. D.



Nihil mihi plus grati accidere potest unquam, ut, tibi obsequium feruienti impèdere. Quod aut cognati mei Theodorici Hezji responsuæ literæ, tibi nõ sunt redditæ, non tam miror, quam uehementissimè doleo. Non tamen diffido, me proximis diebus hunc medicaturum in utroq; dolore,

per

per Hezji exactam ad nunc & nuperrimè missas literas responsionem. Qui tamen (ut proximis diebus mihi scripsit) maiori ferè temporis parte post Pascha Leodio abfuit. Vale foelix, optime Domine. Datum raptissimè Idib. Iulij, Anno salutis mudi MDXXXVII.

BERNHARDVS DIVINA MISERATIONE S. R. E.
Card. & Episcopus Tridentinus, &c. Venerabili, egregio, nobis sum-
cere dilecto, Friderico Naufæ, Sacræ Theologiæ ac
L. L. Dõc. Regio concionatori, &c.



Enerabilis, egregie, nobis que sincere dilecte, tuas & huius datas legimus, quæ prolixitate sua silentium hæctenus impositum fugarunt: licet id maiori satisfactio-
ne nostra fieri potuisset. gratiora enim expectabamus, quam quod fortunã tibi in multis aduersari intelligeremus. Vellemus equidè, ut omnia tibi bene uerteret, idq; speramus, quum eorũ Principũ seruitijs, quibus addictus es, quæ tibi & comodum & honorem paritura sunt, perseverantia opus sit, ad quam te bene dispositũ esse cognoscimus. Sed quoad studiũ, uellemus ut illi eo modo incumberes, qui salutem tuam consuleret: & si secus fiet, nec tibi nec alijs satisfactum erit. Nam quieti aliquando indulgendum est, ut uiribus reparatis, maiora statò tempore adgredi possis. De amantissimo Maieft. Regiam, ex uoto tuo admonuimus. Nec diffidimus, quin illa tui condignam rationem habitura sit. Si in alio tibi gratificari poterimus, nec studium nec operam nostram tibi defutura pollicemur: ita, ut re ipsa cognoscas, nos comodi tuis semper studiosos fuisse, ac futuros. Interim bene uale. Trideto, XXV Iunij, Anno Domini MDXXXVII.

IOANNES EPISCOPVS VIENNEN: ETC. CLA-
rissimo uiro Friderico Naufæ, &c.



Alutem & omne bonum. Prioribus nostris literis credimus intellexisse te, quò in statu sint res nonnullæ. In præsentiarum ad te perscribere aliud non habeo, quam quod hic hæremus. Neq; facile fuerit, ut uno atq; altero mense simus discessuri. Mirabile quid in synodo Saltzburgeris accidit. Gallus illè tuus, omnia nostra cõclusa inuertit. In Hungaria certius nihil expectatur, quam quotidianus inter nostros & Boiuodanos, quibus tria millia Turcorum cõiuncti sunt, conflictus. Et propterea, quod Boiuodani nostris numero potiores sunt, D. de Rogèdorff abiit, nouos conducturus milites. Cæsar Turcarum soluit uelocitas & triginta sex triremes, misit uersus Italiam. Ipse uero in propria persona stipatus multo milite, iuit in Apolloniam, ciuitatem Macedonia, oppositam Italia. Cæsar, cum sua classe paratus: &

Pontifex, qui hucusq; neutralis visus est, uti speramus, declarabit se hostem Regis Gallorum, qui suo Titulo totam Italiam tanta mole grauat & turbat. Duodecim milia peditum selectissimorum Germanorum iam profecti sunt in Italiam, ad occurrendum Regi Gallorum, ne suo possit fratri Solymano osculum dare, & præbere manum in Sicilia & Apulia. Experieris intra trimestre militiam & magnam rerum mutationem. Rex noster adhuc in ea perstat sententia, nec alia mandata Regis sunt, nisi quod qui de Curia sunt Regis, suas pensiones liberè habeant, & leuare possint. Hoc obiter tibi declarare uoluimus. Nuncius enim festinabat, nec diutius expectare uoluit. Tu fac, si nostri libri Coloniae impressi sunt, ut qui præfentes dedit, unum atq; alterum exemplar reportet. Vale. Pragæ, XI die mensis Iulij, Anno, &c. XXXVII.

IOANNES ARCHIEPISCOPVS LVDEN. ORATOR
*Cæsareus, &c. Reuerendo patri, & eximio Legum et Theologiae Doctori, Friderico Nauſeæ, Sacræ Rom. Regiæ
 Maiestatis consiliario, et Ecclesiastæ,
 S. P. D.*



Reuerende atq; doctissime Domine Nauſeæ, amice plurimum obseruande, salutem, & officiorum meorum promptissimam commendationem. VII huius accepisti literas tuas, datas ad me ex Praga XII presentis mensis.

Quod autem lucubrationes tuas mihi inscribere cupis, plurimum exosculor candidum tuum erga me animū. quanquam fatius foret, ut opusculis tuis alios tibi parares Meccœnates: quandoquidē ego tibi etiā absq; hoc officio sim longē amicissimus. Titulus autē meus quem tibi perſcribi petis, is est huiusmodi. IOANNES Electus Archiepiscopus Lunden. cōfirmatus Episcopus Rochildensis, sacratissimæ Cæsareæ Maiest. consiliarius, per Germaniā orator. Ceterum quod seriē uitæ meæ cupis intelligere, ea profectō ab ineunte ætate in Principū seruitijs absumpta est: quanta cū laude, aliorū esto iudiciū. Certē istud cōstat, me omnib. maluisse renūciare fortunis meis, & uoluntariū exilium perpeti, quod iam in decimū quintū annum est productū, quā Principi meo esse periturus. Dominus Deus te incolumē conseruet. Datum Cremnitig, XXVII Iulij, Anno Domini nostri IESV Christi, MDXXXVII.

PAVLVS PAPA III. DILECTO FILIO FRIDERICO
Nauſeæ, l. V. Doctori, &c.



Dilecte fili, salutē, et Apostolicā benedictionē. Et si pluribus literis tuis, quas ad nos scripsisti, serius q̄ debuimus, respondemus: non est quod existimes, fili, nos tuā aut immemores, aut parū amātes esse. Non enim possumus tot tua erga hanc sanctam sedem & fidem Catholicam merita, obli-

uion

uioni tradere, & probitatē ac uirtutem tuam non ualde amare. Verum rebus potius, quā uerbis, nostram erga te paternam beniuolentiam ostendere cupiebamus: sicut nunc, quando se nobis primū occasio præbuit, fecimus. Cum enim dilecto filio, & secundū carnem nepoti nostro, Cardinali Farnesio, præposituram ecclesiæ Herbipolensis commendauissemus, totum id commodum, quod ex ea haberi poterat, ipso etiam Cardinale id uolente, inter aliquos doctos uiros Germaniæ, de fide Catholica benemeritos, in quibus tu inter primos nobis occurristi, diuidi fecimus: tibi que pensio- nem annuam centum florenorum Renensium, super dictæ Præposituræ fructibus tam libenter, quā meritō, assignauimus. Quamobrem, etsi tuis laboribus maiora debentur præmia, hortamur te, ut animi nostri affectum suscipias: speresq; nos in alijs occasionebus tibi non defuturos. Sicut etiam uenerabilis frater Hieronymus Aleander, Archiepiscopus Brundusinus, Prælatus noster domesticus, tibi ex parte nostra latius perſcribet. Cuius literis fidem habebis. Datū Romę, apud S. Petrū, sub annulo piscatoris, XVIII Maij, Anno, &c. XXXVII. Pontificatus nostri Anno quinto.

FRANCISCVS DEI GRATIA EPISCOPVS CONFIRMATUS
Monasterien. &c. uenerando & excellenti, nobis sincere dilecto, Friderico Nauſeæ, Rom. &c. Regis concionatori & consiliario, S.



Menerādē & eximie, nobis sincere dilecte, literas tuas, uinā cum libro tuarum editarum cōcionum, quas latino idiomate in lucem protulisti, unaq; cum Apostolico diplomate, de non promouendo ad ordinem Presbyteratus, simulq; cum literis, quas Dominus IOANNES Episcopus Viennens. amicus noster dilectus ad nos propterea dedit, cum latore presentium familiari tuo accepimus, & legimus. Atque in primis tibi gratias habemus & agimus, pro suscepto consummato labore, pro que libro nobis misso, pollicentes hoc ipsum pro uirili nostra, clementer que nonnunquam gratias referre. Præterea te laterē nolumus, qualiter præfatus noster amicus Episcopus Viennensis in suis ad nos literis à nobis desiderauerit, ut tibi connumeremus aureos Renenses centum, pro altero diplomate Romę redimēdo. Curauimus igitur eos centū aureos Renenses numerari tibi, istucq; perlatum iri gratiose desiderantes, ut præfatos aureos acceptare nō graueris, & deinde eos ipsos unā cum literis nostris eius dilectioni exhibēdos curare. Id quod modis omnibus, & quidē gratiose promereri studebimus. Datum in Furstenau, in die Magarethæ uirginis. Anno MDXXXVIII.

IOANNES FABRI EPISCOPVS VIENNENS. ETC.
Friderico Nauſeæ, clarissimo, &c.

Salutem



Alutem & omne bonum. Vir clarissime, & amice singularis, literas tuas II Augusti Maguntiae datas accepimus, quibus te mirari satis non posse asseris temeritate ac perfidiam Galli, qua nescimus quam tragœdiam, in synodo Saltzburgen. excitauit. Ille quodcunq; egerit, præter ceterum & commissionem suam egit. Siquidem super tribus punctis, de quibus concertatio fuit, certam habuit informationem. Contrarium tamen dixit: de quo multa, cum coram fuerimus. Præterea heri apud Regiam Maiestatem ferè fui per integram horam, ubi inter cætera, tui honorificentissimè mentionem fecimus, tuamq; absentiam humaniter et officiose purgauimus: simulac diligenter curauimus apud eandem Regiam Maiestatem, pro impetranda pecunia. & spero futurum, ut non nihil æris ad reditum consequaris. exhibuit enim se beneuolum, & ad omnia propensum. Nec non tum facta est mentio orationum, quas in Serenissimæ Reginae gratiam colligis. Siquidem ipsa Regina earundem meminerat apud Regiam M. quarum certè est audivissima, maximoq; desiderio expectans, tantoq; citius absolui cupiens. Cæterum opus nostrum de fide & operibus, dudum in lucem prodixisse, nec tamen hæcenus nos ullum exemplar cõsequutos esse, demiramur. Dabis igitur operam, quo unũ aut alterũ exemplar cõsequi possimus, quod Regiæ Maiest. ostendere & offerre queamus. Interea accepimus tres quaterniones ex prelo Lypseni, cõfutationis nostræ, grauissimi erroris de Sacramento altaris contra quosdam Bogemos, quos hic simul mittimus. Erit autem totus liber, si fuerit perfectus, magnitudinis xx quaternionum. Item opuscula quoque illa nostra Sermonum, aliorum que unã cum cõfutatione sunt in lucem proditura, quorum etiam uicimus iam probam trium quaternionum. Literas ex urbe tibi missas, quas nuper per postam accepimus, nunc quoque mittimus. Cardinalis Tridentinus uocatus est Romam à Sanctissimo. Qui quoq; rem negotiumq; tuum illic, ut arbitramur, est curaturus. Noua tandem, que nobis allata fuerant, cum proximis literis ad te antea misimus. Interim uerò nihil aliud accepimus, nisi quod Veneti cum Turcis bello nauali fortissimè conferuerint manus, ut ferunt. Et quòd Turca cum suis classibus, appulerit prope Hydruntem in Apuliam, expugnaueritq; unam ciuitatem, nõ magni tamen momenti. Postremo omnes qui nos salutarunt, quam officiosissimè resalutabis. His bene uale. Data Pragæ, ex ædib. nostris, XXI Aug. Anno MDXXXVII.

GEORGIVS DEI GRATIA SAXONIAE, ETC.

Dux, uenerabili, excellenti, deuoto, nobisq; singulariter dilecto, D.

Friderico Nausea Theologo, & Rom. Regiæ Gratia

Consiliario & Prædicatori, salutem,

& omne bonum.

Venera-



Enerabilis, excellens, deuote, nobis sincerè dilectè: Scriptum tuum, cum quo nobis libellum ualde utilè, sacrosanctam Angelicam salutationem concernentem, transmisisti, singulari quadam gratiosaq; complacentia accepimus. Qui quidem libellus nobis admodum gratus est. Quem quia nobis dedicatum uoluisti, singulari gratia aliquando compesabimus. Id quod significare tibi uoluimus, tanquam ei, cui singulariter inclinati sumus: pro libello futuri non ingrati. Ex Treſda, in die Corporis Christi, Anno salutis mundi MDXXXVII.

IOANNES DEI GRATIA EPISCOPVS VIENNEN.

ſis, & coadiutor Nouæ ciuitatis, &c. Clarissimo uiro Friderico Nausea, Rom. &c. Regiæ Maiestatis consiliario & conſionatori dignissimo.



Alutem, & omne bonum. Gratum nobis uehemèter fuit, quòd tandem ad nos tuas dederis literas: quibus te studiose, ut ne quid rerum tuarum nobis esset ignotũ, operam dare animaduertimus. Gratius, te itinere prosperè foeliciterq; confecto, saluum ac incolumem Maguntiam uenisse. Gratissimum autem, Nauseam nostrum ab omnibus, ubicunq; diuertit contigit, & in primis à Reuerendissimo & illustrissimo D. Cardinale Maguntino, pro dignitate, suisq; uirtutibus humaniter, benignè, ac liberaliter exceptum: atq; de rebus omnibus, reipublicæ nostræ Christianæ salutem ac tranquillitatem concernentibus, inter uos sapienter actum, nostrisq; deniq; apud omnes mentionem nõ nisi honorifice ac magnificè factam. Expectauimus equidem iam dudum, non tam auide quàm anxie, hæc in rationem de tua profectioe, tuisq; rebus, literas: quo tibi (quod certè nunc facimus) si omnia ex uotis, animiq; sententia succederent, pro summo nostro in te studio & amore gratularemur. Cuius fortunam utramq; nostram esse duximus. Quo fit, ut haud multum opere precium fuerit, te tuis in rebus apud nos discessuro relictis, nostram fidem, memoriam, ac diligentiam pluribus uerbis postulare. Quasi non ijs omnibus tibi, quacunq; in re spõte, promptè ac alacriter potui adesse, perpetuò operam dederimus. Tuum hic, ut ingenuè dicamus, non rogare, sed imperare potius, officium erat. Qui enim tuis in nos officijs non respondeamus: Tu absens nostra diligentissimè curas, & nos tui immemores hic in utrãq; aurem dormiremus? Absit. Quod si hæcenus parum sensisti, ut adhuc, ubicunq; tui promouendi tollendiq; occasio oblata fuerit, experiaris, curabimus. Cõtendimus pro te sedulo & apud Regiam Maiestatem, & apud Nũcium Apostolicum, aliosq; omnes, ut tui ubique ciuilis habeatur ratio. Nescimus autem, an ubiq; satis feliciter. Nam quantum ad Parochias spectat, uehementer timemus, quòd ab omni steura siue contributione liberare nõ possimus.

Dd Penſio

Pensio autem à Prouincialibus tibi iuste non poterit eripi. Nam ita & à Rege & Prouincialibus constitutum est, ut qui pensiones habent, & sunt de Curia Regia, liberi sint, non quidem communi contributione, sed ne illis perinde, ut exteris, eripiatur pensio. Et iam agitur, ut non nisi dimidia steura soluatur. Quare cum uicarijs caute & prouidè fuerat agendum, & adhuc agendum erit. Nos, quæ hic ex Italia de Imperatoris foelicibus aduersus barbaram Turcarum gentem successibus habemus, uicissim breuiter impartiri uolumus. Vale, & Dominum Præpositum, olim nostrum liberalissimum hospitem, reliquosq; amicos, & maximè D. Marckquardum de Stain, nostro nomine diligenter & officiose saluta. Pragæ, Idib. Augusti. Anno Salutis MD XXXVII.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS,
Æc. Friderico Nauſeæ, &c.



Salutem, & omne bonum. Quæ & qualia Vuolrabus Lypsenſis, typographus à nobis sub prælo habeat, ex alijs literis accipies. Eget ille papyro. Si ullo pacto fieri potest, ut nostro nomine numeres illi, ac mutuo nobis des, quinquaginta florenos Reneñ. in moneta, fac ut accipiat ex manibus tuis: & quamprimum ad nos redieris, in promptu per gratitudinem cum beneuolentia soluemus. His uale. Datum Pragæ, Boemiæ. XXII August. Anno, &c. XXXVII.

IOANNES DEI GRATIA EPISCO-
 pus Viennensis, *Æc. Friderico Nauſeæ
 ſuo, &c. S. D.*



In præſentiarū nihil habemus, quod ſignificemus, præter quàm quòd ſacra Regia Maieſtas ſit tandem mutatura locum, nempe Viennam profectura, idq; ad diem v Septemb. Præterea egimus diligentiffimè cum Generoſo ac Magnifico Domino Ioanne HOFMANNO, tui cauſa, pro impetranda pecunia: indicantes, niſi eſſet numeraturus ſummam tuam, quæ tibi debetur ex ſalario tuo, te nequaquam citra diſpendium max. ad aulam redire poſſe. Quapropter dedit fidem, ſe eſſe ſtutum, ut uoti compos fieri queas. Aliquoties uerò interrogauit Rex, quando ſperaremus reditum tuum: ſed excuſauimus te meliori, quo potuimus, modo. In ſumma, Rex ibit Viennam, Regina manebit Pragæ. Dubij ſumus, num uacuſculum tuum, quod apud nos reliquiſti, Viennam ferendum ſit, nec ne. Interim mittimus duo exemplaria noſtri ſermonis Pragæ habitū: alterum in Generoſi Domini Pfluog, Regni Boemiæ Cancellarij obitum, habitum, qui propediem in lucem eſt proditurus. Bene uale. Pragæ, xxx Aug. Anno MDXXXVII.

Ioannes

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS, ETC.
Friderico Nauſeæ ſuo, &c.



Eri cum in arce mea Episcopali apud S. Vitum supra Viennam, concionem pro populo pararem, ecce præter spem allatæ sunt mihi literæ tuæ, quæ etſi mihi pergratæ fuerint, at multo gratior fuiſſet præſentia tua. Doleo uehementer, quòd binæ poſtæ te non apprehenderint, ex quibus intelligere potuiſſes, quàm utile & quàm neceſſarium ſit, ut rectà Viennam feſtines. Nec eſt, quòd alibi Regis aduentum expectare conſtituas. Nam etiam ſi illic eſſet Rex, neceſſe foret, ut illinc ſolueres, & ad nos migrares. Insuper te abſente, non niſi promiſſiones à Quæſtore Regio exigere potui: te uerò præſente, nummos habebis, quibus carebis alibi. In ſumma, celeriter ex Pragæ moueas. Libros uerò tuos in uafe poteris alibi tenere. Si quibus libris egueris, ego miniſtrabo. Valde conſultum fuiſſet, uenire cum Protonotario. Hæc omnia in rem tuam. Et citò accelera. Eſtò cum fonte, quid tibi de riuis? Quòd in rebus meis, ſeu potius Eccleſiæ Dei, tam ſollicitus extitiſti, maximè laudo: feciſti, ut ſoles. Quicquid expendiſti, ſol uam. Regi noſtro ante meas literas, tuas ex conſulto reddere non uoluit: cauſam audies. Cras uerò reddam. Libros de fide & bonis operibus, pro Rege & Cardinale ligatos, tecum quæſo affer. Que tecum afferre non poteris, in mea domo cuſtodiri facias. Quod ſi tibi pecunia deſit pro uiatico, recurras ad Secretarium, D. FLORIANVM Griesbeck, per Dominum Vicarium, cui ea de re ſcripſi. De reliquis omnibus, dum coràm fueris. Et ex me tibi omnem amicitiam certò perſuadeas, & bene ualeas. Viennæ, v Octob. Anno Domini MDXXXVII.

FERDINANDVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,
 Rom. Hung. Boemiæq; Rex, *Æc. Honorabili, deuoto, nobis dilecto
 Friderico Nauſeæ, conſiliario & concio-
 natori noſtro, &c.*



Onerabilis, deuote, dilecte: Per placet nobis, te Pragam reuerſum, ſacris cõcionibus, coram Sereniſſima Domina conthorale noſtra dilectiſſima habendis, pro tuo officio operã dare cõpiſſe: nec eſt quòd te huc uocemus, cum iſtic non minus, quàm ſi hic apud nos eſſes, diuini uerbi prædicatione, expoſitione q; interim, dum nos illuc redeamus (id quod breui futurum eſt) Chriſtianorum animos mentesq; ad pietatem, uerumq; Dei cultum inflammare poſſis. Quod ut facias, abs te etiam atq; etiam requirimus: noſtram in eo exequuturus uoluntatem. Datum in ciuitate noſtra Vienna, x Octob. Anno, &c. xxxvii. Regnorum noſtrorum, Romani vii. aliorum uerò xi.

IOANNES DEI GRATIA EPISCOPVS VIEN-
 nensis, *Æc. Friderico Nauſeæ, &c. S.*

Dd 2 Literas

Literas tuas, una cum libris, quos nobis per famulum tuum misisti, mi Nausea, gratis, accepimus animo. Quod autem morbo prohibitus, ad nos uenire non potes, uehementer dolemus: præcipue, quod doloris cruciatus te ferre, negotiaque tua negligere oportet. Gratissimus certe fuisset nobis omnibus aduentus tuus: tibi etiam, ut spero, haud incommodus. Sed quoniam hæc à Deo Opt. Max. euenerunt, æquo necesse est mala feramus animo. Ad omnes partes epistolæ tuæ, nunc respondere propter ingentia negotia, maximasque occupationes nostras non possumus, hoc certe tibi persuadeas uelimus, tuas res omnes non minori cura esse nobis, ac nostras. Sciasque nos tua causa omnia facturos, que possumus, ne quicquam amplius in nobis desiderare possis. Pecuniam, quam mutuo accepisti à Domino Griesbeckio, curabimus ut ei reddatur. Tu hac in re omnem curam sollicitudinemque deponas uelim. Vale, Viennæ, XIX Octob. Anno, &c. xxxvii.

IOANNES DEI GRATIA EPISCOPVS VIENNENSIS,
et c. clarissimo uiro Domino Friderico Nausea, et c.

Salutem, & omne bonum. Quamuis tibi plane ita uisum sit, quantum tuis literis indicaueris, ut nolis, nec etiam possis hoc tempore Viennam uenire, cui profecto tuæ opinioni haud uelimus reluctari, nisi hodie, hoc est die uigesimo tertio Octobris, cum essemus apud Regiam Maiestatem, quam de rebus uarijs postquam ultra citroque fecissemus mentionem, ac inter cætera Librum de fide & operibus à nobis & compositum, & ei donatum, miris modis (ut Princeps est candidi & solidi iudicii) commendaret, tandemque tui facta mentio esset, desiderat ac requirit omnibus modis, si modo per ualitudinem tuam quoquo pacto fieri possit, quam primum ut Viennam te conferas. Esset itaque nostrum consilium, petitionem & desiderium non facile negligere: Quanto igitur citius, tanto eidem magis gratificaturus. Plura eadem de re ex literis Gufinani accipies. Bene uale, Viennæ, XIII Octob. Anno MDXXXVII.

MARTINVS GYSMANNVS, REGIVS CUBICVLARIVS,
Reuerendo ac doctissimo D. Friderico Nausea, Rom. et c. Regiæ Maiestatis consiliario et concionatori dignissimo, et c. S. D.

Reuere de Domine Nausea, amice honorandissimi, literas tuas una cum introclusis rebus accepi, Regiæque Maiestati suas porrexi. Gaudeo autem plurimum, tui de aduentu tuo istuc, tum quod spero te breui ad nos uenturum. Quandoquidem Regia Maiestas mihi, ut ad te scriberem, commiserit, ut quatenus per negotia priuata liceat, huc uenire properes, tuumque iter omnibus modis acceleres, facturus in hoc suæ Maiestati R. rem longe gratissimam. Viennæ, XXIII Octob. Anno, &c. xxxvii.

Ioannes

IOANNES HASENBERGIVS, ETC. CLARISSIMO
atque absolutissimo Theologo, Domino Doctore Friderico Nausea, sacra Rom. Regiæ M. à consilijs et sacris concionibus, D. et patrono reuerenter obseruando,
 S. P. D.

Pincipio etiam atque etiam gratulor, clarissime & consummatissime Domine D. Patrone omnibus preponende, de foelici ad nos Boemos ex Germania reditu, faxit Deus, ut is bonus, foelix & fortunatus sit, cum nobis omnibus, tum uero fortunatis, tibi. Sed quod cum noibus ex Germania omnium monstrorum supra Africam fertiliore reuenis, nihil Libycorum portentorum adscripseris, impendio demiror. At pro candore illo literarum indicibili, plus quam scribi potest, ago habeoque gratias: uicissim paratus reddere philanthropias uicem. Accepi ex Reuerendo Domino Iodoco Raufch, Vicario, epistolas multo & ornatisimas & acceptissimas, quas cras bene mane allaturus sum D. Hieronymo Gualtero Lypseni, qui me proprio grammatophoro ad Altenbergam hinc euocauit, propterea quod habeat, quæ mecum uarijs de rebus commentetur. Verum ut hæc epistola Cardinali Sadoleto perplacet, ita uicissim quam mitto ad Philippum Melancthonem scripta displicet: equidem enim nihil potuit humilius & deiectius esse tali epistola, etiam si quoddam seminarium concordie pre se ferre uideatur. Transmissa est mihi una ex Lypsia, altera à quodam amico è Vuittenberga: sed cum tali Eulogio, quod Lutherani tantum non triumphant de toto Cardinalicio senatu. Quæso rescribe hac de re tuum mihi iudicium. Valeas, et tuum de ditissimum Hasenbergium ornes, ames, & pro tua utaris opera sua, opt. clarissimeque patrone Nausea. Dat. uocysime, Lithomericij, ult. octob. An. &c. xxxvii.

Ecquid obsecro est, quod nil de Ioanne Metzingero mihi scripti sit: scribas precor, ut res illius habeant.

IOANNES MENTZINGERVS, ETC. ORNATISSIMO
D. D. Friderico Nausea, concionatori et consiliario Regiæ, Domino et amico suo candidissimo.

Non potuit ulla mihi hæcenus dari occasio, iam inde & ab habitu tuo, uir doctiss. quæ aliquid ad te literarum dare licuisset. Nunc cum utique oblata sit, eam negligere non uis: necque committere, ut non in hac etiam parte intelligas, Metzingerum tui semper memorem, nihil perinde cupere, atque tibi bonisque omnibus esse te commendatissimus. Apud nos interim nihil magno perere nouatum est, simulatque abieris: communi more et modo uertunt omnia. Ego nescio quibus quorundam non bonis admodum dolis (consilijs dicturus eam) in Vniuersitatis negotia & consilium intrusus sum, ibique statim in me illud Rectoris officium coniectum: quia

Dd 3 præter

præterquam quod molestum, etiam odiosum uidebatur. Præben-
da autem lecture per Dietenbergium uacans, contra bullam Apo-
stolicam, ex Vicarij aliorumq; cōsensu collata cuidam Licētiato Pe-
tro Aldeno, plebano in Elfelden. Sic mihi labores etiam facultatis
Theologicę cum molestia deterēdi sunt, & deuorandi, alijs interim
fructus auferentibus. Mihi cum alijs nostrę urbis concionatoribus
non bene cōuenit, quod etiā nuper Eckio nostro conquestus sum,
consilium in hoc ab eo petens, quod etiam à te mihi dari cupio. Dū
enim illi quasi canes muti, popularem tantum spectantes applau-
sum, uniuersam fidei Catholicę defensionem negligunt: eam par-
tem mihi quasi proprię relictam, subinde sumo, contra hæreses &
uitia pro uiribus inuehendi. Quod heri quoque in festo Martini, in
concionē frequentissima, & antea aliquoties feci circa uenerationē
& inuocationem sanctorum. Videtur enim hoc dicēdi genus apud
plebem esse ualde necessarium, ut in ijs quæ fidei sunt & religionis
nostrę summa capita, eo diligentius instruantur, quo magis nunc
contemnuntur. Id dum bono animo molior, si forte ex zelo, qui nō
secundum scientiam est, erro, cupio per Reuerendissimum Domi-
num Viennensem & per te piē informari. Magistrum Osualdum
non est quod commendem, quem scio iam antea tuum esse. Facta
men ut intelligat aliquando, promotionibus tuis se non mediocri-
ter adiutū. Interim doctissime & candidissime mi Nausea, in Domi-
no uale fœliciter. Et si per occasionem licet, rescribe. Datum Magū-
tiæ, XII Nouemb. Anno MDXXXVII.

Domino Ioanni Hasenbergio, iam per ociū & tempus scribere
non potui. Scio enim illum non nisi longissimas ex me desiderare li-
teras. Rogo igitur, illū ex me amicissime salutes: ac uicissim mihi etiā
imperes, quicquid hic in tuam gratiam efficere potero.

IOANNES HASEBERGIUS, ETC. FRIDERICO
Nausea, &c. Domino & patrono suo facillē Principi, S.

Relatus est ad nos rumor, clariss. atq; idem opt. max. Do-
mine Doctōr, patronē in summis officijs prosequende,
nostros esse à Turca fusos. quod si est, meritō nobis thre-
nodia occinenda est: sin minus, lætū Pæana censeo, & io-
triumphe, cantandū. Sed nosti, uir & theologē consummatissimē,
Famam apud Homerum, doctrinarum omnium parentem, deam
esse, si quam aliam, longē multoq; loquacissimam, & linguacissimā,
ut mobilitate sua uigeat, & uires acquirat eundo. Hic inquam siue
rumor, siue fama, Reuerendum patrem Vicarium & me in maxi-
mam tristitiam coniecit. Eapropter cōmuni sententia decreuimus,
ut te ad Præposituram Reuerendiss. Domini Viennens. pietatis et
sanctissimorum studiorum Achillis, & ad nos inuitarem, ut unā
cum nobili et ornatissimo uiro Domino Floriano Griesbeckio (qui prope-

propediem ad nos aduolaturus est) ad nos animi gratia aduenires:
quod per omnes Camœnas, Charites, & Musarū præsidem Apol-
linem efflagitamus: ut, si fieri poterit, ad nos uenias, & nobiscū pau-
lulum te oblectes. Nullus enim gratior hospes in penates nostros
aduenturus est, quā tu. Cupimus benignum responsum ad hoc,
& ad priores literas. Ego uerō peto unicum exēplar epistolarum.
Quia quod habui, hoc D. Hieronymo Gualtero obtuli. Qui iussit
te saluum. Vale ter opt. et amicissime Domine Nausea. Datū Litho-
mericij, in die Simonis & Iudæ, Anno MDXXXVII.

FERDINANDVS DIVINA FAVENTE CLEMEN-
tia Rom. Rex semper Aug. &c. Honorabili, &c. Friderico Nausea,
consiliario & concionatori nostro.

Honorabilis, deuote, dilecte: Redditis nobis literis tuis,
quibus nobis ostēdisti, res tuas priuatas magnopere pe-
tere, ut huc uenires; nolle te tamen absq; nutu nostro
isthinc discedere, haud prætermittēdum sanē duximus,
quin te ad nos accerferemus. Quem alioquin consultō istic perma-
nere, antea uolebamus, ut ne protectione ultrō citroq; suscipienda
defatigarere. Quare cū ob negotia tua priuata, tū nostri causa huc
te ad nos conferre poteris: & quo citius ad nos ueneris, eo libentius
te uidebimus. Datum in ciuitate nostra Vienna, die xxv Octob.
Anno MDXXXVII. Regnorum nostrorū, Rom. VII. aliorū XII.

VVIGANDVS DEI GRATIA EPISCOPVS BAMBER-
gen, uenerabili Friderico Nausea, Rom. &c. Regis consiliario & concion.

Venerabilis, excellens, & nobis singulariter dilecte: tibi
in præsentia significamus, nos in quibusdā negotijs mit-
tere, uenerabiles, excellētes, et honorabiles, nostros cō-
siliarios dilectos, deuotos & fideles, PAVLVM Neidec-
ker, nostrum in spiritualibus Vicarium, nostræq; Collegiatae ec-
clesiæ sancti Gangolphi in hac nostra ciuitate Bambergæ Præposi-
tum et Doctōrē. Et CHILIANVM, iam nostrū secretariū, ad Rom.
Regiæ Maiest. Domini nostri gratiosiss. Curia, fauorabiliter & di-
ligēter petentes, ut ipse (quatenus cōmodē fieri poterit) eos ita pro-
mouere non graueris, quo possint illic nostri consiliarij eo citius &
audiri, & expediri. Id quod erga te fauorabili gratiosaq; uolunta-
te promereri studebimus. Ex Bambergæ, die Martis post Cathari-
næ. Anno Christi nati, MDXXXVII.

IACOBVS SADOLETVS CARDINALIS DOCTIS-
simo Friderico Nausea, S.

Itubans infirma manu, contra ualetudinis commo-
dum, hæc ad te, mi Nausea, scribo, ut succensere mi-
hi desinas. Etenim scito, biduo post, aut triduo,
quā accepisti literas tuas, & illam eruditissimam ora-
tionem, qua me sanē nihil unquam delectare potuit magis, me
in gra-

in grauem morbum incidisse, febrisque uexatum, eò adductum fu-
 ille, ut aliquando de mea uita desperatū sit, quo tamen periculo Dei
 clementia liberatū, in ipsa morbi remissione, nondum nec mente,
 nec corpore satis cōsisto. Quod si tu humanos casus considerare uo-
 luisses, omnia prius cogitare debebas, quā me neglecti officij accu-
 sare: et si gratum id quidem mihi accidit. Video enim & beneuolen-
 tiam erga me tuam, & desiderium literarum mearum. Ad Melan-
 chthonē scripsi, bono, ut mihi uisus sum, consilio: sancto quidem &
 pio certē. neque enim aliud quæsiui, nisi conciliare eius uiri beneuolē-
 tiā. Quod si ex sententia mihi successisset, crede mihi, aliquo præda-
 ro munere Christianā rempub. affecissemus. Cur autem eā literæ
 tantopere reprehendatur, causa certē non est. nihil enim est in illis,
 nisi priuata familiaritate perscriptum fortasse aliquanto humiliter,
 quā nostrā dignitas ferat. Sed ego inter homines grauitatem meā
 conferuo, in causa Dei depono. Siquidem & Dauid ante aram Dei,
 pietatis memor fuit, nō dignitatis. Nā quod ego ad Lutheranos de-
 sciscam, quis suspicari ex illa epistola potest? cum testificer in ea, me
 opinionibus ab eò dissentire. Amo ingenium Melanchthonis, do-
 ctrinā laudo: sententiās certē non probo. Ex quo mirū ualde mihi
 accidit id quod tu scribis, uideri me hīs literis, & summum uirum SY-
 MONETAM, et totum Cardinalium collegium quasi perstringere.
 Hoc tu, quæso, quibus ex uerbis epistolæ meæ colligere potuisti?
 Ego collegis meis omnem meum ubique honorem defero, & in Ca-
 tholica ueritate constantissimus sum: eroque, quoad uiuam: potiusque
 de uita, quā sententia decedam. Cupiebam plura, sed languor ani-
 mi corporisque prohibet. Cum ualetudinem recuperaro, crebriori-
 bus literis te refarciam. Interea, quando imprimenda mea epistola
 id agere cepisti, de quo ago tibi gratias, famam & existimationem
 meam tibi commendo. Vale mi Nausea, & nos perpetuo dilige. Ex
 urbe, x Calend. Decemb. Anno MDXXXVII.

BERNHARDVS MISERATIONE DIVINA S. R. E.

Card. Episcopus Trident. Friderico Nausea suo, &c. s.



Enerabilis, egregie, nobis sincerè dilecte: Reuerendus
 Dominus Viennensis antequam tuæ de XI præsentis
 ad nos perlata fuissent, Maieft. Regiam de habitatio-
 ne tibi impetranda allocutus erat: effecerat que apud
 suam Maieftatem, ut ea percursori suo in mandatis dederit, de di-
 cta habitatione ab illo tibi prouideri debere. Quod te latere nolui-
 mus. Bene uale. Datū Crembs. XVI Decēb. Anno, MDXXXVII.

GEORGIVS VICELIUS ETC. MAXIMIS REBUS

Ornatissimo uiro D. Friderico Nausea, Regio Ecclesiastice, ac consiliario,

Domino fratri, longe chariss.

Poeta



Oete fabulantur nescio quid de cesto Veneris, re quapi-
 am efficaci. Quid Homericæ luno senserit hoc accepto cē-
 sto, me quidē latet. Ego certē tuis acceptis literis, è Fran-
 cofordia redditis, ita affectus fui, ut nullo cesto potue-
 rim amplius. Tuæ literæ rapiunt, trahunt, tenent, quotquot eas le-
 gunt. Inest in eis uis aliqua, & hæc nimirum diuinā, qua inflammas,
 qua incitas, qua denique recreas animos. Utinam queam paria facere.
 Cæterum conqueſtiones tuas eo fermè uultu legi, quo tu meas le-
 ges, nepe tristi. Synodi frustrata spes ita tristificat pia pectorā, ut tuix
 aliquid magis. Væ, uæ Christiano orbi, uociferor magnā uoce, uæ
 uæ Italis, Gallis, Germanis, si qui præpediunt opus Domini. Malè
 sit Sathanæ in æternum, cuius suggestione ac ductu, res Christia-
 næ tam infeliciter succedunt. Concilium retrogreditur. Bellum
 progreditur. Huius, quantæ tristitiæ materia? Quod uult Deus,
 quod desiderant angeli, quod suspirat electorum chorus, non fit.
 Contrā, quod uult Sathan, quod cupiunt mali spiritus, quod op-
 tant impij homines, id fit. Mundus caput inter nubila condens præ-
 ualet, portæ inferorum coeperunt reparari, Cacodæmones ruptis
 carceribus imperioque dominantur. Nolebam queri, sed nolenti ir-
 repunt isti modi, mirum si Lyrici. Leges conqueſtionem editam,
 in qua dolori continuo uolui satisfacere: at non ferè satis. Ploratus
 Rachaelis Propheticæ, & dolorem Niobes Poeticæ, existimo iocum
 esse, si existimetur cruciatus zelantium pro domo Dei. Vale Do-
 ctissime Nausea. Islebrij, Circumcisionis Iesu Christi. Anno Domini
 eiusdem, &c. XXXVII.

IOANNES HASENBERGIUS, MAGNIFICO, CLARIS-
 simo & elegantissimo D. Friderico Nausea, Regio conciona-
 tori & consiliario, &c.

Sit tibi sancta precor Iani fortuna Calendis,

Donet & insertam secta placenta stipem.



Iteræ tuæ mihi magno fuere & solatio, & summo oble-
 ctamento, utpote in quibus tuum in me germanum a-
 morem declaras: quo nomine, hoc in nouo anno, tantum
 non gaudio & læticia temulētus fui. Gratulor reditū ex
 Styriæ metropoli Græcio tuū. Beasti nos, qui de cōcilio certa scripse-
 ris, et Bullā trāsmiseris. ðfelix nūcius, foelicior bulla, et ð foeliciſsimū
 & amoenissimum indicti concilij tempus, florib. rosib. lilijisque deco-
 ratum. Pergas, obsecro, hoc ipsum promouere, per S. R. Maieftatē,
 per magnificentissimum Dominum Card. Tridentinum, per nū-
 cium Apostolicum, & Meccœnatem nostrum D. Episcopum Vien-
 nensem. Si nobis Bohemis, & mihi etiam liceret adesse, &c. Vnum
 est, quod bona fide, & maximo cum dolore aperio tibi. Accipio ex
 literis & instructionibus, suam R. P. animum & gratiam à me auer-

tere:

tere: quæ res tantū non me demētat, sed & in insanā melancholiā re-
digūt. Non opto mihi hoc tempore, nec Decanatū, nec Præpositu-
ram, nec lautius quid, cum indignatione talis Episcopi, de quo post
Deum summè sentio. Quæso ita aliquando per insinuationē agas,
ut si fieri potest, hæream in aliqua gratiæ & fauoris parte. Non pote-
ro lætari, nec ridere, nisi mihi pharmacum consolationis rescripse-
ris. Vale quàm lautissime. Lithomericij, IIII Ianuarij, Anno, & c.
XXXVIII.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS,
etc. D. Friderico Nauſeæ S.



Alutem, & omne bonum. Ecce hac ipsa hora, cum Li-
thomericium uenissem, missus est ab Episcopo Misneñ,
alius nuncius, qui literas attulit iuxta descripta his in-
troclusa, & inuenies rem consecrationis eam ac talem
elle, ut ad consecrandum unus sufficiat Episcopus. Sic enim disun-
ctiua summi Pont. habet. Progredior itaq; sine suffraganeo, alsit Pa-
tauieñ. siue etiam nihil obtentum sit. Nam non est difficultas ulla. Et
mirum mihi uidetur, quod in re tam ardua Episcopus Misneñ. non
fuit oculator, quàm ut sua uideret. Hæc ad te propterea perscribe-
re uolui, ut ea declarares Reuerendis. Domino Card. & Episcopo
Tridētiño, ac etiam Reuerendis. D. nuncio Apostolico, Episcopo
Mutineñ, utriusq; nostrū Patronis opt. ut resciant illi, in quo statu
negotium hoc sit. & ne suspicari possint, me rem aggressurū, cuius
authoritas mihi concessa non sit. Nam ab obedientia & obseruatio-
ne S. R. E. discedere non uolo, uel minimum digitum, etiam si con-
sistan t aduersum me castra. His in Domino bene uale. Lithomeri-
cij, V. Feb. Anno MDXXXVIII.

FRATER MARTINVS ORDINIS MINORVM, COMMISSA-
rius generalis in regno Poloniae ac Boemiae, cum uniuerso Capitulo Cracouiae celebrato,
etc. Excellentiss. Domino Friderico Nauſeæ, Doctore celeberrimo, Regio-
concionatori & consiliario, Domino obseruandissimo.



Xcellentiss. Domine Doctore, post singularē animi mei
deuotionē cum omnium honorū incremento, & c. Nil nobis & patribus nostris extitit antiquius, q̄ honestis & iu-
stis petitionib. procerū deuotorū nostri ordinis morē
gerere. Propterea cum tu ad nos in commendationē patris Vicarij
Iodoci Rausch Boemiae Vicarij literas dederis, adhærentes nostro
instituto, nolimus secus facere, quàm tibi gratificari. Eumq; patrē
prænommatum, alioquin de nostra religione benemeritū, ob mul-
tos labores eius perpeſſos, & eximias uirtutes, gratijs & fauoribus
amplioribus etiam honestādum duximus. Quem tibi uicissim cum
nostris sedulis ad Deum Opt. Max. pro te orationibus commenda-
mus. Cracouiae, die IX Feb. An. & c. XXXVIII.

PETRVS VORSTIUS, EPISCOPVS AQVENSIS, ETC. DO-
ctissimo uiro D. Friderico Nauſeæ, Regio consiliario, etc. S. P. D.

Reueren-



Euerēde Domine, uir dignissime. Inter alias incommo-
ditates, quas in legatione mea tuli, illa magna fuit, quod
te non licuit uidere. Pro ueteri enī in amicitia nostra, &
singulari doctrina ac humanitate tua, per gratū fuisse,
tuo colloquio frui: cuius spero per Concilium nobis commodi-
tatem oblatūri. De cuius foelici successu firmissimam spem teneo,
si modò pax inter Principes, de qua omnibus certa est spes, succe-
serit. Cum istic existens, tum etiam nunc præsens, sanctissimum
Dominum N. cum de uiris doctis in clytæ nostræ Germaniæ, & de
sede Apostolica benemeritis, puta de R. D. Episcopo Viennē. Co-
chlæo, Eckio, ac alijs certiozem redderem, etiam de te honorificam
mentionem feci, & continuò faciam. Vale diu foelix, Roma, XI Ia-
nuarij. Anno MDXXXVIII.

PAVLVS NEYDECKER, SANCTI GANGOLFIBAM-
bergenſis Præpositus, etc. Reuerendo doctissimoq; uiro Domino
Friderico Nauſeæ, sacre Rom. Regiæ Maiestatis con-
ſiliario & concionatori dignissimo, Domino
& amico charissimo.



Euerēde atq; doctissime uir, salutem, suiq; commenda-
tionem. Redijt ad nos is tabellarius, qui proximis dieb.
ad te, per D. Casparem Mainum, Decanum meū, apud
S. Stephanum, ob tua negotia, Pragam usq; missus fue-
rat: qui & de te amicas salutationes mihi detulit, pro quibus gratias
ago, quàm gratissimas. Idem deniq; tabellarius nobiscum uulga-
uit, quod nobilis Dominus Laurentius à Streitperg, nuper cum re-
liqua tunc regia militia, à Turcis captus, & Albam Grecam ductus,
inde Pragam liber redijt: & quod ipse tabellarius cum eodem
Laurentio, quem optime nosceret, proximis eisdem diebus, illic Pra-
gæ sermonem habuisset. Qua relatione idem tabellarius ipsius Lau-
rentij matrem, residuumq; fratrem domi supra modum exhilara-
uit, spem salutis, & simul metum, si fortè uera non diceret, incuti-
ens. At magis certiorari desiderantes, parens frater que præfati,
præsentium latorem ob id expediunt, ipsum Laurentium certius in-
quirendo: meq; rogarunt, tibi ea de re scriberem, quo & tu pro tua
humanitate, præsentī tabellario ad inuestigandum Laurentium con-
silio esse, & quid uerum sit ea in re, ad me rescribere dignareris.
Non igitur potui in tam desiderato negotio, rogantibus deesse ami-
cis. Quocirca & ego supplex peto, digneris nostris precibus annue-
re, & de liberatione Laurentij sinceriozem ad me ueritatem rescri-
bere. Quod nos, cum licuerit, affectuosissime promerebimur. A-
pud nos uulgatum omnino est, Dominum nostrum Imperatorem
futuro mense Ianuæ in Italia affuturum, & inde Germaniam ocys
petiturum, pro celebrandis Comitijs Imperialibus. Locum autem
Comitorum, Serenissimum D. nostrum Roman. Regem designa-

Et 2 re

re debere. Vnde passim creditur, eadem Comitum Norinbergæ celebranda. At si à me uotum rogaretur, ego accommodatissimum locum eligerem Bambergam, ubi amplissimæ & amœnissimæ Curia Canonicales, ciuium domus capacissimæ, loci ubertas & situs salubritas omnibus procul dubio abundè satisfacerent, ut uix locus alius illi in Germania ad eum usum adæquari possit. Quod tu etiam facile tecum æstimabis, atq; Regiæ Maiestati lucidius recensere poteris, etiam hic uigere religionem incorruptâ, quod in primis suæ Maiestati & Domino nostro Imperatori complacebit. Optimè uale. Datum Bambergæ, x x i i i Martij. Anno, &c. x x x v i i i.

IOANNES FABRI EPISCOPVS VIENNENSIS, FRIDERICO NAVSEÆ, &c. S. P. D.



Cio te pro tua in nos amicitia sollicitum esse, num & rectè ualentes Viennam uenerimus. Ab hac, & tam amabili cura, te alioqui animo & rebus afflictum, liberare uoluimus: tibi que nunciamus, nos unâ cum nostris, etiam usq; ad catellum, saluos & incolumes, hesternâ die Viennam uenisse, nec aliquid incommodi in hoc quinque dierum spacio passum, ita enim direxit Deus Optimus Maximus gressus nostros, fuit que ductor & protector noster, ut læti susciperemur à nostris. Habuimus hodie laborem cogitatus nostri, hoc est, ut per sequentes dies subditis nostris, à Deo nobis tanquam pastori creditis, sex opera misericordiæ continuè prædicationibus prædicaremus. Deus faxit, ne uires euangelizaturò desint. Reliquum est, ne obliuiscaris gratias agere Serenissimo Regi, pro tam clementi consensu, quem nosti. Mirum auditu est, quantam ædificationem Libellus de sacramento inter semicredulos fecerit. Restat, ut etiâ inter occupationes tuas, reuera magnæ molis, cõmendes nos Serenissimo Regi nostro, Principi omnium clementissimo, & uerè Catholico. Item Reuerendiss. D. Cardinali & Episcopo Tridentino, cõmuni & nunquam satis laudato Mecœnati nostro. Præterea Reuerendiss. D. Episcopum Mutinensem, nuncium Apostolicum, ac incliti Senatus Veneti Oratorem, de meliori nota salutare, & amicitiam nostram & omne bonum pro nobis polliceri non graueris: ac ualeas. Viennæ, x v i i Martij. Anno Domini M D x x x v i i i.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS, ETC. Clariss. Domino Friderico Navseæ, &c. S. P. D.



Equas multas, neq; prolixas ad te dare literas dæ, propter ingentes non huius mundi, sed uitæ æternæ occupationes, nihil enim utriq; tam tibi quàm mihi, adeò frequēs, & assiduum est, quàm hoc tempore, cum ita Deus dederit, oues ad recta pascua ducere. Videres hominum frequentiam, & quidem frequentissimam. Volunt sese omnes Mandato Regio, seu potius mandatis Christi, & obseruationibus Ecclesiæ

sic obtemperantes facere. Deo sit gratiarum actio, & laus. Nam hæc omnia, quæ fiunt, ad laudem Dei pertinent. Tuos autem labores à meis dimetior. Qui cum Regiæ prædicas, uerisimile prædicare diceris decies centenis millibus uiris et mulieribus. Ab his enim, & orthodoxo illorum exemplo, pendet multo plures, quàm fuerint ad pugnandum apti & idonei, qui fuerunt in castris Israel: id quod hoc generale mandatum pro religione, hoc anno, docet, & re ipsa testatur. Expecto num gratias egeris, aut in colloquio steteris cum sacra Regiæ Maiestate. Vale, Viennæ. x x v Martij. Anno à Christo nato M D x x x v i i i.

VVOLFANGVS ZYMERANVS, ETC. REVERENDO D. Friderico Navseæ, S. Ro. &c. Regis Ecclesiæ & consiliario, &c. S.



Eueren de Domine, nouem exemplaria Christianarum precum, per puerum tuum mihi exhibitâ, secûdum petitionem tuam sacra Reginali Maiest. Domine meæ gratiosissimæ, ex persona tua præsentauit. Interim suæ Maiestati te humillimè commendans. Quæ quidem munera prælibata Reginalis Maiestas sanè pio animo suscepit: unūq; ex huiusmodi libellis filia dilectæ Catharinæ tradidit, matèrna monitiõè iniungens, ut q; religiosissimè seruet, donec per ætatè literis edocta, eundè legere, fidemq; Christianam & ueram orandi regulam ediscere queat. Mihi uerò mādauit, reliquos octo per postam Oenipontem uersus delegare, ibidem inter cæteros Regios liberos per Dominum Volandum diuidendos. Senti certè exinde, eiusdem sacra Reginalis Maiestatis in te gratiosissimum animum, summa que pietate propensum. Hæc te latere nolui. Cui me tanquam singulari patrono, sincero studio, officiosissimeq; cõmendo. Datum Pragæ, i i i Aprilis. Anno M D x x x v i i i.

MAVRITIVS AB HVTTEN, PRÆPOSITVS HERBIPOLENSIS, &c. Ornatis. uiro, Friderico Navseæ, &c. Regio consiliario & Ecclesiæ, &c.



Enerabilis atq; egregie Domine, amice colende, x x i i Februarij accepi tuas literas, i i i eiusdem mensis Pragæ datas, quibus assignatæ pensionis super Præpositura mea, centū uidelicet florenorū dimidiam partē iam debitam petis. In quo etsi minimè opus fuerit pluribus me rogare, agnosco tamen singularem humanitatē tuā, & animi modestiā, quod etiam ea rogas, quæ uel tuo iure postulare posses. Itaq; libet precibus tuis locū relinquens, atque annuēs, quinquaginta aureos, pro dimidia huius annuæ pensionis adolecenti familiari tuo, qui mihi tuas literas reddidit, numerari curauit: alterā eius partē, debito etiâ tēpore fideliter daturus, idq; in hac urbe: qd ita posthac fieri te uelle, adolescēs mihi tuus significauit, estq; mihi omnino gratū. atq; hoc quidē

Ee 3 ut tibi

ut tibi id pensionis semper liberaliter curemus, nō modo fidei meę, quę intercessit, uerum etiam studijs, laboribus & industrię tuę, quam ad propugnandam & illustrandam ueram religionis doctrinam prorsus collocas, ingenuę me debere profiteor. Nec etiam opus ad hoc est, Curtisanica ista, in illis, de quibus scribis, literis mihi insinuandis, solennitate: quę si nullę extrarent, fidem tamen meā minimē fallerem, & ea quę nudis nunc uerbis recepissē, seruare haud recusarem. Plus enim inter nos fidei & integritatis esse debet, quā ut eam diplomatibus & sigillis metiremur. Quocirca sic tibi persuadeas, me ea officia quę boni sunt uiri, & uel maximē ea quę ad Christianam rempublicam fouendam spectant, lubentissimē & diligentissimē semper paratū fore prestare. Porro specimen elucubrationum tuarum, quod presentium lator mihi attulit, grato animo & lubentē quidem accepi, præsertim a doctissimo uiro profectū, & pietatis doctrina præstans. Iam pridem autem ad tuas literas respondissem, nisi famuli tui longius abhinc misi cunctatio id prohibuisset. Cuius reditum ad hunc usque diem expectauimus. Quare quod tardius scripserim, illi assignes: & me his paucis tibi tu isq; rebus ex animo bene cupere pollicere. Vale feliciter. Ex Herbipoli, XVII Ap. Anno MDXXXVIII.

IOANNES HANERVS, ETC. EXIMIO LL. AC
*sacrae Theologiae D. Friderico Nauſeae, Regio consiliario &
 concionatori, &c.*



Larissime Domine Doctor, absfuit è Lyphia tabellarius, qui tuum librum, unā cum literis attulit Reuerendo patri Reynero à Streitperg, Cathedralis nostrę ecclesię Decano. Is me mox, perlectis literis, ad se uocauit, suāq; mecum communicauit consilia, rogauitq; ut te per proximum nunciū rationum suarū certiorē redderem: iussit que ut scriberem, quod nondum sibi commodum uisum fuerit quicquā cum Capitularibus, eius de quo tu significasti, nomine agere: utpote certo se oleū & operam lusurum. Ideo delituisse, ne honestę preces eorum, de quibus metuit, indignis calculis præpedirentur. Facturum tamen se pro sua mediocritate, tam in tuam gratiam, quā ut tam piū & necessariū opus iuuet, quod census suus ferat: ac proinde, si quid sua contributio laudabili huic instituto conferre possit, se numerarum sponte triginti aureos. obtulit que etiam se, quamprimum hoc commodē per occasionem fieri possēt, cum Reuerendissimo Episcopo uerba facturum: inclinaturū que in simile propositū, clementię illius animū, si modō non antea illū ad id ipsum promptum inuenerit. Multaq; prudenter ac cordatē in hanc rem de Prælatorum & Principum supina negligentia differuit: ut mihi non aliud licuerit deprehendere, quā animū admodum in te

in te & tuā studia propensissimum. Hęc, eximie mi Nauſeae, quoniam per primam opportunitatem iussus sum ad te scribere, latere te nolui. Iuxta me tibi commendans, teq; orans, ut patiaris Hanerum, uel postremum inter amicos locum tenere. Esto enim, neque doctrina neque eruditio in me tanta sit, quę id iure aliquo est impetrare possit: tamen quia mihi haud leuius pietatis studium est, quā in literis, quas tu arcetē complecteris, non puto te hanc charitatē mihi negaturum. Vale uir clarissime, è Bambergā, ult. Aprilis, Anno &c. X, XXVIII.

GERVICVS PLARERVS MONTIS S. MARTI
ni de uineis Abbas, &c. Reuerendo Friderico Nauſeae, sacrae Theologiae & LL. Doctori, inuictissimi Rom. &c. Regis consiliario et concionatori, Domino & præceptoris suo in primis obseruandissimo.



Alutem, & obsequia quę uis parata. Domine ac præceptor obseruandissime, Tragœdiam Dominicę passionis Domino cōfratri meo Campidoneñ, et mihi conuictim dedicatā, ceterosq; Sermones Theologicos à te editos, literas itē tuas per familiarem tuū presentatas, summo cum gaudio excepi, exceptasq; tū amicissimē sum exosculatus, partim quod ad uenerint mihi à Regio ecclesiaste, qui licet diu noctuq; tū regijs, tū sacris obrutus sit negotijs, sui tamen interim haud immemor fuerit discipuli, non secus atq; fidelissimus quisq; præceptor: partim, quod causam et argumentū præbuerint, quo minus ab incepto concionandi desistam. Probē quidem atq; piē abs te factum, qui calcar & stimulum equo minus currētī addideris. Gratias igitur ago, & habeo, quas possum maximas, qui Domino et cōfratri meo Campidoneñ, Dominicā dedicaueris passionē, quicq; inter nos cōtractæ amicitiaē nō es oblitus. Hinc multū tibi debere me fateor: ac procul dubio, si aliquādo per fortunā licuerit, refusioni studebo, acceptū relaturus, gratiq; discipuli officiū obliuioni minimē tradā, imō perpetuę gratitudinis debitum intensissimē semper obseruabo. Demū offero me ipsum tibi integrum, non aulicū, sed syncerum & cordatū amicū dedo, & commendo. Vale, domine præceptor fidelissime, ad uota semper. Ex Vueingarten. VI Maij. Anno MDXXXVIII.

BERNHARDVS CARDINALIS, ET EPISCOPVS TRI-
den. &c. uenerabili, &c. Friderico Nauſeae, &c.



Enerabilis, egregie, nobis sincerē dilecte. Iam tuę literę, quanquam nobis ob eandem causam tuam à Domino Viennensi scriptę fuerint, nobis planē indicant, quid à nobis in rem tuam præstandam desideretur. Verū tamen scis, quod quantum in nobis est, cupiamus causas tuas fouere: & ea simus facturi, quę intelligimus tibi prodesse

desse posse, quum hæ taxarum remissiones non soleant nisi ex causis urgentissimis concedi: nec integra, sed tantum pro dimidia est iam soluenda. Illud porro difficultatis accedit, quod neq; Pont. iam sit Romæ, & horum pleriq; ex his qui rem magis iuuare possent, ad quos scribitur, absentes sunt à Curia omnes. Tamen literas Romæ transmitti curamus, et opera Domini Gabrielis Sanzes, singulis suas reddi, id quod ad tuam respōdisse uelimus. Ex oppido nostro Rippe, xxiii Maij. Anno Domini MDXXXVIII.

Post scripta, literas, quæ Romam erant dirigendæ, diuisimus, aliquas Vincetiam misimus ad Campegiū, Symonetam, et Brundusium reliquas ad Comitem Leonhardū Nagarolam, apud Pont. agentem, qui rem curabit.

EPISTOLARVM MISCELLANEA

RVM AD D. FRIDERICVM NAVSEAM BLANCICAMPIANUM, Episcopum Viennensem, singularium personarum, Liber Septimus.

LAURENTIVS CAMPEGIVS CARDINALIS, ETC.
Reuerend. uti fratri chariss. D. Friderico Naufæ, Serenissimi Rom. &c. Regis consiliario & concionatori, S.



REVERENDE, uti frater charissime, quid in causa coadiutoria actum fuerit, tuus, qui has ad te deferri, nuncius optimè declarabit. Tibi quidē, quod ego potui, & diligenter & amanter præstiti, pluraq; me potuisse cuperem, ut maiorem erga te uoluntatem meam experireris. Gratulor autem tibi dignitatis accessionem hanc factam esse, qualem tuæ uirtutes merueris: idq; ut sempiternæ tibi laudi atque honori sit, à Deo optimo maximo supplex peto. Libros, quos mihi tradi uoluisti, accepi: eosq; tuæ in me beneuolentiæ tanquam gratissima pignora, & sæpius legam, & inter ea quæ habeam chariora omni tempore retinebo. Vale, Roma, septimo calendas Maij. &c.

IACOBVS SYMONETA CARDINALIS, ETC. REUERENDO D. FRIDERICO NAVSÆ, REGIO CONSILIARIO & CONCIONATORI, TANQUAM FRATRI CHARISSIMO.



REVERENDE Domine, tanquā frater honorāde, legi literas tuas perhumanas, quæ quidē mihi fuere gratissimæ: sunt enim plenæ amoris, & beneuolentiæ. Quam obrem fieri non potest, ut suspicer te mensibus præteritis aliqua obliuione rariùs ad me scripsisse. Nam semper puto de te bene loquendum, & optimè sentiendum. Quantum uerò pertinet ad expeditionem Coadiutoria, gratulor in primis tibi, quem, pro quam

quam plurib. suis in rem publicā meritis, uideo altius uocari, nil tale cogitantem expeti ad Dei ministerium. Mouet corda hominū Deus, mouet mentes, dirigit actiones, dum uult & uirtuti præmiā & uitij poenam tribuere. Respexit labores tuos, pietatem tuam, constantem in sua seruitute famulatum: inspirauit ideo animum laudatissimi, ut audio, Episcopi Ioannis Fabri, qui ut ipse est cumulatus, uel, ut melius dicam, consummatus Episcopus, ita non imparē uult sibi suisq; ouibus relinquere successorem. Infudit & hoc Serenissimo Rom. &c. Regi, nō minus religioso, quam bellicoso: perfecitq; ut eius Serenitas ea de te ornādo cogitaret, quæ debeat multo antè & cogitare & perficere. Tu uerò quando ad sacerdotium tanquam Aaron uocaris, te ipsum erige. Sed utinam multi Episcoporum, qui hodie sunt in Ecclesia Dei, essent Naufæ similes. Profecto nō laboraremus, non uideremus has miserias & calamitates in domo Domini, quæ uix se tueri potest ab impuritate schismaticorum. Vincetia ultra mensē iam sumus legati, Reuerendissimus Campegius, Reuerendissimus Brundusinus, & ego, Concilium celebraturi: nec quisquam comparet eorum, qui tantas excitarunt tragœdias. Vale. Vincentia, xxix Maij. Anno, &c. xxxviii.

VALENTINVS DEI GRATIA EPISCOPVS HILDESEMENSIS, &c. REUERENDO & EXIMIO UIRO DOMINO D. FRIDERICO NAVSÆ, REGIO CONSILIARIO & CONCIONATORI, AMICO & FAUTORI SUO OBSERVANDISSIMO, S. P. D.



MAGNIFICE domine D. & fautor obseruandiss. scribo in presentiarum ad Regiam Maiestatem longas literas, de toto statu oppressissimæ Ecclesiæ Hildesemē. & personæ meæ ad eandē Canonica uocatione: & significo Regiæ Maiestati suæ, quo in eandem Ecclesiā & me, Illustriss. Domini Ericus & Henricus Brunswicē, duces sint animo. quarū literarum mearum ad Serenissimum Rom. Regem exemplar cū presentibus ad te mitto, & te uti uirum dignissimū & catholicissimum, ac Regium consiliarium et concionatorem sincerissimum, ex animo oro, tua me auctoritate apud Regiam M. auxilio & consilio iuuare & promouere digneris: in hoc, officium tanto uiro dignum, et Deo Opt. Max. gratissimum es facturus. Ego tanquam Aaron præter omnem diligentiam meam, absens & nescius, ad eandem Ecclesiam uocatus, Maguntinum ocium meum, imò negotium, ac omnem conditionem meam, ob amorem Christi & ouium suarum posthabui: huc uocatus ad labores, ærūnas, & infinitas miserias, ac calamitates. Omnia enim turbatissima intus & foris, in spiritualib. & temporalibus inuenio. Concedat Deus omnipotens, ut pro gloria sua, & animarū salute, omnia in meliorem statum redigantur, ac reducti possint. Tu pro prudentia tua omnia rectius & copiosius cōsidera.

bis, quæ erunt ex necessitate & honore huius tam insignis & miser-
rimè afflictæ Ecclesiæ, illamq; Regiæ Maiestati ardentissimè com-
mendabis. Vale, Ex ciuitate mea Hildesheim, v. Iunij, Anno, &c.
xxxviii.

IOANNES DEI GRATIA EPISCOPVS VIEN-
nensis, Domino Friderico Naufæ, &c. S. P. D.

Recedentibus nobis à Praga, scilicet (Deo sit laus) Tres-
dam uenire contigit, illic omnes aulici honorificè tracta-
ti sunt. è Trefda Budisnam uenimus, illic Regia Maiest.
suscepta est à cõmuni nostro amico, Doctore Cochlæo,
nomine Cleri. Tractati sumus & illic bene ac honorificè, & pro reli-
gione restituenda illic Serenissimus Rex Concionatoris suscepit of-
ficium, & egregiè ueterem ac sanctam religionem publicè tutatus
est ore proprio, & in conuentu procerum et statuum superioris Lu-
satiæ. Inde discedentes, Gerlitium uenimus, et illic simili modo susce-
pti sumus humaniter, Deinde Lignicum, & tandem Vratislauriam
uenimus. Vbiq; malè, imò pessimè habet religio Christi. Fecimus
nos pro officio nostro, & operamur quotidie, ut tantis uulneribus
adhibeatur remediũ. Non deest bona uoluntas Regis, modò det
Deus meliora tempora, quæ hucusq; ualde iniqua fuerunt, & adhuc
sunt. Accepimus hodie literas à Reuerendissimo Domino Cardina-
li & Episcopo Tridentino, quarum copiam tibi mittimus, ut intelli-
gas, quo in statu sint res nostræ. Præterea bonum uidetur nobis,
quia speramus, te illuc, id est, Maguntiam peruenisse incolumem, ut
Regi nostro tuam bonam ualetudinem scribas & declares, quem-
admodum nosti. De Turcis uaria est relatio. Sistent ij cum max. ex-
ercitu, & hærent in eo loco, ubi incurfionem suam uertere possunt
uel in Hũgariam, uel in alium locum. Det Deus, id quod speramus,
ut ad mensẽ sequentem Viennæ esse possimus. His uale, in proxi-
ma posta latius. Datum Vratislauriæ, xiii. Iunij, An. &c. xxxviii.

BERNHARDVS MISERATIONE DIVINA S. R. E. CARD. ET
Episcopus Tridentinus, &c. Reuerendo in Christo patri, Domino &
amico nostro charissimo, Ioanni Episcopo
Viennen. &c.

Reuere in Christo pater, Domine & amice noster cha-
rissime, salutem, & obsequentem uoluntatem. Credimus
tibi iam constare, quàm nobis curæ fuerit Naufæ, uiri
modis omnibus absolutissimi, negotium, quò ad ea que
Reuerendissimo Domino Cardinali Campegio superioribus die-
bus transmiseramus, ab eodẽ responsum sit, quemadmodum ex suis
ad utrunq; uestrũ directis, & per secretarium nostrum ad te missis,
facile patere potest. De his uerò quæ ad Curiam Apostolicam spe-
ctabant,

ctabant, ob urgẽtia (ut credimus) negotia nihil à Comite à Nagaro-
la, quem in sollicitatorem nostrum cõstitueramus, hucusq; percepim-
us. Quod si fiet, quicquid id erit, tibi quàm primũ insinuabimus,
ut intelligas idem negotium nobis non minus cordi esse, quàm si-
bi. Hæc pauca scribimus, ut de successu & bona uoluntate nostra cer-
tior fieres: poterisq; præsentibus nostras prædicto D. Naufæ cõmu-
nicare. Interim ambos bene ualere cupimus. Tridenti, x. Iunij, An-
no, &c. xxxviii.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS,
D. Friderico Naufæ, S. D.



An te triduum de cunctis rebus certior te fecimus: Et
iam nihil est, quod scribendũ esse putemus, quàm quòd
ex descripto literarum Reuerendissimi Domini Card.
Campegij, & forsan etiam ex tuis intelliges, quo in statu
sint res nostræ. De Turcicis rebus uaria dicunt. Sed sunt qui pro cer-
to tenent, eundem hoc anno uelle totam occupare Hungariam, for-
tè dabit Deus, ut illius crudele propositum locum habere non pos-
sit. Vale, ex Vratislauriæ, xvii. Iunij, Anno, &c. xxxviii.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS, NOVAE CIVI-
tatis Coadiutor, &c. Magnifico & generoso uiro, Domino Leonardo
ex Comitibus de Nagorola, amico suo
singulari, S. D.



Bingularẽ beneuolentiã, quam non præter rem fero
in Doctorem Naufæ, & potissimũ, ut religioni & Ec-
clesiæ Viennẽ. melius cõsulerem, superioribus men-
sibus eundem in Coadiutorem ascitui & elegi, ita etiã cle-
mẽter annuente Rege nostro. Missæ sunt huius negotij literæ om-
nes ad Reuerendissimum Dominum Cardinalem & Episcopũ Tri-
dentinum. Is pridie scripsit ad me, iuxta præsentib. inclusum descri-
ptum: quare ualde exhilaratus sum. Noui enim te utriq; nostrũ fa-
uere, & bene uelle plurimum. Rogo itaq; ac iterum rogo te, hanc pi-
am cogitationem bene commendatam habere uelis. Nouit S. D. N.
nouerunt & Cardinales ferè omnes, quos & quantos labores & sum-
ptus pro Orthodoxa religione fecimus, facimusq; quotidie. Propte-
rea non dubitamus, expeditionem habituros nos gratis. Tamen
si scriptoribus decem, quindecim, uel etiam xx ducati fuerint ero-
gandi, honorarij loco: tu non graueris, eos mutuo dare, & numera-
re. Ego enim quantocyus cum gratiarum actione eosdem restituere
curabo. Quod si uicissim hic in curia Sereniss. Regis aliquod hu-
manitatis uel amicitie officium præstare possim, facias ut intelligam,
& factum esse tibi persuadeas. His bene uale. Ex Olomutio Mora-
uiæ, xxv. Iunij, Anno, &c. xxxviii.

Icce iam tertiam ad te scribimus epistolam: à te uerò nullū iora acceperimus. Habes ex introcluso descripto, quàm sollicitus sit Reuerendissimus D. Cardinalis & Episcopus Tridentinus, in rebus nostris communibus. Tuum erit, eidem gratias agere. Rediimus tandem è Silesia, & quidem in maximis caloribus uenimus in Morauiam: & hic, id est in Olomucio, diætam prouincialem celebraturi. Turcus exercitu potenti uenit in Hungariã. Papa, Cæsar, & Gallus, in Nissa simul sunt, simul quidem corporibus, animis uerò adhuc nō conuenerunt. Det Deus pacem nostris diebus. Vale, ex Olomucio, x x v i i i lunij. Anno, &c. xxxviii.

IOANNES DEI GRATIA ARCHIEPISCOPVS TRE-
uerensis, & Princeps Elector, uenerabili, sincerè nobis dilecto, Fri-
derico Nauſea, Regio concionatori, etc.

Venerabilis, sincerè dilecte, obtulit familiaris tuus præsentium lator Libellum, res cōciliare, & in Germanicæ nationis grauamina responsiones complectentem, profectò nobis non ingratum: Quem equidem eo benignius accepimus, quòd illum à uiro doctissimo, qui nullibi etiam nostra prius senserit merita, liberali condonatum animo agnosceremus. Et licet etiam nullo tibi beneficio, ac minus (uti speramus) iniuria, cogniti simus, non tamen (uti bonum Principem decet) tanti muneris, non nisi ex uera liberalitatis uirtute proficiscentis, unquam immemores erimus. Neq̄ dubitare uelis, optime reipub. Christianæ obſeruator, omnes nos, quàm poterimus, pro rebus fidei ac Oeconomici concilij (quorum causa apud nos potissimum esse debet) ueluti cupis, & curam & exactam diligentiam sinceriter suscepturos. Interea tu tamen opus, quod in gloriam Christianæ religionis fortiter cœpisti, foeliciter etiam, uti desideramus, in salutem Germanorum undiq̄ fluctuantium, Deo optimo max. concedente, nihilominus perficere studebis. Vale. Ex oppido nostro Vuesaleni, die diuæ Virginis Mariæ assumptioni sacra, Anno, &c. xxxviii.

GEORGIVS VICELIVS, REBUS OMNIBVS ORNA-
tissimo uiro, Domino Doctore Friderico Nauſea, Theologo & Re-
gio concionatori, etc. S. P. D.

Quod ad te, clarissime Nauſea, in præsentia scribam, non habeo, nisi quòd te ex intimis animi mei uisceribus amo & diligo, non solum ut fratrem, uerum etiam ut patrem. Quoties nominis tui mentio in auribus, meis sonat, toties propemodum exulto. Veritatem dico, non adulator, non mentior. Nec dubito, me tibi non amari minus. Porro quod ad publicum

publicum Ecclesiæ statum attinet, pergo conqueri, pergo lamentari, pergo ad indignitatem rei fremere, Sathan uicit, Sathan triumphat de impedito, neglecto, contempto, irriso Concilio, Illustrissimus Dux Georgius cum primis quærit emendationem status nostri. Sed Sathan, idem qui uniuersale præpedit, satagit quoque ut particulare bonum præpediat. Te Nauſea per summum Christum oro, & obtestor, rescribe, quæ si non tollant, certè minuunt dolorem meum. Utinã alij uel minimam nostræ calamitatis partem sentiant: quo fieret, ut questibus nostris fidem darent. Vale in eo, cui seruimus. Islebij, x x x die Augusti, Anno salutis M D xxxviii.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS, ETC,
Clarissimo D. Friderico Nauſea, etc. S. P. D.



Quæ admodum priores tuæ literæ, nos supra modum, ob ingrauescentem cartarrhum turbauerunt: ita literæ, quas per Bernhardum à Schumburg, adolescentem sane omni uirtutum genere ornatissimum, misisti, nos plurimum exhilararunt. Cognouimus enim ex his, te pristinae bonæ ualitudini restitutum esse. Cura sedulo salutem tuam. Cæterum quòd Capellani nostri causam paruam tam sollicitè egisti, probamus. Tuarum tamen partium erit, ut etiam tua non negligas, utpote te Præbendam Patauiensem, quam nullo pacto negligere debes: est enim honorifica, & aliquando usui tuo cedere potest. Ad noctem hesternam huc ad S. Vitum, Bernhardum duximus. Hic enim hodie concionem aptamus, ut crastina die, si dederit Deus, Viennæ etiam ad S. Michaelem prædicemus, & facta faciamus. Det Deus, ut ad nos ueniat Rex, Habemus panem in abundantia, speramus uina multa: sed, an ut sperabamus, usque ad op. bona, sub iudice lis est. Sodalitium hoc tuum conuiuiale, nostro nomine salutare non graueris. Bene uale. Datū in arce nostra, apud S. Vitum, x xviii Septembris, Anno Domini M D xxxviii.

IOANNES DEI GRATIA EPISCOPVS VI-
ennensis, etc. D. Friderico Nauſea, Regio consiliario & concio-
natori, etc. S. P. D.



Tame malè habet infelix ille exitus Præbendæ Patauiensis, ut uerbis nequeam declarare, quippe ferè hœc hora, qua mortuus est Seifridus, literas meas postæ credidi. Sed ita factum arbitror, ut ægrotationem resciret Rosinus: & sperans uacationem, more Curtisanorum, uenationem instituerit. Iam uides nusquam tutam esse fidem. Credidisti rem tuam Rosino, habet arma tua in manibus: leporem querit, & ipse pulpamentum est. Cum coramesses, ostendit panem, piscem & ouum, absenti tibi præbet serpentem, lapidem, imò & scorpionem, qui cauda te

pungat. Sed habet inuidia semper occasionem. Si cæcus esses, si claudus esses, si lippos haberes oculos, dudum factus esses Patauieñ. Canonicus. Nunc quia doctus es, modestus & honestus es, prædicascum gloria, Regi charus es, et Episcopabilis es, propterea illis Nau-sea breuis es. Et quomodo possessionem possunt dare alteri, cum nullum in manu ius habent? Mira res est. Legatus facultatem non habet, & interim super iure tuo non datur possessio, quæ nam hæc est malignitas & strophæ? Iniuria tibi non fit, sed sedi Apostolicæ. Iustissimam excusationem habet Reuerendissimus Dominus Cardinalis Legatus. Ex regula, Nihil dat, quod nihil habet. Si facultatem non habet, dare nihil potest. Si tibi dare refusat, nil adimat. Neque tacendum esse puto. Solum communi nostro amico declara, Domino Martino Gufmanno. Quod si declarare non uelis, has saltem literas meas ostende. Si tu perdidideris, id quod in proximo est, præbendam Herbipolensem, item & præbendam Maguntinam, & te ægrotare aliquando contingeret, nunquid in rure tibi manendum esset? (quanquam in domo mea manere posses) non ne melius, ut ad ecclesiam Cathedralē aliquam resideres? Et quid dicam? Non parum refert pro domo Austriæ, in hac ecclesia multos Austriacos esse. Sed ut hanc uindicarem iniuriam, scripsi Romam pro te, illic experturus fortunam. Sed sub odoro, cuius sint technæ. Prouidentia Dei factum est, ut heri post sermonem, quem in cœtu multorum millium auditorum ad S. Michaelē sub diuo habui, ac dum essem in uia, redditæ mihi fuerint literæ tuæ. Nam sparte coniectionem, & antequam ambonem & suggestum ascendi, redditæ mihi fuissent, præ indignitate & iniquitate rei, uix me talem præstare potuissem, quale me Deus fecit, & esse uoluit in tanta hominum frequentia. Testis erit tibi familiaris tuus, quantum pro re tua commotus fuerim. Reliqua ex Bernharde, cum quo communicauimus omnia, intelliges. Vale: præcipuos que nostros communes amicos, & maximè Dominum Gufmannum, ac insignis eruditionis & autoritatis uirum Dominum Georgium Ciengerum, & si penes uos est, Cantuinculam, salutare non graueris. Iterum uale. Ex arce nostra, apud S. Vitum, supra Viennam. xxx Septemb. Anno MDXXXVIII.

IOANNES FABRI EPISCOPVS VI-

ennensis etc. D. Friderico Nauſeæ,

etc. S. D.



Ad breuem hanc schedam tuam quod respondeam, non habeo, quam quod pessimè me habet impostorum Patauensium strophæ, ne dicam strupha. Animi mei sententiam declarauit tibi. Porro constitui penes me, quod uelim impensis meis Romam mittere Doctorem Pe-truum

trum Speiserum, ut ipse illic hoc negotium nostrum communitè expediat. Tu interim collige tecum, quid per eundem tractari uelis. nam uoco eum, ut celerrimè per Danubium descendat. Eo illic penes uos trāscunte, tu literas ad Pontificem ac alios Cardinales aptare uelis. Offeret ille Opera mea pulcherrime ligata, pro Pontifice, ac Cardinalibus aliquot. Nolo grauari Gabrielem: scio enim tar-ditatem illius. Tuus Bernhardus heri nonnulla de Prouincialibus commemorauit, & quæstoribus. Vides, num possit esse modus? In summa, quacunque in re prodesse tibi potero, non deero. Spero quod descendurus sis per Danubium, cum Serenissima Regina. Quod si tu ipse simul adueneris, & Cardinalis Tridentinus recusa-uerit esse in mea Episcopali Curia, tu eris in structura noua, & habebis studendi & quiescendi pulcherrimum & ualde idoneum locum. Dabimus quidem cameras, alteram pro te, alteram pro duobus seruatoribus. Edes & bibes in mensa mea, tui uero cum meis edent seruatoribus, & bibent. Equi uero tui edent de pabulo meo, instabulo meo, & erunt mei equi amici equorum tuorum. Et neque aliud constitues penes te. Vale, Viennæ, ex Curia mea Episcopali, septimo Octob. Anno &c. xxxviii.

GEORGIUS AMELIUS DOCTOR ETC. MAGNI ET
*excellētis ingenij uiro, Domino Friderico Nauſeæ, Regio concionato-
 ri & consiliario integerrimo, Patrono suo
 amicè colendo S.*



Maior est, fateor, amplitudo tua, Reuerende Domine, quam ut eandem homunculus ego aut ineptijs meis inturbare, aut imprudens in desideria nostra aduocare debeam. Sed uicit ruborem necessitas, ac pristinum familiaritatis nostræ uinculum peccare coegit. Gratulor itaque in primis tibi, magne Patrone, adeptos honores tuos, amplissimas dignitates, & nomen tuum bonum. Dijs faciant, præstes hoc in honore diu. Caterum audi quæso, commilitonis tui uotum. Ego enim, ut nosti, hæcenus Friburgi ad pulpita iuris ad scriptitius Lector, centum annis aureis contentus penè consenui, iuxta illud Turpillij: Profecto ut quisq; omnino cōtētus fuit, ita fortunatam uitam duxit maximè: ut philosophi isti aiunt, quiduis satis est. Securus interim auræ illius melsis, quam plerique farinæ nostræ quæstuosius uenamur. Verum interea superincumbentis ætatis sarcina, mordax que liberorum superstitione, apprimè rem sollicitant. Quæ causa me ad fauorem tuum decurrere, & animi mei sententiam in humanitatis tuæ sinum depromere coegit. Quandoquidem in animo est, dijs bene fauentibus, reliquum uitæ aut publicis in scholis, salarij accessione facta, transigere: aut eo officio, quo uiri studiosi, partibus suis in iure funguntur, agere com-
 mitem.

mitem. Quanquam utriusque conditionis occasio plus semel sit nobis oblata, ne tamē eam admitteremus, partim effecit necessitas, partim religionis confusio prohibuit. Sed quanto diutius hic fertilitatis messem operimur, tanto magis uacuis aristis illudimur. Quocirca, mi obseruandissime Domine Nausea, si quid est, aut in posterū erit, in quo per occasionem mihi commendatione tua consultum esse putaueris, fac quāso id auctoritate tua olim factum dictumque sentiam. Pro quo immortalī beneficio, uicissim me tibi perpetuum clientem deuincies. Hęc obiter sub ipsum D. Ioachimi Zafij abitū, ad te posthac uberiores daturus. Vale, ex Friburgo Brisgoiæ, xvi octob. Anno, &c. xxxviii.

RVPERTVS A MOSHAIM, I. V. DOCTOR, DECANUS Pataviens. excellentiss. ac humanissimo D. Friderico Nauseæ, Regio consiliario & concionatori, &c. S. P. D.



Quod literis tuis, quibus te in possessionem Canonici tuis nunc uita functi Ioannis à Tieffenbach, immitti cupis, hactenus nihil responderim, non sine magnis causis factum est, quas à me olim coram atque præsens cognosces. Cum autē tu eas literas, quas Dominus Urbanus, procurator eiusdem, consilio meo ad te scripsit, ut minus rectē intellexeris, aut idem Dominus Urbanus easdem præter consilium meum mutauerit, nempe quod Quirinus ille Gallerus expectatiuā suam non à Cardinale iam in aula Regia agente, sed à summo Pontifice certā & indubitata habeat, quemadmodum literę Domini Urbani habebant, si ex sententiā nostra scripta immutata non fuere. Spes igitur acquirendi Canonici eiusdem alia nulla est, nisi ut tu prouisionem super eodem Canonatu uacante, ab ipso Cardinale, & oratore Apostolico de nouo impetres. Et quamuis idem Cardinalis excusare posset, facultates suas præsto non esse: potest tamen bona & licita fide, etiam non habitis facultatibus, tibi gratificari, & dare prouisionem nouam. Quæ erit non solum utilis, sed etiam in hoc lucrofa, quod ius Quirini Galleri non solum obscurabit, sed planē enecabit, & possessionem Canonici in manus dabit. Hęc ut scribo liberaliter & humaniter, ita uehementer uelim tacita esse, & secreta: non quod tantum Quirinum Gallerum timeam, sed & quod nullē cōfratrum Capitularium odio grauari. Volo enim in hac causa tuus esse amicus, ut erat Nicodemus Christo: non ut Petrus, qui apertō Marte pro Christo dimicabat. Necessum est præterea, his omnibus & impetratis, quod tu uenias coram bene instructus & natalium & Doctoratus probatione, aliās uereor, quod tu per procuratores possessionem habere nō possis. Vale, Datum Patavię, vi Octobris. Anno, &c. MDxxxviii.

Ioannes

IOANNES ECKIUS DOCT. THEOLOGVS, ETC. REuerendo patri, doctissimo uiro, D. Friderico Nauseæ, Theologiæ Doctori, ac Regiæ Maiestatis concionatori & consiliario, fratri honorandissimo, S. P. D.



Edijt Simō Taddæus meus frater, cū literis tuis, & multijuga commendatione, chariss. Nausea, frater honorandiss. Hoc omne fuit mihi iucundissimum, ut inter aulicas inquietationes, etiam mei memineras. Ego iam multis annis non nisi binas accepti à te literas: rescripsi unas, ut iam planē me uiceris diligentia, adiunctis ternis per fratrem. Cum autem ex editis libris intellexerim labores tuos, præter aulicas turbas, maximē Principe Serenissimo nō stabili permanēte loco, inciuile ratus sum, si laboribus labores accumularem, si te legentem & scribentem onerarem. Quare & deinceps hoc te leuo labore, ut nihil scribas, nisi si cum aliquid ualde proficuum nostrę fidei intellexeris, quod comiter manifestari possit. nam indies crescunt capita draconi. Quot perdidimus oppida, & uillas, ac ciuitates, à comitijs Augustanis? Mallem ego Cæsarem expugnare Turcos nostros, imò Turcis quibusuis deteriores, quā Ottomanidem. nam illis restitutis coniunctim uiribus, diuturnum fusciperetur in Mahumetanos bellū. Fratrem autem meum, quā maximē possum tibi commendo. Cupio enim fieri eum quotidie eruditiorē, ut sic paulatim crescens doctrina & rerum peragendarum praxi, ad altiora possit apud Regiam Maiestatem euocari. Vale, frater in Christo chariss. & rem fidei fortiter agito. Ingolstadtij, ii Decembris. Anno Domini Natalis MDxxxviii.

IOANNES ANDELIVS, VERBI DIVINI PRÆCO in Aspern Austriae, præstantissimo atque omnigenarum scientiarum peritiss. uiro, Domino Friderico Nauseæ, sacre Theologiæ & LL. Doctori, concionatori ac consiliario Regio dignissimo, S. P. D.



Sicut olim ad Dauidem confugiebant omnes, qui erant in angustia constituti, oppressi aere alieno, & amaro animo, in speluncam Odollam, quorum etiam Dauid princeps esse non erubuit: sic ego misellus ad te, o Friderice doctissime, idemque pijsime, sauientibus tempestatum procellis in monachos, quos fugitiuos adpellant, haud inerti consilio suffugere decreui. Licet etenim fugitiuus non sim, sed odio fraterno in exilium proscriptus, aliō quā aduersarij uolebant, diuerterim, nec aliter mihi sceleris conscius sim: iurē tamen opt. fieri intellexi, ut qui præsunt ecclesiæ, in monachos istos uagantes necessaria quidem seueritate animaduertent: cum quoidam non ut prodesse, sed obesse

Gg sent,

sent, non ut aedificaret, sed ut destrueret, non ut quae pacis sunt & charitatis sectarentur, sed ut seditionum exitialium auctores fierent, egressos esse liquidè constat. Et quibus etiam quidam in caelum os suum ponentes, id est, coeleste quiddam ac sublime meditantibus, proponentesque, lingua eorum transiit in terra: id est, cum spiritu coepissent, carne consummati sunt. Qui etiam nihil aliud, nisi auram populari, & exaltatione sui immeritam, neglecta gratia & exaltatione Dei, quaerentes, hereseo innumerabilium inueteros extiterunt. Tales filios, quales ipsos patres esse, nemo non scit: neque qui sub Euangelij pretextu, non nisi quae carnis sunt, sapiat, affectet, sequanturque. Huiusmodi pessimorum doctorum schismaticorum in foelicissimum genus, quod ita in reipublica Christianae interitum coniurasse uisum est, quis quaeso nisi malefanus, nisi illorum aemulus, non explodatur, non profligabitur, exterminabiturque? Cum immedicabile uulnus Ense recidendum sit, ne pars sincera trahatur: maximè tamè; qui Ecclesiastica culmina conscenderunt, huic pessimo malo mederi debebunt. Sed dum illi ipsi officio suo egregiè perfungi non lunt, nescientes preciosum à uili separare, omnes monachos sua monasteria antea temerè, aut uel persecutionis, siue alia rationabili causa urgente egressos, hosce inquam omnes pariter extorres facere uolunt. Sic Hieremias in Aegyptum, Daniel in Babylonem, cum alijs perfidis captiui abeunt, exulesque fiunt Iudaeis. sic multi Christianorum, probitate uitae satis conspicui, cum alijs parum forsan probis, obsidionem, uastationem, orbationem, atque perpetuum perpeti exitium coguntur. Quod, cum monachis quibusdam satis integris accidere uidissem, ultra modum anxius esse coepi, ac literis Apostolicis (quas dispensationes uulgo uocant) securitatem emere mihi uolebam: me, miris humanae persuasionis circumventionibus, Kiliani quondam Abbatis Saltzburgeni, fratrum eiusdem familiarium, & maximè matris (cuius anima Deo uiuat) blanditijs in castes Religionis improuidum renitentemque incidisse exponens: tum mortum indomitam ferociam, stupendam fidei raritatem, charitatis frigiditatem, &c. sacerdotum idoneorum penuriam causari, per libellos supplices insinuans, sed repulsam patiens à nuncio Apostolico, nil me erat desolatum magis. Ad religionem uero regredi, ubi uix unam decennio ferè incolumem duxeram diem, ubi odia & persecutiones & profligationem perpessus sum, horrendum maximè uidebatur. His procellarum fluctibus, hinc inde quassatus, ac penè exanimatus, egregium illum optimumque uirum Georgium Bulmannum, inops consilij, consultaui. Qui rem bene euenturam, si in familiam Frederici Nauesae Blancicampiani asciscerem, uaticinabatur. Quod ut fieret, intercessorem sese ultroneus obtulit. Quo audito, reuiuiscere quodam modo coepi, gestire ac dicere: Haec dies boni nuntij: O tar quaterque foelicem patronum, foeliciorum clientem, foelicissimum negotij successum: in eius familiam ascribi, sub eiusdem tutela militare Deo, cuius

cuius praeclearissima monimenta manibus terens, alta saepe suspiria trahens, haec animo meo tacitus uolutabam: O si te, uerbi diuini praekonum singulare decus, nostrae Germaniae unicum Phoenicem, coram saltem aspicere, aut certè è suggesto docentem audire contingat? Nihil non optimum illius integerrimi uiri nomina praeseferrunt, cum (Deo Opt. Max. sic prauidente, ac disponente) à re FRIDERICI nomen fortitus sit, cum pacem ac quietem à schismaticis illis tumultuarijs fermè distractam, ac inturbatam, Christo IESU auspice, uerbo Dei Ecclesiae abundè esset recuperaturus, reintegraturusque. Sed quia ore xim mouit haereticis atque demonibus, quorum impium dogma, machinationes pestilentissimas, uir ille pacis studiosissimus plurimum abominatur ac refellit, NAVSEAE nomine, optimo iure insigniri debuit. Dum uerò, Deo uocante, regiones ad messem iam albas considerans, falcem recuruatam in Dominicam messem pia sedulitate misit, Christo BLANCICAMPIANVS, ac Ecclesiae suae, non temerè nuncupari uideatur: qui nihil non album, luculentumque uerborum exemplo praese fert. Sub quo etiam pauperibus afflictis & oppressis (quorum ego primus sum) omnia alba, id est prospera contingunt. Haec ita considerans, tibi adducor: manus supplices unam cum uerbis supplicibus in caelum usque extollebam, nec mea me sanè fefellit fiducia, cum mira & insolita benignitate in tutelam tuam susceptus sim. Et licet Christianis, Ro. &c. Regis nomen, maximam tibi auctoritatem addidisse uideatur: maius tamen sub Nauesae triumphum ornantem me obtenturum spero, maiorem gloriam, maximum lucrum: cum tu sis tam sedis Apostolicae, quam Romae inuictissimo Regi FERDINANDO quasi altera manus, in his maximè quae fidei Orthodoxae integritatem concernunt: & ideo potens opere & sermone. Quid enim primates illi Augustissimi negare possent illi, cuius ingenium diu noctuque ipsis defudatur? Ad te ergo, o dignissime Praesul, corculum meum alta suspiria trahit, oculi lachrymis suffusi obrebrati que respiciunt, manus leuatae supplicias efflagitant, os uerba deprecatoria effundit, omnes uires meae te inuocant: ser opem misero, opitulare oppresso, manus auxiliares porrige in hisce fluctibus penè suffocato. Nuntij Apostolici literas impetra: negotium, quantum potes, accelera, ne periculum sit in mora. Dominum namque Apostolicum ad dispensandum difficiliorem indies fore, rationabilibus causis praemissis, re ipsa comperior. Tempestiue à D. Petro Paulo Vergerio hoc impetrare potuissem, nisi mera inopia obstitisset: quod nunc, te patrocinante, uix obtineo. Et si operae praecium fuerit, literas testimoniales, conuersationis meae in Gottico habitae (ubi hospitis uicem per annum expleui) Abbatis praefati sigillo munitas ostendere possum. Doctrinae meae testimonium pariter & uitae à uenerabili uiro, Magistro Vito Rhaningero Parociano in Chulben (cuius Praedicator

cator biennio fui) si opus esset, impetrare possem: sed et tuam vicem gerens, propediem suppeditare poterit. Sed ne epistolarem modum hic excedam, mei memor esto. Libellos istos monitorum & sollicitatorum tuam adimplentes, animo placido accipe: et si quid peccatum esse scriptis deprehendes, inscitiae potius, quam temeritati tribue: me' que tibi commendatum habe. Erit enim tuus apud me perpetuus honos, eterna memoria, nunquam interitura laus, atque seruitus perennis. Valeas Antistes clariss. Ex parocia Aspern. XIII die Octob. Anno, &c. XXXVIII.

PAVLVS NEYDECKER PRAEPOSITVS SANCTI
Gangolphi Bambergens. &c. Reuerendo patri ac Domino D. Fri-
derico Nauseae, &c. amico colen-
dissimo S. D.

Reuere pater, Domine & amice colendissime, literas tuas Lyncij, die VII Octob. ad me datas, accepi. Ago gratias perquam benignas, pro collato in me humanissimo officio: itidem, si unquam licebit, recompensaturus. Masam literarum tuarum ad Herbipolim Georgio Mullero, cum fido nuncio direxi. Deinde aliquot diebus uenit a te iuuenis quidam, de eisdem literis inuestigans: sed cum ex me cognouisset easdem praemissas, ipse quoque hilaris, se eodem concessurum asseruit. Noua nobiscum pro nunc sunt: superioribus diebus obceptam per Norinbergensem, aedificari nouam munitiorem, Bastiam uocant. Deinde propter tentatam a Domino Georgio Marchione Brandeburgensi, impertinentem, ut aiunt, uenationem, inter easdem partes, similitates subortae fuerunt. Contraxerat Marchio primò cohortes equitum, quas tamen mox dimisit. Norinbergenses uerò usque modò & equites & pedites multo numero conducunt: & uti cernitur, ad iustum usque exercitum. Vnde uariae suboriuntur suspiciones. Nec desunt, qui id pro Dominis nostris Caesaribus interpretantur. Quicquid inde sequatur, tempore edocebi mur. Allatae mihi ex Herbipoli fuere literae, tibi inscriptae: quas cum presentibus transmittitur. Vale. Datum Bambergae, II Nouemb. Anno MDXXXVIII.

PAVLVS NEYDECKER PRAEPOSITVS,
&c. Friderico Nauseae, &c. D. S. D.

Reuere pater & domine, in primis colendissime: ante dies ferme XX denuò literas dedi ad te, subinde uerò tuas literas Georgio Mulnero bibliopola Herbipolensi absque mora transmissi. Scribis autem, Turcam uicinae acuius semper urgere, & Multauos sibi subijcere, & peiora minari. Nos hic Machometanum Turcam usque adeò non timemus, sed

sed magis domesticos Lutheranos: quales proximis dieb. in iudicium Camerger nenas eructarint, haud dubie usque modò legisti. Jam uerò conuentus per eorum consiliarios & legatos agere dicuntur, apud Studgardiam, abortum aliquem parituri. Utinam in Romam euadat. Palsim de eis mali quid suspicantur, cum etiam nonnulli sermones eorum prolati euulgentur, nil boni denotantes: inter alia, se praeventuros Caesaris aduentum, quo ecclesiasticorum ditionem pro augenda eorum potentia sibi subdant. Ego tamen in primis spero in Deo nostro plenissime, tanti ipsi mali effectum tantum non permitturum. Insuper inlytissimos nostros Principes ambos Germanos Caesares, Deo auxiliante, tam malos conatus euerfuros. Cui si gnauiter incubuerint, & exinde terrori erunt orbi terrarum. Nichil enim, meo iudicio, hoc tempore augustius, quam si ut prioribus eorum, Germania obediens accederet. Quod Deus opt. max. perficere dignetur. Bene Vale. Datū Bambergae, II Ian. Anno MDXXXIX.

VVOLFANGVS VOLANDVS, ETC. PRAESTANTISSIMO uiro Domino Friderico Nauseae, &c. S. P. D.

Reuere & celeberrime Domine Nausea, innumeras ago tibi gratias ob Metaphrasim tuam, pro huius inextinguibili noui anni foelici auspicio mihi missam. Precor itaque a Deo optimo maximo, tibi celeberrime uir pro xenio, omnem prosperitatem. Reginalis Maiestas post concionem tuam mihi iniunxit, ut dictam Metaphrasim tuam Maiestati suae in lingua Germanica emendam curarem. Misi igitur ad omnes bibliopolas, nec ullam usquam reperi: quamuis unus me certiore reddiderit, cras me eadem habiturum. Quod suae Maiestati significauit. Sed a puero tuo nunc intelligo, uix ante festum Epiphaniae me habere posse. Quum itaque Maiestas S. R. sedulo instet pro tuo libello & strenuola, rogo te, si fieri cum opportunitate posset, uelis curare ut quanto cyus imprimeretur. Omnes ferè suae Maiestatis domicellae cupiunt, et ipse ego, talem orationem. Promittunt sese in eadem, pro pace Christianae ecclesiae precanda, deuotissimas & sedulas fore, optime uale, uir clarissime, &c.

IOANNES ALEXANDER BRASSICANVS DOCTOR, &c. Praestantiss. &c. uiro, D. Friderico Nauseae, &c.

Rarissime, ac idem amicissime uir, quod tardius respondeo, in causa est & famulus tuus, qui me adhuc lecto ad fixum reparandae ualetudinis ergo reperit: & praefectio num quotidianarum occupatio. Sic habet res, mi Nausea. Repertorij illis non utor: nec plura habeo, nisi quae desiderat usus assiduus: contentus aliis ipsis fontibus, hoc est, puro textu. Si quid aliud in sacris aut prophanis, uel graecum uel latinum desideraris,

raris, non deero tibi: saltem ut libri, quàm mundissimè fieri potest, tractentur. Plautus putauit, nauem et mulierem nunquam satis ornari posse. Ego, librum bonum omnem, nec facile de sententia deedo. Commendabis me Regiæ Maiestati, Domino nostro clementissimo. NAM quid refert nos literas scire, si Princeps nos nesciat? Vale, uir optime, & me totum tuum esse persuasissimū habeto.

PAVLVS AB OBERSTAIN, PRAEPOSITVS, ETC.
Reuerendo & clarissimo uiro, D. Friderico Nauſea, Regio consiliario, &c. amico charissimo.



Euereunde ac clarissime uir, Domine & frater mi obseruandissime, salutem et fraterni amoris incrementū, &c. Attulit mihi superioribus diebus Dominus Michael, Capellanus meus, et munus, et literas tuas, quibus cum mihi nihil iucundius obuenire potuisset, ago tibi gratias singulares: relaturus tandem, ubi primum opportuna sese obtulerit occasio. Quod autem distulerim tot diebus debitam huius meae gratitudinis nunciationem, spero praeinominatum Dominum Michaelē causam & excusationem expositurum: cui haec & alia iniunxi, tibi nomine meo referenda, & praecipue de osculationem literarum tuarum, statim postquam eas perlegissem, quantoque desiderio flagrem te conueniendi, et coram explicandi aliis instituta nostrae amicitiae meo in corde profectum. Quod infra paucos dies futurum spero: exoptans interea fideliter, ut non unum hunc nouum tantum, sed cunctos annos exigas pro meritis perquam foelicissimè. Ex aedibus meis, Viennae, VII Ianuarij, Anno XXXIX.

RECTOR ET REGENTES ARCHIGYMNASII FRIBURGENSIS, in Brisgautia, &c. Ornatiss. uiro D. Friderico Nauſea, Rom. &c. Regis concionatori & consiliario, &c. S.



Rnatissime ac celeberrime uir, Domine atque amice colendissime, comparens nuper in senatu nostro eximius uir Georgius Keck, sacrae Theologiae Doctor, & eiusdem nostrae facultatis collega: proposuit, quomodo seni sibi ac nostro, de quo nobis bene merito, a te controuersiae non nihil immereret, fieretque negotium nomine praepositorum oppidi Vualdkirch, ad quam ipse uacantem collegialiter postulatus esset: seque non diffidere, quin si, ut aliorum quorundam, ita & nostra apud te intercessione iuuaretur, inde facile posset euadere, suisque cum officio tum ecclesiae foeliciter atque securè intendere. Ideoque maiorem in modum nos orauit & obsecrauit, uti nostram hac in parte operam ei dignaremur impendere. Nos autem tam honesta petitione audita, personae petentis considerata, tanquam multis nominibus digna, de quo republica Christiana penes nos (ubi & pluribus annis ac foelicissime pastorem egit ecclesiasticum) abundè promerita, iniquum & inhumana

inhumanum fore duximus, usquequaque precantem auerſari. Simulque nobis ipsis persuasimus, non modo te boni consulturum hanc nostram pro eo intercessionem: sed etiā, nisi nullo modo posses, id quod minimè uidetur, exauditurum: nimirum, cum ad huiusmodi facilitatem & benigna te natura genuerit, & officio in primis illam exigente diuina gratia destinarit: cum etiam tale sit argumentum, in quo citra grande uel ullum dispendium, tu illi gratificari possis. Imò, ut nunc sunt tempora, non nisi cum magno, praesertim accepti scandali, sicut tu non ignoras, incommodo prosequi ualeas. Oramus itaque impense, & exhortamur te, ut pro excellentia, prudentia, facilitate atque dilectione tua, uel praedictis de causis, uel ob nostri gratiam, tuo digneris hic iuri, seu uero, seu reputato renunciare, potius quam ipsi tibi, & seni illi negotium facessere, ne cetero sumptus, & fortassis ancipitem uictoriam non ancipiti, sed certa multorum offensione experiri: quam in primis te ubique cauere, minimè dubitamus. adeoque, ut uel in praesenti causa conijcere liceat, tui clarissimi nominis praetextu, licet hoc pacis, non discordiae studiosum sonet, non nullos uehementiores, quam iussu nutu ue sese opponere. Bene, diuicque Vale: sisque memor precum nostrarum. Datum Friburgi Brisgautiae, ex consilio nostro, die XIII Ianuarij, Anno MD XXXIX.

CASPAR VRSINVS VELIVS, ETC. DOCTISS. VIRO Domino Friderico Nauſea, &c.

Regibus officium quod praebuit usque nitenti,
Solis ab exortu lucida stella tribus:
Hoc tu uoce tua, purissime Nauſea, praebes
Et Regi, & natis Rege potente tribus.
Sanctè Deum precor, aeterni tuba nominis, ut sint
Haec mea, doctrina, mox rata uota, tua.

Viennae VII die Ian. Anno &c. XXXIX.

IOANNES AINDELIVS VERBI DIVINI PRABICO in Aſpern, &c. doctiss. uiro, D. Friderico Nauſea, &c. S. P. D.



Idem Croesitque diuicque literas tuas mellitissimas, quae mihi sic me exhilararunt, iure optimo praetulerim, Nauſea pater reuerendiss. amantissimeque. Non literas, siue apices, sed auri obrizi Arabicorum numos ponderosissimos, me legere rebar. Io triumphe, exultans repetebam, Fridericus de Friderico factus est, qui procerum Ecclesiae pacem, quam habitu solum, non re ipsa amiserat, abundatissime tibi restituit. Nauſea Saulo tuo Nerionissimo, Priori Petrensi foeliciter es adeptus. Timebunt enim te propter eum, & eum propter te. Sed uiuat in eternum Blancicapianus, ex quo tibi fructus uberrimi candidissimi que sperandi sunt. O uere paternum

paternum lepidumq; corculum, optime pater, omnes tuos affectus abundè in sinum meum effudisti, cum ad omnia decencia & honesta promptissimum, re ipsa prius, quam uerbis, exhibuisti, negotiū meū citò expediuisti. Gratiaē tibi debent perpetua, sempiterna seruitus, æterna memoria, quam nulla unquam ad ultimam usque animæ meæ exhalationem intercipient obliuio. Ne quæso, hisce meis literulis obrundaris, nō minimum quid amplius tua Amplitudo scribat. Illud nāq; ingenium ad eod magnificū, uni scribens hominioni occupari non debet; cuius opera Ecclesie Dei diu noctuq; ultra modum desudat. In rebus arduis ac seriosis, necessitate, hoc maxime deploratissimo tempore, cogente uersaris, mi pater Nausea: sed uide ne studium tuum plus quam adamantinum, abeat tibi in neruos. Est modus in rebus, sunt certī deniq; fines: Quod caret alterna requie, durabile non est. Hæc reparat uires, fessaq; membra leuat. Interpolatim ergo studijs solatia succedant. Memor esto argumenti dialectici: Qui multum bibit, parum bibit, &c. Sic & de studio argumentari quis posset. Tuæ uitæ congratulatur Ecclesia: quæ mortem, licet preciosissimam fore minus dubitarim, lachrymis irremedicabilib. iugebit. Vnica illa tua epistola, tui in me paterni affectus fidelissimum testimonium erit, perpetuumq; monimentum. Vale, Ecclesie columna exsculptissima, at firmissima: & me misellum (ut affloles) ama. Iterum atq; iterum, meum corculum, optime uale. Datū in oppido Aspern. xxii Ianuarij, Anno &c. xxxviii.

REYNHARDVS A' RIEPPVR, DECANVS VORMACIENSIS, &c. Reuerendo, egregio ac præstantissimo uiro, Domino Friderico Nauseæ Ro. &c. Regis &c. concionatori et consiliario digniss. amico suo obseruantissimo S. D.

Reuerende Domine, & amice charissime, atq; obseruantissime. Superioribus diebus à te literas, unā cum fasciculo literarum, Doctori Ioanni Aurinodio exhibendum, mihi ex Spyra per ueredarios ex Husen transmissas recepi: quem bona fide exhibuisse, tum eidem in tui gratiā, quæ mihi in eiusdem rem facere uisa sunt, consuluisse, eundem tibi dudū per literas significasse arbitror. Erat' que tum animus, quā primum tibi respondere, tum operæ mei causa impensè gratias agere: si non me tum fratris, tum affinium meorum negotia præter opinionem insperatò à Vormacia in ea loca reuocassent, à quib. tibi ad aulā optimi Regis literas transmittere nō licuerit. Quare domum reuersus, atq; literas amicorum ibidem dimissas relegēs, inter præcipuas mihi literæ tuæ ad manus uenere: quibus responsum suspēdere diutius, iniquū ratus sum. Proinde tibi cum primis gratiā habeo, quòd res meas tam diligenter cordi habueris, mei q; honoris & decoris promo-

promouendi tam studiosus sis. Quòd autem scire cupis, an uellem, siue possem optimi Regis aulam, maiore saltem ex parte totius anni sequi: scias id mihi uel præcipuè in uotis esse, ut me, sine honoris mei iactura, quamprimum in aulam recipere possem. Verū quando me functionis meæ opportunitas iam temporis remoratur, cogor illud Terentianum uulgo celebre consiliū sequi, quod monet nos, quando non ut uolumus agere possumus, ut id uelimus quod poterimus. Nam cum hoc tempore ita religionis negotiū apud nos Vormacia sit dispositum, ut etiam indies magis ac magis, nostris subinde negotium faceat: & ego multum pro ea conseruanda (absit inuidia uerbo) laborarim, quæ, ubi abirem, frustra me laborasse miserè timeo: iam temporis ab Ecclesia discedere, eamq; derelinquere, præter mei nominis iacturam uix fieri posse iudico. Sunt autem multæ aliæ rationes, quibus etiam hic inclytissimæ R. Maiestatī suæ inseruire, præter Maiestatī suæ singulare incommodum possem: in quibus ita me exhibiturum, est animus, ut Maiestatī suæ R. quiduis in me citius, q; diligentia, siue fidem sit desideratura. Tū fortasse ita suo tempore res accidere possent, ut commodè meā functionem dimittere liceret: quam ut in præsentia nō sine maximis, & uix æstimandis laboribus subeo, ita eandem iam subito deponere si ne obrectatione uix possem. Quapropter quicquid in huiusmodi negotio, in meā rem, tū & honorē cedere arbitraberis, ut id me literis pro nostra amicitia uetere certiorē facere non graueris, rogo unice. Bene & diu uale, ad totius ecclesie usum & profectum: mihi q; e contra, si quid à me curatum & effectum fieri uelis, id indicare ne pigeat. Iterum uale. Vormacia, x Februarij, Anno, &c. xxxix.

GABRIEL XANTVS, PROTONOTARIVS APOSTOLICVS, &c. admodum Reuerendo & Magnifico uiro, D. Doctori Friderico Nauseæ, concionatori & consiliario Regis, amico & Domino colendissimo.

Rsi, Reuerende & Magnifice domine Nausea, non dubitem, te nosse ullo modo litem aut negotium aliquod facessere Domino Quirino Gallero, qui semper se bonū amicum & seruitorem tuum gesserit: tamen quia eum amo, pro mea in eum beneuolētia cōpellor te summopere rogare, ne dictum Quirinum per suos procuratores impediri, aut perturbari permittas, circa Canonicatū Patauiē, uacantem per obitum Ioannis à Tieffenbach, quem uigore suæ gratiæ expectatiuæ acceptauit. In qua re ultra, quòd æquum & iustum facies, me magno officii beneficiō. Quod in quacuncq; re à me expetita rependam. Optime uale. Romæ, xxvii Feb. Anno, &c. xxxix.

CAROLVS CAPELLIUS EQVES VENETVS, ETC. Reuerendo LL. & sacre Theologie Doct. Friderico Nauseæ, Serenissimo Rom. &c. Regi à sacris studijs, & consilijs, &c. Domino plurimum honorando, S. D.

Tsi omnia tua scripta, doctissime Nausea, legere me non parum iuuat: hæc tamen recentiora, in quibus agis de his rebus, quæ ad futurum uniuersæ Christianæ reipublicæ Concilium maximè pertinent, cum ad ea respondes, quæ Germani superioribus annis Romanæ ecclesiæ obiecerunt, non solum me plurimum delectauerunt, sed mirum in modum etiam refererunt. Perspecta mihi quidem erat doctrina tua, & iuris humani ac diuini prudentia singularis: sed nescio quo modo in his scriptis te ipsum superasti, ita enim omnia prudenter disponis, ita eloquenter tractas, ita denique pie in ordinem & modum redigis, ut mihi nunquam satis laudari posse uidearis. Itaque immortales tibi ago gratias, quod me doctissimorum tuorum laborum participare esse uoluisti. Quod uero ex tuo publico testimonio me honestasti, non uideo, qui referre possim: nisi tu (quæ tua est humanitas) gratissimi animi mei desiderium in aliquam tanti debiti leuationem admittas. Deus opt. max. desiderijs tuis respondere uelit. Tui libri, & Viennæ. Pontificis, quam celeriter & fideliter fieri poterit, à me Romam mittentur. Vale. Venetijs, nono Calend. Mart. Anno, &c. xxxix.

ERNESTVS A' SCHLEYNITZ, ADMINISTRATOR
& Præpositus Ecclesiæ Archiepiscopalis Pragensis, Reuerendo ac clarissimo uiro D. Friderico Nausea, &c. Domini confratri obseruandissimo.

Mitto Seruatium, præsentium exhibitorem, ad te, Reuerende domine, & confrater sincerius dilecte, quo literas non parui momenti ad manus Regias curet exhiberi, nomine meo ac Domini Georgij, plurimum peto, illud haberi commendatum: & si opus fuerit, haud grauatè adiuuari, quo præacta scripta omnino suæ Maiestati ad manus proprias porrigantur, & Domino Georgio respondeatur. Habebis nos uicissim ad omnia placita promptissimos. Datum raptim in Curia nostra Ron denberg. xiii Feb. Anno Domini MDxxxix.

IOANNES DOMINVS A' BERNSTAIN, ETC. CLARISSIMO UIRO, D. FRIDERICO NAUSEA, DOCTORI, ROM. &c. HUNG. ac BOEM. REGIS ECCLESIASTÆ & CONSILIARIO, AMICO SUO OPTIMO.

Clariss. uir, Domine Doctor, amice mihi charissime: Redditæ sunt mihi literæ tuæ, quas ad me xxi Ianuarij à Vienna per aulicum meum Georgium Kezyuuetzky dedisti: ex quibus intelleximus, quantum mea gratia apud Reuerendissimum Dominum Cardinalem & Apostolicum Legatum de latere, Dominum Hieronymum Archiepiscopum Brundusinum, &c. in commutandis & transferendis ecclesijs, haud grauatim sustineris, præstitieris, illaque omnia minimo obtinueris, ad hæc in omnibus mihi tuum studium & operam offers. Quæ omnia illo animo, quo debeo, uicissim gratissimo acceptans, tibi magnam habeo gratiam: et uicissim si qua in re tibi gratificari et prodesse poterò, faciam sedulo.

Id

Id mihi uelim credas. Quod si Deus opt. max. dederit, ut tu unquam cum Regia maiest. domino meo clemētiss. (sicuti breui speramus fore) in regnum Boemiæ ueneris, de omnibus tecum amicè conferam, & ne te facti & laboris poeniteat perficiam. Bene uale. Datum Meritz, die Saturni ante Palmarum, Anno MDxxxix.

PAVLVS VVIENERVS, CANONICVS LABACEN. ETC.
Reuerendo ac ornatisimo uiro, D. Friderico Nausea, I. V. Doctori, sacre R. Maiestatis, etc. Ecclesiastæ ac consiliario digniss. D. et patrono opt. S. P. D.



Quas ad me, clarissime Domine Doctor, ix Ian. literas à Vienna dedisti, eas ex Italia nuper rediens, domi meæ dispositas reperi. Quæ quidem gratissimæ mihi fuerunt, propterea quod ex ipsarum sermone intellexi, te singulari quadam fauore & amore me complecti: eaque omnia in his mihi uideo polliceri, quæ à uiro non solum doctissimo, sed & pio ac uirtutibus omnibus ornatisimo proficisci & expectari possunt. Nam tui iam dudum in me incepti amoris, amicitiaque, literæ tuæ humanissimæ ante biennium ad me conscriptæ sunt testes. Quibus etiam tunc pro mea tenuitate respondi, ac amoris in me tuo, aliqua ex parte, per literas satisfeci, ad quas denuò tu rescripseras. Sed quia sciebam, te grauioribus negotijs esse occupatum, nolui posthac meis ineptijs, auribus tuis obstrepere. Quare obsecro te, uir opt. ac humanissime, ut quemadmodum cœpisti, ita constanter pergas in Christo me amare. Ego uero uicissim si non utilem, at certe fidelem ac candidum amicum me exhibebo: talemque, ut beneficium optimè te collocasse cognoscas. Quod autem ad doctrinam pertinet, scias me hic in eam cogitationem diu noctuque incumbere, ut Christi Euangelion, quod per Apostolos, ac deinceps per sacrosanctæ Ecclesiæ Christi Catholicos & approbatos doctores, quasi per manus nobis est traditum & commendatum, pure ac fideliter tractetur: ac summopere curare, ut populus rectè de Deo sentiens, cum egregia in Deum opt. max. pietate, doctrinam etiam suam ad ea, quæ ad tranquillum prosperumque Christianæ religionis cursum pertinent, coniungat. Suspicionis autem istius iniquæ, quæ de me exorta fuit, auctorem certum intelligere nullo modo potui. Nos hic nihil noui habemus, nisi quod Cæsareæ Maiestatis aduentus cum ingenti classe, maximoque omnium desiderio in Italiam expectatur. Nos uero interea optima quæque & clementissima de Imperatore & Rege nostro, optimis & inuicissimis Principibus, nobis pollicemur. Quorum etiam salutem Domino Deo nostro (ut debemus) tam publicè quam priuatim, diligentissimè commendamus. Optimè uale. Datum Labaci, xi Aprilis. Anno salutis humanæ MDxxxix.

IOANNES COCHLAEVS, ETC. REVERENDO PATRI, CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO UIRO DOMINO FRIDERICO NAUSEA, ROM. &c. REGI SACRIS CONCIONIBUS & CONSILIJS, S. P. D.

Hh 2 Reuerende

Reuere[n]de ac eximie Domine Doctor, Patrone & amice benignissime: iam diu fuit fama de Regiæ Maiestatis reditu ad Pragam, quæ nunc rursus inualefcit: nec tamê satis scio, an modò uera sit, nec ne. Quî igitur nesciam, ubi nunc consistas, te p[er]fcit animus ad multa scribenda: neq[ue] tamen nuncium ad Pragam iturum, literis meis ad te uacuum dimitto, ut iustissimam non modò meam, sed totius patriæ huius, quanta Catholicè adheret Ecclesiæ, querelâ intelligas. Perdidimus namq[ue] intra septem septimanas duo lumina nostra, duo integritatis & innocentie candidabra: primò filium Ducem Fridericum, deinde patrem Ducem Georgium, quem heri multis cum lachrymis sepeliuimus, & hodie multò largioribus fletibus Deo in sacrificijs nostris commendauimus. Recrudescit itaq[ue] & inualefcit nunc apud multos grauis in medicum suspicio, quòd potione nefaria ambos interfecerit. Ego quidem tam immane scelus de homine docto ac diuite non libenter credo. Neq[ue] tamen de negligentia eum excusare ausim, quòd non iuerit personaliter in apothecâ, ut uideret, ne quid alieni admisceretur. Filius eo die, quo sumpta potione obiit, nouas induerat caligas, ut rediret in gynæcium ad nouellâ uxorem. Pater quoq[ue] pridie quàm obiit, etsi langueret, non tamen lecto addictus erat, sed causas audiuit, atq[ue] etiam ad cœnam iuit in gynæcium: à cibo tamen abstinens, sumpturus à quatuor medicis & clysterium infernè, & potionem supernè. Quibus sumptis, tanto per eam noctem uexatus est dolore, ut mane summo accerserit Pastorem Dresdè, confessorem suum, Theologiæ Doctorem, qui coram eo celebrâs, sacram ei dedit communionem, & extremam quoq[ue] unctionem. Et secuta fuit tanta totius corporis defectio, ut iacuerit aliquandiu immobilis. Dein de respiciens, cœpit orare Pater noster, Aue Maria, Credo. Cûq[ue] crebro diceret, Benedictus Dominus Deus in omnibus operibus suis, emisit singultibus duobus, leuissimè inclinato capite, expirauit. Obiit Filius xxvi Februarij, pater xvii Aprilis. Frater nostri Principis ac patris patriæ, Dux Henricus, propter Lutheranismum alienatus à fratre, morienti nò affuit: eodem tamen die Dresdam è Fribergâ in sera nocte, de obitu illius certior factus, aduenit. Sed neque Dresdæ, neq[ue] hic Misnæ interfuit sacris, quæ more Catholico peracta sunt. At pia nobilitas, consiliarij domestici & aulæ proceres, honestissimè interfuerunt omnibus sacris, nec uoluerunt quicquid de more intermittere. Nunc igitur in summis uersamur periculis. Catholici enim proceres nolunt introduci Lutheranismum. Qua de re cras seriò tractaturi sunt Dresdæ, cum duce Henrico. Crediderim equidem ipsum senem posse persuaderi, ut nobis ritus nostros antiquos permittat: sed uereor, ne uxor, & Anthonius de Schomberg, eum omnino auertant. Summa profectò est hæc patriæ huius calamitas. Mihi uerò præ omnibus huius patriæ presby-

presbyteris malè uolunt Lutherani: neq[ue] tamen fugiam, nisi iussus fuero ab Episcopo, aut à Capitulo nostro. Te, quæso, serua cautius, ne ante diem exhaustus uiribus, repente (quòd Deus auertat) deficias. De me iam actum puto, nec multum refert, quòd nam fato occubam: nihil, aut omnino modicum iacturæ in me est. In te nò nisi maximam faciet ecclesia iacturam, qui non solum scriptis, uerum etiam concionibus plurimum potes. Vellem tamen, ut à scribendi labore temperes paululum: ab his inquam scriptis, quæ ad concionandi laborem nò pertinent, donec ad tranquilliorè peruenias uitâ. Miror quidè, quomodo possis in tot irrequietis profectio[n]ibus, ullâ habere opportunitatè ad scribendos in sacras literas cõmentarios. Faxit Deus; ut liberatus ab aulicis inquietudinib[us], peruenias citò ad quietam & honorificam aliquam residentiam. Hoc est præcipuè de te uotum meum. Bene uale, clarissime uir, Domine & Patrone colendissime. Ex Misnâ, xviii Ap. Anno, &c. MDXXXIX.

CLAVDIVS CANTIVNCVLA DOCTOR, ETC. REVEREND. & CLARISS. VIRO D. FRIDERICO NAVSEÆ, CONCIONATORI, CONSILIARIOQ[ue] REGIO, ETC. DOMINO OBSERVANDISSIMO. S. P. D.

Reuere[n]de, clarissime etq[ue] uir, Domine obseruâde, oro mihi tribui temporis momentû in prelegendis hisce literis ad Reuerendissimum Cardinalem Mogutinum, meq[ue] liberè admoneri, si quid in his uel demi uel addi, mutari ue oporteat. Reponam ultrò officium, si qua subseruendi præbeatur occasio. Cæterum & me, & negotium ipsum tibi commendo. Relatas literas claudam, ac rursus feram, famuloq[ue] nummos pro libro tradam, & erga redeuntem ingratus non comparebo. Vale, xxii Aprilis, Anno &c. xxxix.

GEORGIVS VICELIVS, ETC. MAGNIFICO VIRO, & MULTI PRECIJ, DOMINO FRIDERICO NAVSEÆ, REGIO ECCLESIASTICÆ & CONSILIARIO, DOMINO & FRATRI SUO COLENDO, S. P. D.

Magnifice uir, habeo gratiam tibi, quod usq[ue] adeò utilitati meæ faues, & toties ac tanta necessitati meæ promittis, cuiusmodi sæpe animo mecum reuoluò gratissimo. Cæterum quæ de Asiano tyranno scribis, uehementer terruerunt, quotquot amici tui scripta tua perlegimus: simulq[ue] subiit nò mediocris admiratio, quâ fiat, ut imminete tanto malo nostris ceruicibus, nemo principum uel tantillum moueatur: tãtum abest, ut quisquam uspiam sit, qui de restituendo cogitet. Dormitur, stertitur securè. Credimus iratum Deum, sed contemimus flagellaturû, huius uerissimi uersus planè immemores,

Iratum grauis est res habuisse Deum.

Iniquitas ubiq[ue] de die in diem crescit. Omnis pietas, æquitas, innocentia, puritas, p[er]simum de hora in horam decrefcit, euanescit, occidit.

Hh 3 Anno

Annong caritatē comitatur pestis, pesti succedet gladius: gladio orbis innouabit, nobis nimirū absumptis. De concilio cogēdo iam pridem spem abieci, quandoquidē cacodemon surrecto capite, & in altū sublata dextera, reb. Ecclesiasticis dominatur. Pro cōcilio Papæ, posthac expectandum bellū Turcæ, quo in concordia Germanos utrinque pertinacissimos oportet adigi. Vale in Christo, in quo uno pacem habemus, tot inter angustias, Lypsiæ, in ferijs Bacchanalibus, Anno MDXXXIX.

ANDREAS MYSBECKIUS SENATOR VIENNEN,
*etc. clarissimo viro D. D. Friderico Naufæ, Theologo, sacre R.
 M. consiliario, & concionatori dig. Domino & patrone colendissimo, S. P. D.*



Ecoenas ac Domine mihi plurimum honorande: hactenus, quod miseri & iniuste afflictī certatim querimus, per integrum biēnium, instar infantis, & ad operā alioquin cuiusq; nauigaturi pronæ cymbulæ, inter furentes uentos, ac uastas fluctuantis salū undas, nos positos liquidò cernimus. Nam fluctu alio nos deserente, uastior fluctus nos excipit. Vt nam hūc Deus auspiciatum finem faciat semel. Quocirca satius nobis, & censure Seneca, subire semel, quàm semper cauere: imò semel cadere, si adagio creditur, quàm perpetuò pendere. Porro pijs emittisq; auribus, citra cuiusquam lancinationem, loquutum me putēs uolo. Amico meo Vueyspergero arbitror esse ut cani in præsepio: qui cum non edat fœnum, brutum quoq; ne fruatur, canino latratu abigit. Adaptare id nostræ causæ quis non prono intellectu nouit? Nam casulam istam, de qua contētio, pudenda certè, meam & uxoris emphiteoticā, nobis inuitis, possidere, aut sibi uel quocunq; astu uendicare, scimus certò, iurè potest nemo. At qui de mercatura eiusdem, de qua acerbis bellatur, possumus ego & uxor tolerare: id quod ambabus manibus optamus, iustam scilicet candidorū iudicū censurā. In reliquis uxore meā, cuius in hoc negotio rationē plus atque me ipsius habere, cōiugalī amor cogit, beneuolīs auribus, id quod toto pectore obsecro, auscultare digneris. Tibi nos obseruatissimè commendo, ac dedo. Datum Viennæ, decimo septimo Calend. Maij, Anno, &c. xxxix.

IOANNES DEI GRATIA EPISCOPVS MISNEN,
etc. Reuerendo Domino Friderico Naufæ, etc. S. P. D.



Euerende ac doctissime D. D. & amice singularis: unā cum tuis literis erga me summæ obseruantia, recepi mus aliquot tuos libellos, summa cū animi leticia: quos quidem non modò quòd abs te missi sunt, legemus: sed cum religionis causam tractēt, eos sumus inspecturi penitius. Gratissimum

tissimum uerò omnino fuit, id nos cognoscere, quod nouo adeo honore auctus, & Coadiutor Viennens. effectus sis. Cum enim huic tam magnificæ conditioni dignissimè sis præfectus, faxit Deus opt. max. ut ea tibi sit futura perq; prosperrima. Quod si nos pro nostra tenuitate aliqua in re tibi gratificari poterimus, in eo nos habebis paratissimos. Nec enim uel fidem, uel diligētiam in nobis desiderabis ullam, ut tuæ uel dignitati, uel studijs simus defuturi. Datum Stolpen, ipsa die Trinitatis, Anno, &c. xxxix.

IOANNES COCHLAEVS, ETC. REVERENDO DOMINO,
D. Friderico Naufæ, L. ac sacre Theologiae Doctori, Coadiutori Viennens. & concionatori Regio, Domino suo praeolendo, S. P. D.



Euerende Domine Doctor, ac coadiutor præcolende: Non opus est ut sanctis tuis occupationibus importuna prolixitate obstrepā. Nuper ad longum scripsi. Interim & tuos & quorundam aliorū consilio, huc in arcē Episcopi me recepi, ne forte per literas Ducis Henrici obstringerer Misnæ: sicut obstrictus fuerat Lypsiæ Vicelius, missis è monte S. Annæ Lypsiam literis à Principe, ad instinctum Electoris Saxoniae, qui illic apud eum fuit. Bonus tamen Vicelius euasit, licet contra fidem senatui datā, quoniam clam abiit. Venit huc, & hinc in Boemiam, relicto in tribulatione Lypsiæ uxore ac liberis. Quam læto sit animo, facile expendis. Facit erga eum Episcopus noster, ut amicus fidelis, licet in occulto. Ego tamen perendie domum reuertit intendo. Rogo ut meam paruitatē magnifico D. Doctori Georgio Giengero diligentissimè, ut affinem ad omnia deuotum, commendes. Bene uale. Ex arce Stolpen, I Iunij, Anno, &c. xxxix.

IOANNES COCHLAEVS, ETC. FRIDERICO
Naufæ, etc. S. D.



Euerende Domine Naufæ, Doctor excellentissime, atq; Coadiutor dignissime: Elector Saxoniae in tractatu Francofordien. apertè protestatur, se nō cōsentire in titulum Regis Rom. Quid hoc obsecro monstri est? Rex iam I x annis in omnibus literis suis scribit se, non præter rem, Romanorū Regem. & inuentus est aliquis tam temerarius, qui contradicere audeat: Et tantum Imperij periculū tamen dissimulatur à Cesare Augusto, & Romanorum Rege. O iniqua tempora. Factus sum pro typographo fideiussor, unū in cō floren. alteri in cō flore nos. Hi ambo mortui sunt, & nunc hæredes ipsorum à me exigunt, quia effluerunt solutionis termini. Vereor igitur, ne cogar in uniuersum omnib. cedere bonis, nisi per amicos mihi succurratur. Typographus enim in parato non habet, unde reddat. Hoc tamen non scribo, ut a te petam hic mihi subueniri. Sed ut scias, quàm graues me

menūc urgeant grauitates & aduersitates, Actum in arce Stolpen.
Anno, &c. XXXIX. X Iunij.

ALBERTVS MISERATIONE DIVINA S. R. E. TITVLI
diui Petri ad uincula Presbyter Cardinalis, Legatus natus, sanctæ sedis Maguntinæ & Ec-
clesiæ Magdenburgen. Archiepiscopus, princeps Elector, sacri Rom. Imperij per
Germaniam Archicancellarius & primas, administrator Halber-
staten, Marchio Brandenburg. Frideri-
co Nausea, &c.



Euerende & eximie nolter, charissime: Beneuolentiæ
& propensæ uoluntatis tuæ in nos commemoratio,
quàm proximæ literæ tuæ continebant, etsi non noua,
tamèn grâtissimâ nobis accidit: cum intelligeremus, di-
gnitatis nostræ cum augendæ, tum defendendæ tanto studio te fla-
grare. Non enim dissimulare uolumus, eorum nos laudibus dele-
ctari, qui ob doctrinâ & singulares animi uirtutes laude digni exi-
stunt. Quod autem libros tuos ad nos misisti, rem fecisti nobis non
solum gratam, sed etiâ iucundam. Nam sæpe molestissimas oc-
cupationes, quibus supra quàm uel dici uel scribi potest, obstrin-
guntur, cum horum lectione commutare, tum in talium rerum con-
templatione anxias animi curas deponere solemus. In extrema tua-
rum literarum pagina, nomèn coadiutoris Viennensis appositum
erat, qua te dignitate auctum esse læti audiuimus. Itaq; Deum ora-
mus, ut hunc honorem tuum Ecclesiæ suæ salutare, tibi uerò iu-
cundum & illustrem esse uelit. Quod ad nos attinet, ut nunc ab alijs
hònorem tibi tua uirtute & doctrina dignum cõrigisse gaudemus:
ita in posterum, si ferat opportunitas, in eadem dignitate tua ornanda,
etiâ operam nostram libèter impendemus. Vale, ex arce diui
Martini, Maguntia, XV mensis Iunij, Anno &c. MD XXXIX.

ADAMVS HOFFMANNVS CELEBERRIMO AC
Clarissimo uiro, Domino Friderico Nausea, Regio Consiliario &
concionatori dignissimo, Domino & amico obseruan-
dissimo, &c. S. P. D.



Nihil est, quod hoc tempore tibi scribam, obseruandissi-
me Domine D. Nausea, quàm quòd libellum, quem
mihi Pragam transmisisisti, receperim. Magnas itaque
& immortales tibi ago gratias, & habeo, pro tanto
munere: & si qua in re aliquam gratiam referre officijs & obsequijs
meis potero, lubenti animo facturum, me persuasum habeas. Nam
quid magis mihi gratum esse potuit hoc munere, præsertim cum à
tali uiro mihi datum sit: Vnde profectò intellexi amorem, quem er-
ga me etiâ im meritum habes, singularem. Quare nō intermittam
quín hoc quoque D. parenti scribam, me accepisse à te tale dona-
riū: ut intelligat, quò animo & beneuolentiâ tu sis erga me. Interim
quàm

quàm possum maximè rogo, ut me commendatum habeas. Vale.
Datum Lithomericij, XX. Iunij, Anno MD XXXIX.

REYMVNDVS FVGGERVS PRAESTANTISSIMO AC
clarissimo uiro D. Friderico Nausea, sacrae Rom. Regiæ M. consiliario
& concionatori, D. & amico suo opt. S. P. D.



Libellū, quem mihi transmisisisti, clarissime Domine Do-
ctor, gratissimo animo accipi: & inde intellexi amorem
& animum, quem erga me geris, ob id habeo hūc Libel-
lum semper præ manibus: nam uidet mihi ille planè aure-
us. Quare maximas & immortales gratias habeo & ago, non tã pro
munusculo illo insigni, q̄ pro animo tuo in me beneuolo ac prom-
pto, quo me nihil tale promerentem complecteris. Quamuis quid
iucundius mihi dari potuit hoc munere: præsertim quod à tali uiro
sit. Cuius rei nunquam me capiet obliuio: sed quantum potero gra-
tias referre, libèti & hilari animo faciam, ut cognoscas uicissim erga
te meum amorem & animum benè gratum. In præsentiarum nihil
est quod ad te scribam, quàm ut optimè ualeas: & me, uti coeperas,
paterno prosequaris amore, & tibi commendatū habeas. Ex Litho-
mericio, XX Iunij, Anno, &c. XXXIX.

IOANNES COCHLAEVVS D. FRI-
derico Nausea S. P. D.



Euerende Domine Doctor, & Coadiutor, patrone sem-
per uenerãde: literas tuas, quas XXVII Maij ad me scri-
bere dignatus es, multa cum animi uoluptate perlegi
XII Iunij, quòd ex ijs intellexi satisfactionē meam de in-
urbano discessu meo è Praga, acceptam & comprobatam esse à ma-
gnifico atq; miræ tum eruditionis, tum mansuetudinis uiro, D. Ge-
orgio Giengero, Rom. Regiæ Maiestatis uice cancellario clarissimo
atq; dignis. Cui & nunc per te, me studio sissimè cõmendo, meas q̄
preces & obsequia qualiacunq; offero. Nondum enim scio, an mi-
hi interea affinis factus sit, necne. Nihil enim literarū à nepote meo
interim recepi. siue tamen siam affinis, siue non siam, eum reuerēdis-
simè obseruabo, & amabo semper probitatem, miram sinceritatem
& eruditionem uiri, à plurimis mihi fide dignissimis deprædicatā.
Quātum ad me priuatim attinet, opt. & doctissime Domine Coad-
iutor, p̄deo adhuc inter spem & metum anceps, multo grauius de-
pressus ad pericula, quàm erectus ad ullam spem terrenam. Reue-
rendissimus Episcopus noster per Decanum obtulit Principi Hen-
rico librum Teuthonicum de XII Articulis fidei, & de X Præcep-
tis, cum Epistola bene prolixâ: in qua adhuc plura promittit, si nō
impediretur in sua iurisdictione. Instat adhuc pro obtinendo bono
responso. Quum autem necessarium sit, Lutheranis dare rationem
de nostris consuetis cæremonijs, dixi Episcopo nostro, te multa
li præcla-

præclarè in publico prædicasse ac docuisse de cæremonijs. Is itaq; iussit, ut proprium hanc ob rem nuncium ad te destinem, ac petam eius nomine à te, ut eam doctrinam tuam, qua de cæremoniarū rationibus disseruisti, nobis communicare digneris, ut eo facilius possumus defendere ac conseruare pios ritus Ecclesiæ nostræ. Ego de bonitate ac benevolentia tua nihil dubitans, hunc ad te mitto nuncium, conciuem Misnensem, ut securè per eum ad nos mittas, quod in rem nostram fore putaueris. A Reuerendissimo Domino Legato nondum ullam recepimus literulam. Rogo igitur, digneris unâ mecum rogare illum, ut per hunc nuncium nostrum nobis respondeat: quia magna nos urget atq; circumstat necessitas, id quod ad lōgum per literas ei declaro. Bene uale, clarissime Domine doctor, & Coadiutor dignissime. Ex Misna, in festo S. Ioannis Baptistæ, Anno MDXXXIX.

VOLFGANGVS CRABATVS, ETC. REVERENDO IN
Christo patri, excellentissimoq; uiro D. Doctori Friderico Nauseæ, Re-
gio concionatori, intimoq; consiliario, &c. Domino
ac Patrono suo obseruandissimo.



Ec quicquam, ita me lupiter amet, uel maioribus uotis, uel desideratius à dijs immortalibus expeterem, clarissimi me excellentissimèq; Domine Doctor, domine & Meocenas undecūq; prestâtissime, ac si tu optima integratq; tum corporis, tum etiam animæ ualitudine fruueris. Nam & ego (sit laus superis) pariter perbellè ualeo, nec nō sinceris Camcenis incumbo. Præceptor etiam meus fidelissimus tum alios, tum me, summa diligentia, partim in Romana, partim uerò in Boemica lingua instituire, manibus pedibusq; conatur. Vnde fore existimo, ut cum omnia mihi tum à parentibus, tum maximè à præceptoribus suppeditata fuerint, ne cum filio Ciceronis & oleum & operam inaniter consumpsisse, inaniscq; redijisse uidear. Itaq; ne in hanc infamiam incidam, intentis quasi neruis omnibus enitar. Cæterum libellos, quos mihi credidisti, præsentauit, prout ex aliorū dubio procul iam scriptis intellexisti. Hisce, me tibi diligentissimè commendo. Raptim ex Praga, ult. Iunij, Anno MDXXXIX.

IOANNES MENSINGVS, PROVINCIA-
lis Saxonie, &c. ornatissimo uiro D. Doctori
Friderico Nauseæ, &c. S. P. D.



Rnatissime iuxta & humanis, uir, Domine Doctor, præceptor & patrone colendis, si, qd spero, sospes es, reuera cōgaudeo. Equidē ab eo tempore, q tu Maguntia relinques, Regiā aulā repetebas, hic Maguntia cum D. meo Reuerendissimo remoratus expectauit, si fortè mihi occasio daretur,
ut

ut certum nactus nuncium, ad te scribere possem: nec interim occurreret, usq; hodie. Conuenit itaq; mihi, tibi significare, quandoquidem credo adesse in Regia Curia Reuerendissimum D. meum Brundusinum, Hieronymum Aleandrum, qui in sua familia habebat, dum Vincentiæ agerem quondam, Magistrum Iodocum Geuthinū, natione Sylesium Freystatteñ, qui nouit causam pro qua nunc scribo, petens, si fieri possit, te de ea certiolem fieri. Nouit inquam ille me reliquisse Vincentiæ in manibus Reuerendissimi Domini Cardinalis libellum Antapologiæ, nuper à me Germana lingua editum & excusum, nunc latinum factum, scriptum aliena quidem manu, sed & in parte, mea propria. Dum enim confabularer cū Domino Reuerendiss. Card. allegaui mihi fore graue, proprijs impendijs excudere, quæ tanto labore edidissim. Nam id mihi hæctenus usu uenit, unde attenuato nimis abstinentum mihi esset ab edendis libellis, etc. Audiens hoc Reuerendissimus Dominus Cardinalis, promittebat se curaturum, ut excuderentur Venetijs, si quæ haberem excudenda. qua spe fretus, tradidi suæ Reuerendissimæ paternitati supra dictum de Antapologia libellum bipartitum. Prior de peccato Originali est, alter de merito & iustificatione: in quibus diluuntur, quæ in Lib. Apologiæ Philippus Melanchthon cōsarcinauit. & licet D. Doctor Ioannes Cochleus in Philippica abūdè in Apologiam prius scripsisset, nesciebam tamen scripsisse. Itaq; animus est scire, quid de exemplari factum sit, cum aliud non habeam, planè dolerem, si is labor meus qualiscūq; periret. Oro igitur, ut me certiolem facias, si Reuerendiss. Dominus Card. prædictus cum Regia M. fuit, & quid sperare habeam. Nuper ex Venetijs à Reuerendiss. P. Bartholomæo Pisano accepi scripta, quibus intellexi, nihil Venetijs actum de Libello, nec fuisse istic uisum. Si displicet liber, oro ad me mittatur. Maneo Maguntia adhuc tempus modicū, inde Halberstatt cōcessurus. Veruntamen si literæ ad manus Domini mei Reuerendissimi huc mittantur, poterunt deinceps ad me mitti. Quod si prædictus Dominus Card. Brund. non fuerit cum R. M. oro digneris ei scribere, ut uel exemplar remittat: uel, si dignus uisus sit, excudi curet. Habebis me uicissim ad quæcūq; uota tua paratissimū. Bene uale. Ex Maguntia, ipso die Corporis Christi, Anno MDXXXIX.

PAVLVS PAPA III, ETC. DILE-
cto Friderico Nauseæ, S. &c.



Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Fide dignorum relatione intelleximus, te, qui sacrarum literarum scientia plurimum polles, quosdam libros, & præsertim compendium omnium Postillarum & Homiliarum, quibus ueræ fidei lumen ostenditur, composuisse: & in his cōcionibus & colloquijs, quibus continuo uacas, hæreticorum erro-
li 2 res

res non minus doctè, quàm uerè reijcere & condemnare, ac ipsam ueram fidem Christi fidelibus fructuose prædicare, nullosq; labores uel incòmoda propter hæc subterfugere. Quæ res nobis, (quippe qui eiusdem fidei exaltationem, & peruersarum opinionum confusionem & extirpationem toto animo desideramus) profectò auditu gratissima extitit. Quocirca te, utpote de Christiana religione benemeritum, & laude dignum magnoperè, in Domino commendamus, hortamurq; ut in tuis bonis operibus perseueres, & libros compositos prædictos, ad communem omnium profectum, cum primum fieri poterit, in lucem educeres. Nos enim, cum aliqua se nobis obtulerit occasio, laborum tuorum & pij animi, quos continuo commendamus, dignam rationem habebimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die decimonono Martij. Anno MDXXXIX. Pontificatus nostri Anno V.

PAVLVS PAPA III. DILECTO F-
lio Friderico Nauſæ D. etc.



Hec te fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Literarum scientia, multisq; alijs probitatis & uirtutum meritis, quibus personam tuam fide dignorum testimonij nouimus insignitam, merito inducimur, ut specialiter te fauoribus & gratijs prosequamur. Hinc est, quod nos te, qui (ut accepimus) Canonicatum & præbendam Ecclesie Beatæ Mariæ uirginis ad Gradus Maguntinam. inter alia obtines: et quæ nuper uenerabili fratri Ioanni Episcopo Viennensi, in Coadiutorè in regimine & administratione ecclesie Viennensium. cui dictus Ioannes præfuit in spiritualibus, & temporalibus, de fratrum nostrorum consilio, Apostolica auctoritate constituimus & deputauimus: & de cuius persona eidem Ecclesie ex tunc, prout ex ea die cum primum uacaret, & e contra de simili consilio, dicta auctoritate prouidimus, præficiendo te illi in Episcopum & Pastorem: tibiq; ut etiam postquam in uim promissionis & præfectionis prædictarum possessionem, seu quasi Regiminis & administrationis dictæ Ecclesie Viennensium, & illius bonorum, seu maioris partis assequutus fores, & etiam munus consecrationis suscepisses, Canonicarum & præbendam dictos retinere posses, indulgendo: quicq; ut etiam accepimus, uerbi Dei prædicator eximius existis, & singulis diebus Dominicis, seu alijs festiuis, coram charissimo in Christo filio nostro FERDINANDO Rom. Rege in Imperatorem legitime electo, & charissima in Christo filia nostra Anna Rom. Regina, ac eorum natis, nec non diuersis alijs illarum partium magnatibus & proceribus. tam Ecclesiasticis, quàm secularibus, uerbum huiusmodi prædicas, & in seruanda uera Christi religione in illis partibus, plurimum laboras, nec modicum fructum affers: Præmissorum intuitu, gratioso te fauore prosequi uolentes, motu proprio, ex certa scientia, tibi ut postquam possessionem huiusmodi assequutus fueris, & munus huiusmodi susce-

di susceperis, quoad uixeris, & Curiam præfati FERDINANDI Regis sequeris, in beneficijs pro te, pro tempore obtentis, residere minime te nearis, nec ad id à quoq; inuitus compelli possis: & nihilominus omnes singulos fructus, redditus & proventus Canonicatus & Præbendæ ecclesie B. Mariæ uirginis ad Gradus Maguntinam, ac quorūcumque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura & sine cura, quæ in quibusuis ecclesijs siue locis obtines, & in posterum obtinebis, etiam si Canonicatus & præbendæ, dignitates etiam maiores, & principales personatus, administrationes uel officia in Cathedralibus, etiam Metropolitanis & collegiatis ecclesijs fuerint, cum illa integritate (quotidianis distributionibus duntaxat exceptis) cum qua illos perciperes, si in eisdem ecclesijs siue locis personaliter resideres, percipere liberè & realiter tum licite ualeas auctoritate Apostolica, tenore præsentium de speciali gratia indulgemus. Mandantes dilectis filijs, Capitulo uidelicet dictæ ecclesie, quatenus sub excommunicationis lætæ sententiæ poena, per ipsorum quemlibet, si non paruerint, eo ipso incurrendo, tibi de fructibus, redditibus & prouentibus eorundem Canonicatus & præbendæ iuxta indulti nostri huiusmodi tenorem integrè respondeant, nec non uenerabili fratri Episcopo Cassertanensi, et dilectis filijs Maguntinam, & Viennam, officialibus, quatenus ipsi uel duo, aut unus eorum per se, uel alium seu alios faciant auctoritate nostra, fructus, redditus & proventus prædictos tibi, quoad uixeris, & Curiam prædictam sequeris, uel procuratori tuo legitimo, iuxta indulti nostri huiusmodi tenorem, integrè ministrari. Non permittendo per locorum ordinarios & dilectos filios dictarum ecclesiarum Capitula, seu quoscumque alios ad residendum in eisdem ecclesijs siue locis compelli, seu alias, contra huiusmodi nostri indulti tenorem quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet & rebelles, per sententias, censuras & poenas ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias eorum arbitrio moderandas, quacunque appellatione postposita, compescendo: inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, Brachio seculari. Non obstantibus, si in eisdem ecclesijs siue locis primam non feceris residentiam personalem consuetam. Ac se, re. Beneficij Papæ VII prædecessoris nostri, per quam concessiones de fructibus in absentia percipiendis, sine præfinitione temporis fieri prohibentur, & quibusuis alijs Apostolicis ac in prouincijs & synodalibus concilijs editis generalibus uel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac ecclesiarum, in quibus beneficia huiusmodi forsân fuerint, iuramento, confirmatione Apostolica, uel quauis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, etiam si in eis caueatur expresse, quod de fructibus Præbendarum earundem ecclesiarum, non nisi Canonicis presentibus & in ipsis ecclesijs residentibus, responderi debeat. Tu que per te uel procuratorem tuum de statutis huiusmodi seruandis, & non

impetrandis literis apostolicis contra ea, & ipsis etiam ab alio uel alijs impetratis, aut alijs quouis modo concessis, non utendo: tu per te uel procuratorem tuum hactenus forsitan praestiteris, uel in posterum & praestare contigerit iuramentum. Aut si ordinarijs & Capitulis praefatis, uel quibusuis alijs, communiter uel diuisim a dicta sede indultum, uel in posterum indulgeri contingat, quod Canonicos, Rectores & personas Ecclesiarum, ciuitatum & Dioecese, eandem, et in dignitatibus personatibus administrationibus seu officijs constitutos, per subtractionem prouentuū beneficiorum suorum Ecclesiasticorum, aut alijs compellere ualeant ad residendum personaliter in eisdem: seu quod Canonici, Rectoribus, & personis dictarum etiam in dignitatibus personatibus administrationibus uel officijs constitutis, et in illis non residentibus, uel qui in eis non primam fecerint residentiam personalem consuetam, fructus, redditus & prouentus suorum beneficiorum ecclesiasticorum, in absentia sua ministrare minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, suspēdi uel excōmunicari non possint, per literas Apostolicas plenam et expressam, ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs, indulgentijs & literis Apostolicis generalibus uel specialibus quorumcunque tenorū existant, perque praesentibus, non expressa, uel totaliter non inserta effectus earum impediri ualeat quomodolibet, uel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus de uerbo ad uerba habenda sit in nostris literis mentione specialis. Volumus autem, quod beneficia per te obtebentia praedicta, debitè propterea non fraudentur obsequijs: & animarum cura in eis, si qua illis imminet, nullatenus negligatur. sed illa in quibus non resederis, per bonos & sufficientes uicarios de beneficiorum eorundem prouentibus necessaria congruè ministrentur, diligenter exerceantur, & deseruiantur inibi laudabiliter in diuinis. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. I April. Anno M D X X X I X, Pont. nostri Anno V.

IOANNES COCHLAEVS, ETC. REVERENDO
in Christo Patri ac Domino, Domino D. Friderico Nauſſae, Co-
adiutori Viennens. etc.



Reuerende Domine Nauſſae, scripsi ad te nuper ex Stolpen, nunc è Misna scribo: publica nunc omittā. priuata quaedam indicabo tibi, ut intimo amico, qui me ex animo plus diligis, quam faciunt cognati & affines mei: licet illis benefecerim per saepe, multisque modis, tibi nunquam. Agricola è Maguntia toto hoc aduersitatum nostrarum tempore, ne unas quidem literas ad me dedit: an infirmus sit, aut mortuus, ignoro. Viuum certè, aut sanum, uix credo tam immemorè mei fore. Georgio alteri ne potiù meo Prage summa incidit tristitia, & intus cordis dolor, quod affinis eius Papyrifex, posteaquam autor ei fuit connubij cum uir-

gine

gine illa, clarissimi uiri Domini D. Georgij Giengeri cognata, non uult stare promissis. Res ista miris me discruciat modis. Dolet mihi sanè quam maximè, & papyrificè tam odiosum fieri magnis uiris, qui sciunt quid Georgio promiserit: & eum iam tam pudeferi, & contemptibile apud nouos affines reddi, per falsa fororij sui promissa. Quantus erit pudor meus coram Domino Giengero, ubi ista rescouerit? Te precor, clariss. Patrone, qui merito tuo potes omnia apud papyrificem, admone eum fideliter, ne tam inhonestè agat contra Georgium. Vereor enim, ne utriusque haec res in maximū cedat malū. Quò autè ego me uertam, nondum plenè deliberaui. Tu quidem amissimè offers domū tuā, id quod summa gratiarum actione dignū est: sed cum ipse sis ens mobile, aulam semper sequens, non possem tibi esse comodus, aut iucundus hospes. Vocat me alij in longinquū. Reuerendis, D. Card. Contarenus Romae, Veronensis Episcopus Veronae, Card. Trident. Tridentum, aut Brixinā: Episcopus Agriens. ad se, nescio in quā partē orbis terrarum, suspicor tamè in Transyluaniam. Ego autem & iam senex, & mihi probè conscius, quod sim inutilis ad omnia, malle in propinqua aliqua Germaniae prouincia degere, et priuatim inter libros meos uersari, quia magnorum expectationi satisfacere non possum, minueretque praesentia famam & gratiam. Ex his iam cognosces, credo, quam tranquillo nunc sim animo, quando ad priuatas has curas agglomerant se magno cum impetu turmatim curae publicae, super religione & statu totius ecclesiae & reipublicae, Christianae, quae merito me tanto acrius urunt, quanto publicum priuato praeferi debet. Sed nolo te illarum commemoratione nunc uel contristare, uel defatigare, quum sis sanctè atque utiliter alijs laboribus occupatus. Typographi operam in opere tuo, spero tibi non displicituram esse. Miserè uagor hinc inde, inter pericula. Redij huc ex Stolpen, ut inter sim generali Capitulo post tres dies hic celebrando: quod uereor nouissimum fore, post quod ab ibimus gementes, in dispersione ab inuicem. Si quid humanitus mihi acciderit, commendo tibi & M. Hasenbergio curam opusculorum meorum nondum editorum, quae seruantur Dresdae a fororio meo Fracisco Behæmo: ut si qua in istis uiderentur ad rem facere, uestro consilio ederentur. Bene uale, optime, amice ac patrone. Ex Misna, XII Aug. Anno, & c. XXXIX.

MAVRITIVS DEI GRATIA EPISCOPVS EYSTET-
ten, ac Praepositus Herbipolen. etc. Venerabili doctissimoq; uiro D.
D. Friderico Nauſſae, etc. S. P. D.



Encrande pater, ueniet ad te horum lator, Enochus Martius, noster a secretis & seruitijs. Is tibi quaedam, nobis & ecclesiae nostrae summopere necessaria referet: cui ut tam fidem habeas, quam nobis, eique auxilium & omnem operam praestes, etiam atque etiam rogamus. Datum Eystett. Calend. Septemb. Anno, & c. XXXIX.

Theobaldus

AD D. FRIDERICVM NAVSEAM
 THEOBALDVS SPENGLIVS, REVERENDO
 Patri, clarissimoq; uiro, D. Friderico Nauſea, ſacrarum literarum
 ac iuris utriuſq; Doctōri conſultiſſimo,
 S. P. D.



Ametſi apud me nihil erat, Reuerende pater, idem que uir clariffime, quod ſcriberem: tamen harum præſentator Theodoricus Coerfeldius, ut aliquid ſcriberem, extorſit. Crebro itaque rogatu adductus, non potui non à moribus abhorrere. Cæterum, uir omnium decorum genere ornatiffime, per literas Sturmij & Caduceatoris, ad nos equidē fama percelebris, aliſ (ut ſolet) uelociſſimis peruenit, nobis nunciāns noua, neq; minima, te Viennæ uidelicet Epiſcopum deſignatum eſſe. quo nomine tibi magnopere gratulor: neque dubito, quin fortuna ſit aliquādo benignius præclariffimis tuis uirtutibus, tum pro Chriſtianæ religionis aſſertione, tum pro re publica habitis reſponſura. Sed in hoc, ut ſe res habeat, per tuas literas certiores fieri optamus. Nouarum uerò rerum apud noſtrates nihil eſt, præterquam quòd aduentum Cæſaris inuictiſſimi expectamus. Videmus quoq; Principum animos aliquantulum immutatos, & ad pacis concordiaq; ſtudium incumbere. Quid myſterij habeat, aut præ ſe ferat, planè ignoramus. Eſt quoq; apud nos fama, ac frequentes certiſſimi que rumores quotidie adferuntur, multos Romæ Cardinales ueneno periſſe, atq; Cæpegium in Romana curia obſiſſe, cuius mortem noſtrates maximè abhorrerunt. Peſtis hic etiam paſſim ſcintillat, atque graſſatur. Tu optimè ualeas. Datum Maguntia. IIII Nonas Septemb. Anno ſalutis noſtræ MDXXXIX.

VVOELFGANGVS CRABATVS REVERENDO IN
 Chriſto Patri, ac excellentiſſimo uiro, D.D. Friderico Nauſea, Regio
 Eccleſiaſtæ ac cõſiliario, Coadiutori Viennen. &c.
 domino ſuo ut recēti, ita candidiſſimo.

Opto tibi multam, lepidiſſime amice, ſalutem:
 Offero & ultro operam nocte dieq; meam.



Nimum iſtum tam candidum ac propenſum in me, ſi non exſculer, mediuſfidius quouis Geta inhumanior eſſem. Qua gratia eueſtigio literis tuis acceptis, quib. me ſalutare dignatus es, iterum atque iterum manum illam tuam plus quàm familiarem amplexus ſum. Ex illis enim adhortationem ſinceriffimam cognoui, qua de Paræneſi ineffabiles gratias tibi debeo. Tu etenim non ſolum me admonuiſti, imò etiam tam beneuolum te mihi præbuiſti, ut merito te colam ac obſeruem. Quamobrem nunquam ego (dijs fauentibus) committam, quod uel fauorem, uel amicitiam noſtram, uel denique tantam in me beneuolētiam tuam lædere poſſit. Cæterum munuſculum, quo me do-

me donare dignatus es, multis quidem modis mihi gratiſſimum erāt. Idcirco olim etiam, ſi non opere, animi tamen gratitudine referre conabor. Raptim, Pragæ. VII die ſeptembris, Anno Virginei partus, &c. XXXIX.

*Te Deus incolumem nobis conſeruet in omni
 Tempore, & extendat nomen ad aſtra tuum.*

IOANNES HASENBERGIUS, ETC. D.
 Friderico Nauſea, &c. S. P. D.



Vimus recens apud te, piētiffime ac ornatiffime Domine Doctor Nauſea, atq; cauſam equam petiuimus: dedi libellos, unde cauſæ ſtatum facile potuiſti cognoscere. Nunc quia partim mora ſua cuiq; nociua eſt, partim etiam tu prora noſtra puppiſq; in hac cauſa es, petimus ut digneris, cauſæ tam iuſtæ piè conſulere: quoniam tu & potes, & ſcis rationes componendæ cauſæ. Nos & memores & grati erimus. Hoc ego obiter addo, te poſſe apud Dominum Viennensem tentare amicè, ut ille (ut eſt tum equus Princeps, tū in perſuadēdo Achilleus) cum Domino Vueyſpergio in hunc finem ageret, quò tandem ab omnium peſſima cauſa ceſſaret. Sed committimus omnia tibi. Cupimus benignum, pro ſpe noſtra de te, reſponſum. Vale. Data ex ædibus Domini Andreae Miſbeckij, I x Mensis ſeptembris, Anno, &c. XXXIX.

IOANNES HEBRERVS, ETC. ABSOLVTIſſIMO
 Theologiae Doctōri, Friderico Nauſea, Regio Eccleſiaſtæ & conſi-
 liario, Domino ſuo iurè obſeruando,
 S. P. D.



Xhibuit mihi Vuolfgangus Crabatus literas tuas, omnibus modis exoſculandas, tum propter elegantiam & ſtuli iucunditatem, tum inſignem doctrinam, que paucis contigit mortalib. Proinde ego (quæ mea eſt impudentia) minimè paſſus ſum, perferendis hiſce præſentium latorem uacuum abire: quæ res etſi aliquam oſtēſionis ſpeciem habere uidebitur, ego tamen Iouem Lapidem iuro, me ad hanc ſcriptis tuis elegantiffimis ita humaniſſimè commotum eſſe. Quod ſi igitur literis tuum mihi fauorem & beneuolentiam contraxero, non moli ar amplius. Illud enim mihi commodum uidetur, ut qui non diuitijs ſplendidis, amicis tamen compluribus, quos auro argento que præferendos cenſeo, abundem. Rogo itaque me patiari in amicorum tuorum eſſe catalogo. Si hoc impetrauero, quis Croſus, quis Cyrus erit mihi præferendus? Tuum itaque animum dignare mihi proximo tabellario teſtatum relinquere, ut te nouo amico plenè gaudere & geſtire mihi liceat. Vale uir omnium doctiſſime.

sume. Data Pragæ, XIII Septemb. Anno à partu Virgineo, &c.
XXXIX.

IOANNES CASTILLEGIVS, REGIVS SECRETARIUS,
Reuerendo, nobili, doctissimo & ornatissimo uiro, D. D.
Fridrico Nauſææ, concionatori præclaro, amico
ſuo colendo, S. P. D.

Reuere[n]de, doctiſſime, atq; ornatiffime domine Nauſææ, uellem (Deus ſcit) tuæ uoluntati & poſtulationi plenè & ex integro ſatiſfacere: nempe quem magna, eademq; multis nominibus debita proſequor ueneratione & obſeruantia, cuiuſq; mihi iuſſa capere phas eſt. Doleo tamen maxime; me tuo mandato ea omnia præſtare non poſſe, quæ à me deſiderantur: Quonia[m] etſi Hiſpanus ſum, & Imperatrix ſœliciffime recordationis in Hiſpania nata, educata & mortua fuerit: cum ſit tamen Regnum Luſitaniæ, uel Portugaliæ, unde ipſa erat oriunda, & lingua & legibus, nec non & Rege à reliqua Hiſpania diuerſum & ſeparatum, non eandem omnes de eo, quam de Caſtella & alijs Hiſpaniæ Prouincijs, quæ ſub Cæſare ſunt, rationem habemus: niſi ſi forſan, qui uel hiſtorias accuratè legerunt, uel in Regno illo Portugaliæ uerſati ſunt, quorum in partibus noſtris, uel in aula Cæſaris magna copia inueniretur. Apud Regem tamen, herum noſtrum, cum ſimus pauci: pauci, qui de hac re informare noſ ſciant, reperiuntur. Ne tamen tua tu expectatione honeſtiſſima ex toto defrauderis & deſtituaris, ea quæ de negotio mihi iniuncto, mea ipſius noticia, uel aliorum informatione intelligo, paucis abſoluam. Imperatrix Helizabeth, patrem habuit Emanuelem, Regem Portugaliæ, clariffimum Principem, qui multas & inſignes uictorias obtinuit contra Ingritas, & alios Saracænos, in Africa & Aethiopia, & multa eorum regna uel ſubiugauit omnino, uel tributaria fecit. Duxit uxorem primò Helizabetham, filiam Catholicorum & inuictiſſimorum Ferdinandi & Helizabethæ Hiſpaniarum Regum gloriſſimorum. Qua Helizabetha cum prole (uidelicet Principe Michaelè) breui tempore de medio ſublata, duxit ſecundò ſororem ipſius Helizabethæ, nomine Mariam, eorundem Ferdinandi & Helizabethæ tertid genitam. ex qua ſuſcepit, quos nouimus, Regem Portugaliæ, qui nunc Regno illi præſeſt, & duas filias. Alteram, quæ nupſit Sabaudia Duci, atq; ſuperioribus diebus phthiſi extenuata, diem clauſit extremum: alteram uerò, prædictam Imperatricem natu maiorem, quæ nuper ſuperis conceſſit. Fuit autem Domina cum Catholica, religioſiſſima, prudentiſſima, honeſtiſſima, & omnifariam uirtutib; ornatiffima, tum uerò magnanima, quæ cum intelligeret Cæſarem ducturum uxorem eſſe, etſi fama non incerta ferret, ipſum aliò, uidelicet in Angliam

gliam cogitationes huiuſmodi dirigere, atq; ipſa etiam ab alijs Principibus non dedignandis expeteretur, nunquam tamen ab illa præclara ſpe Cæſarei connubij, quæ illi tandem ad uotum ſucceſſit, auelli potuit. Compertas enim eius dotes cum animi, tum corporis, Cæſar cum haberet, ipſam ſibi ultro matrimonio curauit coniungendâ, ex quo ſepties grauida, toties ſobolem habuit, ſed eorū quatuor uel ante diè, uel immatura morte ſublatis, tres adhuc tenet ſuperſtites: uidelicet Principem primogenitū, nomine PHILIPPVM, & duas filias. Fuit debili cõplexione, ſed eleganti forma & corpore mulier. Celebrauit Cæſar cum ea, Cæſare dignas nuptias, Hiſpali, celeberrima Bethicæ prouinciæ in Hiſpania ciuitate, Anno (credo) xxxvi. fuitq; illi chariſſima, & multis rationibus in æſtimatione habita: uidelicet, quæ præſens conditionem & ſtatum Imperialem tum pulchritudine, tum uerò præclaris morib; decorabat, ipſum t̃q; Imperatorem lætum faciebat, & in ipſius abſentia (quod ſæpe illi contigit) Regnum ſua autoritate & prudētia optimè gubernauit. Nam interim dum Cæſar ad Italiam, Germaniam, Africam, & ad alias orbis parteis profectionem fecit, & in illis diuturnam moram traxit, non ſolum prudenter, ſed & fortiter & uiriliter uires præſtitit utriuſq; in gubernando, & Regnum in pace ſeruauit. Cum autè nouiſſimè grauida facta eſſet, catarrho, uel fluxu quodam capitis in pectus deſcendente, in phthiſim, ad inſtar ſororis incidere cepit: quo morbo, plus quam debilis quum ipſius ſubiecti natura ferre uel reſiſtere non poſſet, eam uexante, iam ante puerperium aliquot mēſes, medici de ipſius uita dubitare cœperunt: & mortem uel proliſ, uel matris antea prædicabant: non tamen carētes omnino ſpe, poſſe fieri, ut Deo iuuante, & medicina opitulante, incolumis ſeruaretur. Interim dum in eiuſmodi dubia ſpe detinebant, nec adhuc perfectum iuxta medicorum exiſtimationem tempus partus ad eſſet, in tempeſtiue quidem, ſed non innaturaliter, doloribus partus correpta, filium enixa eſt, qui ad integrâ horam non ſuperuixit: ſed ſacro Baptiſmate munitus, de utero ad cœlum trãſlatus fuit. Natus eſt autem xxii die menſis Aprilis, cui mater ſuperfuit eos dies, qui ab eodem uſq; ad primam Maij interceſſerunt: quo die tandem hora prima, à meridie, omnibus Chriſtianis ſacramentalibus uaticis præmunita, diem clauſit extremum: annum agens (ut dicunt) xl. non tantū cõiugi ſuo Auguſto, ſed totis illis Hiſpaniarum Regnis, magnum ſui deſiderium, & pro ſe lectum relinquens. Corpus eius ex mandato Cæſaris poſtero dein die Granatam delatum fuit, ciuitatem uidelicet celeberrimam, ubi Ferdinandus & Eliſabetha, præclariffimi auſui ex matre ſepulti ſunt. Comitati ſunt autè corpus omnes Eccleſiarum Prælati, qui tūc tēporis in Cæſaris curia aderant, pariter cum uniuerſa ipſius Imperatricis familia. Proauos & Atauos, maiores,

que paternos recensere nescio: maternos autem habuit Castellæ legionis. Hæc sunt ornatissime Domine, quæ ex tempore tibi referre queo, de eo quod per me doceri cupis. Utinam ipsa copiosius & apertius explicare scirem, ut tibi non tantum uoluntate, sed & opere ipso morem gererem. Vale opt. Datum Viennæ, xxv Iunij, Anno MDXXXIX.

IOANNES DEI GRATIA EPISCOPVS ELE-
ctus Ecclesiæ Camenecen. &c. Reuerendo Domino Friderico Nau-
seæ, J. V. Doctori, Coadiutori Viennen. Regio con-
cionatori & consiliario, amico charissimo
& honorando, S. D.



Reuerende Domine, amice & fautor colendissime: Miraris fortasse, quod hæcenus nihil responsi à Serenissimo Rege Sigismundo Augusto acceperis, sed profectò mirari non debebis, cū causas intelliges, ob quas tanta mora necessario quodammodo interposita fuerit. Primum enim, quod tu nullas ad Maiestatem suam dederis præter Libellum illū suæ Maiestati dicatum, quem ipsa læta quidem & hilari admodum frõte & suscepit, & perlegit. Deinde uerò, quod ego serius, quàm uolebam, Maiestatem suam adire potui, propter sinistram ualitudinem meam. Postremò, quod ego diu ab aula abfui, & Maiestas tua uarijs actionibus implicata tenebatur. Sed erit tamen illud tempus non multo post, quo Maiestas S. gratitudinem animi sui declarabit. Nūc moram istam boni consulere uelis, et me amore beneuolentiaque tua prosequi porro pergas, & in Christo Iesu bene ualeas. Craconiæ, xix Septembris, Anno MDXXXIX.

REY MVNDVS FVGGERVS, ETC. CELEBERRIMO AC
clarissimo uiro, D. Friderico Nauseæ, Regio consiliario &
concionatori dignissimo, Domino & amico ob-
seruandè colendo, S. P. D.



Iteris tuis, clariss. domine Doctor, maiorem in modum sum recreatus, partim quod essent elegatissimæ, partim quod beneuolentia ac studio in me plene. In quibus quod me hortaris ac mones, ut in ceptis studiis meis alacriter pergam, ne spem, quam de me tu & amici mei conceperunt, fallam, sed eam potius, si fieri possit, uincam, quod hoc deinde & mihi honoris, et amicis meis maximo delectamento possit esse: circo ego manibus pedibusque (quod aiunt) studebo, ut huic tam piæ, paternæ & sincerissimæ tuæ admonitioni satisfaciam. Deinde quod mihi iterum miseris libellū, pro eo maximas & ingētes gratias tibi ago atque habeo: & ex eo possum intelligere, quod tu me magno amore prosequeris, & summoperè conaris studia mea libèter ac fideliter iuuare & euehere. Cuius quidē rei gratissimè memor ero, dū uixero. & ubi potero tibi gratias olim meis officijs & obsequijs referre, lubēs hoc faciam, &

sem.

per me gratum ac obedientem erga te exhibebo. Daboque operam ne hæc adminitio tua parui apud me momenti fuisse uideatur, ne uel aliquid in me desideretur. His scelicissimè ualeas. Salutant te præceptores mei obseruañ. D. M. Henricus Scribonius, et D. M. Iacobus Dengius. Ex Lithomericio, xxv Sep. Anno &c. xxxix.

IOANNES PRASINVS HALIUS AD D. FRIDE-
ricum Nauseam, Coadiutorem Viennen.

Ingenij, annorumque tibi est par lausque, uigorque:
Non mirum sitte Rex adeo usque fouet.
Nam uerè de cuius tam prudens pectus amari,
Nosseque propitij dona colenda Dei.

PETRVS ALEANDER D. D. PROTONOTARIVS
Apostolicus, Archidiaconus Corduben. Genetæ Canonicus, &c. In Legatione
Germaniæ, &c. Cancellarius regens, &c. Doctiss. & mul-
tiscio D. D. Friderico Nauseæ, &c. suo obser-
uandiss. Domino, S. P. D.



Onasti me nuper, doctissime Nausea, immortalibus tuis lucubrationibus, et me tuis dignatus es literis. Cum que etiam prius in tuis hortis non parum inexpugnabili tua eloquentia uicisses me, & non uulgari, sed peculiari humanitate, effectum est, ut nesciam stare loco, si uerbis bibliothecam ad me missam laude afficerem. Nam cum itineri accincti simus, quod animo sedet, in aliud non successiuum differo tempus. Quis tam doctas momento breui lucubrationes percurreret? Profectò non sum qui in ocio non constitutus, pares possint referre gratias, si dignitatis Nauseæ rationem habuerim: multo minus, si me ipsum collegero, id efficere potero. Præstabo tamen, ne editiones Nauseanæ delitescant: & cum fata locum dederint, ne sim defuturus Nauseæ uitæ inculpatae commentando, & concionando, quanti faciat Germania te uirum incomparabilis scientiæ, atque adeo omni ex parte non immeritò quidem, apud Serenissimū & Christianissimum Rom. Regē, beatū. Nam principibus placuisse uiris, non ultima laus est. Refert multum omnibus innotescere, apud summum et inuictissimū Regē (duce uirtute) non ultimū te tenere locum. Ego et si non is sum, quæ innata animi bonitate me esse uis, occulto tamē ambitu moticor, à doctissimis amari. Naturali ducimur lege, ut quādoque quis moueatur, et interior sensus titillet, cum se à laudatis laudari presentit. Nam cū iam aliquot dies stemus in anchoris discessuri, non potui non tibi scribere. Fuisset ingrati animi, ab humanissimo in salutato hospite, & de me bene merito amico discedere: ne dii optantibus nobis in Italiā cursum prosperum, uelis uentos secundos negaret. Vale propterea clarissime uir, omnium bonarum artium amator, unā cum Reuerendissimo & doctissimo Viennen. Antistite, & Germania nunquā satis laudata. Viennæ, pridie idus septemb. Anno &c. xxxix.

Kk 3 Enochus



Vam primum huc applicui, Domine excellentissime, in ueniliteras Domini mei Reuerendissimi Eystetten. ad me Viennam mittendas. nō enim arbitratur me abijisse. Quibus cōmendat, ut apud te precibus in stem, ut & tu digneris S. D. N. negotium ecclesie Eystetten. à me tibi manifestatum, cōmendare: orareq; ut Sanctitas sua ad Capituli utriusq; Eystetten. & Herbipolēsis preces, quibus hoc tempore maximè est obsecundandum, ratione habita, declinare uelit: quod Dominus meus Eystettensis, autoritate tua, quam sibi profuturā sperat, potitū se uideri possit. Si igitur hoc consultū tibi factu uideatur, quod quidem Eystettensis credit, oro supplex, uelis tuo ingenio, quam poteris studiosissime scribere, & literas tuas huiusmodi D. Simōni Eckio tradere. Is Domino meo Reuerendiss. transmittendas curabit. Valeas optimè. Ratisbonę, ult. Sep. An. redemptionis natæ MDXXXIX.

DANIEL MAVCHIVS I. V. DOCTOR, REGIVS
 consiliarius, &c. Reuerēdo D. Friderico Nausea, LL. Doctori, Co-
 adiutori Viennē. Regioq; concionatori & consiliario, Do-
 mino mihi honorandiss. S. P. D.



Reuerende Domine Nausea, heri ad nos redijt Sebastia-
 nus Saurzapff, Brixinensis Secretarius: cuius relatione
 compertum habeo, te ægrè tulisse, quod tibi primas me-
 as ad Regē literas non miserim. Ipse autem Cardinalis
 Triacrinus omnia mihi tam certò pollicebatur, ut nihil crediderim
 ad uota mea perficienda opus esse, quam Maieft. Regiæ hinc scribe-
 re, illamq; leniter admonere. Et ut planè nihil de esset, ex quodā qua-
 si superabundati mentionem feci tui, ut Maieft. Regiam, si opus fo-
 ret, plenius informare posses. fuit hæc una. Altera etiam causa non le-
 uis, quia non certò sciui, an esses in Regia curia, uel nō. Nam non ita
 pridem audiueram te factum esse Præpositū in Vualdkirch. Cuius
 equidē loci amœnitatem modis omnibus approbatā & celebrem,
 si describere uellem, uix ullum tempus sufficeret. Vnde tibi, uiro do-
 ctissimo, atq; de uniuersa repub. Christiana optimè merito, ob tan-
 tæ adeptionem Prælaturæ quibus boni unā mecum ex animo cōgra-
 tulari debent. Sed hæc hæc hactenus. Ego in in primis tibi maximas ago
 habeoq; gratias, de bona erga me uoluntate: & rogo quam possum
 maximè, ut re ostendas, te mihi quam optimè uelle. Quod sanè
 negotium meum non commendo uerbosius, quum tu melius scias,
 quid in rem meam sit, quam ego uerbis possum petere. Interim ti-
 bi me plurimum commendo. Ex Brixina, septimo Octobris, An-
 no MDXXXIX.

Ioannes



Tsi quātum animi inductio, & mehercle amor erga me
 apud te ualeat, non ignorem: tamen suauissimus atque
 amantissimus tuus sermo hefternus, plenos humanita-
 tis, officij, diligentie que, fecit, ut maxima & plurima
 à te constanter expectare audeam. De omnibus autem rebus,
 quæ ad me pertinebunt, apud quos oportuerit, pro tua prudentia,
 auctoritate, gratia que diligenter ages & constitues. Inimicorum &
 perditorum conatibus, tuo consilio, studio, labore, opera (quo-
 quo modo quidem sese res habeat) resistes. Magna me certè affe-
 ceris non modò lætitia, sed etiam quodammodo gloria, si fidelis cō-
 modi, honoris, dignitatis meæ amplificator esse, sicut adhuc singula-
 ri cum beneuolentiā fuisti, non cessaueris. Hanc in opinionem di-
 scedo, ut tibi mea salus & dignitas summæ curæ sit. Hoc mihi
 gratius facere nil potes. Vale. Viennæ, uigesimo quinto Octobris.
 Anno Christi MDXXXIX.

LEOPOLDVS HIMELREICHIVS, SACRÆ THEO-
 logiæ professor, &c. Friderico Nausea, Coadiutori Viennēsi, Re-
 gio consiliario & concionatori, Domino ac Meccæ-
 nati suo colendiss. S. P. D.



Reuerendissime Pater, & Præsul omnium dignissime, li-
 teras tuas, quas prima Octobris ad me scripsisti, xxiii
 die eiusdem mensis, summo & penè ineffabili gaudio ac-
 cepi, & qua oratione, quo ue modo, cum pro suauissi-
 mis literis, tum pro libris reuera gratissimis, gratias agam, planè i-
 gnoro. Tanto me sanè gaudio affecisti, optime Præsul, uti uel prima
 fronte uitis & cognitis literis tuis, è uestigio de aduersa ualetudine,
 qua illa hora decumbēbam, conualuerim. Gaudeo certè non imme-
 ritò, me in diem hunc foelicissimum, & albo norandum lapillo, ui-
 xisse, quo Vienna inclyta (quæ mihi patria est) tam præclaro & exi-
 mio Antistite gubernatur, sub cuius umbra spero etiā me (Deo pro-
 pitio) aliquando uicturum. Cæterum quia sciscitaris, qua nam cau-
 sa in hanc usq; horam tacuerim, ac prorsus nihil literarum tibi mise-
 rim, cum tamen semper compertum habuerim, te esse perpetuò in
 aula Regiæ: breuiter, cum silentij mei causam, tum uitæ & rerum me-
 arum statum in præsentia aperio. Equidem sanè non aliam ob cau-
 sam hæc hactenus mecum habitauit, & intra meam pelliculam (ut est in
 adagio) me continui, nisi quia uestem, non autem animum mutauit.
 Hoc autem, etsi non propria temeritate, sed admisione & indulto
 sacrosanctæ sedis Apostolicæ fecerim: tamen nihilominus uerebar,
 ne tu

ne tu hoc ipsum egrè ferres, ac animi leuitati potius quàm temporũ & personæ necessitati adscriberes. Eapropter hæcenus silui, quam consilio & auxilio tuo mihi semper & perpetuò opus fuisse. Viuo itaq; iam, ut presbyter secularis, in ueste sacerdotali, non monastica: quamuis pauperem uitam agam. Quapropter me ipsum & omnia mea ex animo tibi deuoueo, & cõmẽdo. Vale. Ex Lithopoli, quam Stain uocãt. VII Nouẽb. An. Dominici natalis MDXXXIX.

ADAMVS HOFMANNVS CELEBERRIMO AC
clarissimo uiro Domino Friderico Nausea, Coadiutori Episcopatũ
Viennens. &c. Domino & amico plurimum obseruan-
do, S. P. D.



On dici potest, uir celeberrime, quantum sum exhilaratus literis tuis nuper ad me datis, uel quod essent plenæ humanitatis ac beneuolentiæ, uel quod à tali & tanto uiro ad me datæ, in quibus uideo te studia mea laudare, & approbare: deinde me admonere, ut ita, quemadmodum incoeperim, in cursu studiorum meorum pergam & curram: ac satagam, ut decori profapiæ nostræ esse possim. Quamuis quod tibi probatur mea studia, mihi non parum gaudij attuleris, (nam hæc est demum uera laus, à probatis & laudatis uiris laudari) tamen quod tantam spem de me concoeperis, me' que candidissimè mones, ne illam fallam, plurimum negotij & magnam necessitatem mihi incumbere uideo: adeò ut uerear, me non posse expectationi tuæ satisfacere. Nauabo tamẽ operam, quantum in me erit, ne mihi ipsi defuisse, & tuam paternam admonitionem paruipendisse uidear. Nam turpe est, spem fallere, & diu mãsisse (ut ille inquit) uacuumq; redijisse. Porro maximas tibi gratias ago, habeoq; pro munusculo illo literario, quod mihi unà cum literis transmittere dignatus es, nam inde intellexi beneuolentiã & amorem singularem, quem erga me habes. Ideo non possum me nõ gratum, saltẽm uerbis, ostendere: daturus operam, ut aliquando gratias officijs meis referam. Nec intermittã, quin hoc quoq; D. parenti meo charissimo significem. ut ubicunq; prodesse possit, uelit uicissim meo nomine officium reponere. Optime & foelicissimè ualeas, clarissime Nausea, precor: meq; uti antehac, in commendatissimis habeas oro. Ex Lythomericio, XV Septemb. Anno, &c. MDXXXIX.

PETRVS ALEANDER, ETC. REVERENDO DOMINO,
& eximio Doctõri, D. Friderico Nausea, multisq; & patrono optimo, S. D.



Quam pium sit fouere & promouere doctos, uiri boni & honesti, doctissime Nausea, optime sciunt. Discessurus de Germania Reuerendiss. Card. Legatus, nonnullos de suis dereliquit, hi curiam Romanam repetere fortasse propter Prælatorum ingratitude, non decreuerunt. Ioan-
nem

nem familiarissimum meum, & unum ex intimis meis, qui literas ad te has defert, tanto tibi studio commendo, ut maiore non possim: eoq; sis animo uelim, quo ego essem, si quid tu merogares. Hunc propter eius modestiam, fidem, diligentiam, & liberales mores, atque eruditionem, mirificè diligo, charumq; habeo, ut alterũ filium. Valet ingenio, habet usum, iam pridem in Curia Romana uerfatur: Ipse paratus (si fata uolunt) umbram Christianissimi Regis sequi, et adherere seruus seruorum Anglicorũ Regulorum, Hispaniæ Principum. Meus, uel potius tuus adolescens, explicatam ueniam à Reuerendissimo patrono suo habet, si quid ad rem facit: hominis periculum facere potes. Tantũ pro nostra summa necessitudine & mutua beneuolentia, magnis & ambitiosis precibus à te contẽdo ac peto, ut hic intelligat, plurimum apud te ualuisse meam, & tuos apud Serenissimos Principes, auctoritatem. Hoc si effeceris, ego habebõ, cui plus quàm tibi debeo, neminem. Fretus amicitia, quæ mihi tecum non solum ampla, sed etiam iucunda est, uerẽcundia non impeditus sum, quò minus iuuenem uehementissimè & ex animo tibi cõmendare. Vale. Viennæ Austriæ, XVI septẽb. Anno MDXXXIX.

M. IACOBVS HASIVS PROTONOTARIVS BRV-
nensis, &c. Excellentissimo uiro Domino Friderico
Nausea, &c. S. P. D.



I clarissime Nausea, ex animi sententia bene ualeres, nihil equidem animo meo mellitius contingere posset. Cæterum quoniam ab ipsa hora, qua tibi innotuerim, semper summum candorem summam que beneuolentiã erga me tuam sum expertus: possem igitur merito ingratitude notam incurrere, si te de statu rerum mearum atque conditionis meæ certiore non redderem. In primis igitur me in Protonotarium Brunensem susceptum esse, te non fugit. Verũm qualis amplius mecum metamorphosis facta sit, non ita planè constare arbitror. Quamobrem cum ciues interpellandi nullum facerent finem, quin uxorem ducerem, semper quidem reluctatus sum, usq; dum bonorum amicorum, & in primis Episcopi Viennensis Mecœnatis ac patroni mei obseruandissimi, accepi consilium & consensum: tandem primum quoq; in hoc consensu. quare, hoc factõ, negotium dilatatum diu non est, sed intra paucos dies uirgo XVI annorum mihi in uxorem desponsata est, quæ quamuis non admodum diues, non tamen omninò inops, atq; satis elegans, proba, docta, bonis & honestissimis parentibus prognata, bona familia, bene ac duriter educata, cum qua facile concorditer ac iucundè omnes annos, in laudem opt. max. me exacturum spero, atq; in utriusq; animæ salutẽ. Eapropter est, quòd te petam, ut si fieri poterit, meis nuptijs & primitijs quoque interesse digneris, nam quem ex amicis alium inuitem, habeo neminem, nisi

nem, nisi te, ac Reuerendissimum D. Episcopum Viennensem, D. Gaudentium, & D. Simonem Eckium, tanquam meos summos & unicos amicos, Mecœnates & patronos. Dies autem nuptijs dicitur est, dies Martis proximus post omnium sanctorum. Felicitissime interim ualeas. Ex Bruna, x x VI Octob. Anno Domini, &c. x x x i x.

F. MICHAEL HILDEBRANDVS, ORDINIS MINORUM, &c. Reuerendo in Christo Patri ac D. D. Friderico Naufæ, Coadiutori Viennens. & Regio concionato-ri, S. P. D.



Vmanitatis tuæ, qua uel maximè ob ardentem religionis zelum, perpetuò me deuinctum tibi firmiter persuasas, fretus beneuolentiâ, uir integerrime, & Domine in primis reuerende, te enixè oratum uelim, non graue ris cura tua hæc literas personarum titulis prænotatas exhibere. Res enim religionis præcipuè agitur. Cæterum mitto uicissim duo exemplaria Libelli cuiusdam, anno superiori per me editi: obsecrâs, non munus ipsum, quia tanto uiro haud dignum sit, sed mittentis animum æqui boniq; consulere uelis: & si quid consolationis, uel de concilio Oecomenico teneas, communicare. Nihil enim suauius, nihil certè iucundius, quàm tuas uel paruas, uel breues potius, literas accipere. Cætera non urgent. Hæc paucis opto te in Domino IESU bene ualere. Schuueidnitz, ex tempore, ipso die S. Martini. Anno, &c. x x x i x.

GERVICVS PLARERVS, ABBAS IN VVEINGARTEN, &c. clarissimo uiro Friderico Naufæ, Viennens. Ecclesiæ Coadiutori, Regio consil. & concion. &c. Præceptori suo præcipuo, S. P. D.



Morem istum tuum erga me insignem atq; eximium, tantum non pridem in te sensi, uir clarissime: uerum denudò eundem, & quasi antiquum, iam agnosco ardentissimum. Quis enim non itidem te amaret, mi Naufæ? imò diligere protinus pergeret? Qui cum is sis, qui & à doctissimis quibusq; ameris undiq; plurimum, & à Principib. Regijsq; nostra tempestate uiris merito fouearis. Proinde non mutui amoris in te nostri obliuioe factum existimes, quo minus hæctenus literarum quicquam à nobis receperis. Verum eadem illa tua perpetua, ut scribis, molestissimorum pro republica Christiana laborum occupatio, à qua longè honestissima occupatione te abripere nephas esse putas (nam te pro illa enixè laborare die nocteq; iam pridem nobis certum erat) in causa fuit, ne te literis nostris ueluti aliò traducere mus, atq; illud nimirum non sine reipublicæ fraude. Et rectè nimirum, imò in tēpore (qd aiunt) illæ tuæ postremæ red dite sunt: eodē enim quasi momento, tum unâ aderat collega, meus Reuerendiss. D. Campidonensis. Cui cum easdem tuas legendas exhibuissem, dictu

dictu mirum, quàm ex animo gauisus sit, imò quàm ad tanti amici literas prorsus gestierit, non solum præclare de ipso sentientis, sed & officium eius requirētis. Tam amicè gratum, ita me Christus amet, utriq; fuit, non solum ut nos gratitudinis ergo ciuillissimè submone res, sed & officium nostrum utriq; debitum humanissimè require res. Cur enim non iure illud ab utroq; exigeres, quod iam olim abs te præstitum est egregium atq; eximium? Quis enim non palam prædicet, tuis istis luculentissimis utriq; nostrum dicatis lucubrationibus id factum esse, ut & utriusq; nostrum factum sit nomen in mortale: & uirtutem pietatemq; illam ueterum insignem, quã quasi ad classicum nobis canis, multo per te redditam esse illustriorem? Tu igitur, Naufæ doctissime, ea tibi de Reuerendo Domino collega meo Campidonen, persuasum habeas (nam ut hæc suo nomine tibi scriberem, quasi nominatim mihi in mandatis dedit) quæ de amico summo, maximoq; tuoq; & honori & nomini optima quæq; cupiente, precanteq; quisq; sibi polliceri uelit. Nam hunc se de te proficitur publicè, & qui tibi debeat multum, & debere itidem uelit q; plurimum. Nec is quidē cessabit, donec certissimo etiam aliquo ornet munere, & breui quidē, ne non sui in te amoris significationem habeas. Ego quoq; uir doctissime, & meum uicissim in te animum ita testatum uelim, quem doctissima eruditissimaq; funebri tua oratione pro munere nuper missa, declarasti denuò, sed et publicè, optimo cuiq; aliqua saltem benemeriti ratio extare possit: & quem me iam pridem in te esse optabam, eundem queam aliquando præstare. Vale uir clarissime, quem saluum & incolumem nobis, toti quæ reipublicæ Christianæ Deus Opt. Max. et seruet, et tueatur. Datum in nostro monasterio Vueingarten, die x x Nouemb. Anno, &c. x x x i x.

VVOLFGANGVS CRABATVS, ETC. REVERENDO in Christo patri, excellentissimoq; uiro, D. Doctori Friderico Naufæ, Regio Ecclesiæ ac consiliario, coadiutori Viennens. &c. D. ac Mecœnati suo obseruandissimo.

Prima dies tibi iam magno splendore coruscet,
Totus ab auspicio ne foret annus iners.



Erq; quaterq; faustum ac fortunatum in euntium annum, imò ad eodē seculum longè lateq; foelicissimum opto, precorq; tibi, uir excellentissime, nec non patrone obseruandissime, ut lætis auspicijs ineat, auspicatorib. procedat, fortunatissimis tandem exeat, ac sæpius recurrat semper foelicior. Quoniam, Mecœnas præstantissime, solennis, sed tamen celebris consuetudo hæctenus inter amicos obseruata est, ut aut congregiantes, aut aliqua de re inter se tractantes, quò saluus esset occurfus, mutua salutem precabant, ac inuicem strenulis gratificabatur, uarijs

autem inter sese decertabant xenijs, hic gemmis, hic feris, alijs uē hoc genus speciebus: quū ego quidem id minimē prāstare possim, tum propter exiguam rerum mearum supellectilem, tum quod eorum omnium tibi maior copia domi sit. Illud salte, quod omnibus diuitijs prāferendum censeo, tibi opto, ut ad multos annorum periodos in pancratia, imō basilica ualetudine permanes: & omnia secunda non tantum hoc anno, sed & semper in lōgāuum largiter experiaris. Postremō per omnes ego te superos obtestor, me uti paterno cōepisti amore & candore amplecti, ita semper fauendo, nuūquam deserere digneris: uicissim ego, ne te ulla in re offendā, intentis neruis omnibus enitar. Nunc quod superest, precor, ut te diu incolumem ac florentem in æternum seruet IESVS. Data Pragæ, x. Decemb. Anno, &c. xxxix.

IOANNES EPISCOPVS MISNENSIS, ETC. REVERENDO & doctissimo uiro, Domino D. Friderico Nauseæ, Coadiutori Viennen. &c. amico charissimo S. P. D.



Tu minus officiose facere uidear, uir doctissime, & mihi honoran. quod te multis alioquin negotijs occupatum, meis literis interpello, tibiq; negotium accessio: tamen cum hęc tempora calamitosissima nos omni ex parte premant, non potui me cōtinere, quo minus ad te scriberem. Arbitrabar enim, me hac potissimum ratione in cognitionem uenire posse, quid rerum uobiscum agatur, & quo in loco res tuæ sint. Ego enim in medijs nunc iactor fluctibus, & Lutheranorum impetus hic sustinere cogor, per quos etiam mihi uix respirandi datur facultas. Video enim indies acerbissimo cum dolore, gregem mihi commissum à me diuelli, & à recta doctrina abstrahi. Quæ res animum meum misere macerat, atq; exedit. Christus IESVS per immensam suam clementiam faxit, ut aliquando ex his eripiar tentationibus: quas tamen ego æquiore laturus sum animo, si te & aliōs eximios uiros, qui in uinea Domini opus faciunt, saluos esse & bene habere cognouero. Itaque maiorem in modum & pro tua te humanitate rogo, ut ea de re accuratè facias me certiore. Ad scribendum me insuper impulit, quod te latere noluerim, certa nunc apud nos sub pœna uetitum esse, ne bonorum uirorum pro Dei domo laborantium libros quis excudat: tanta sollicitudine cauent Lutherani, ne quid, quod ipsorum doctrinæ aduersetur, in uulgus prodeat. Quare etiam uehementer te rogo, ut ad me mittas, si quos editurus es libellos. facies enim ea in re officium cumprimis pium, & tua singulari sinceritate dignum. Polliceor me daturū operam, ne uidearis ingratum, beneficium posuisse. Beue uale, Ex arce nostra Stolpen, xi Decemb. Anno Domini MDXXXIX.

Ioannes

IOANNES STRAVSIUS ECCLESIAE GRAETZ.
en. concionator, &c. prāstantissimo & eximio Domino Doctori
Friderico Nauseæ, Regio consiliario & concionatori,
&c. S. P. D.



Annis superioribus, licet ad paucos dies, tua, Nausea doctissime, sum fretus suauissima familiaritate, cuius & nequaquam immemor esse possum, maximè cum erga me nullum beneficii genus prātermiseris, quo non usus sis: audisti me facillimè, indulxisti ineptijs meis humanissimè: ualuit tecum munusculis meis bibliothecis tantū, quod tandem doctissimarum tuarum lucubrationum, non sine maximo totius reipub. Christianæ commodo in lucem editarum (quas thesauri loco habeo) cumulum quasi dono dedisti. Dñi boni, quid ultrā tuo Strausio desideratius addere potuisses? Ceterū non hac epistola censeas uoluisse me tibi in me gratitudinis meritorum tuorum gratiā referre, sed ut memoriam tuā apud me uiuacissimam fore agnoscas, quam nulla temporum diurnitas de mea delebit mēte. Et tunc tuas laudes ineffabiles me silere posse censebis, cum luce functus, nunquā amplius respirabo. Vale, & tuum strutionē, licet deplumātū, ut cōepisti, ama. Ex Grætz, xviii Decemb. Anno Domini MDXXXIX.

IOANNES ARCHIEPISCOPVS LVNDEN, ETC. orator Casareus, &c. Reuerendissimo Domino Friderico Nauseæ, Coadiutori Ecclesie Viennen. &c. Domino & amico obseruando.



Reuerendissime Domine, post obsequiorū meorum cōmendationē, salutem & pacē in Christo. Opus tuarū lucubrationū Pragensium, quod S. D. N. oratori & mihi pro tua in nos affectiōe dedicaueras, recordor mihi prāsentatum fuisse, quod maximi muneris loco acceptaueram, & summa aliquoties uoluptate perlegi. Memini etiam me per literas tibi gratias egisse plurimas, cum oblatione officiorū meorū. An literæ illæ meę tibi sint redditæ, penitus ignoro. Ego etiā post istas cōtinuās cursitationes, postea sum oblitus, qd oretenus gratias agere prātermiserim. Id quod pro tua humanitate ignoscerē uelis, et existimare, talem me aliquando exhibiturum, ne tuæ munificentiae uidear fuisse immemor. Te itaq; ob Dei amorem rogo, tibi supplico, quo hanc meā negligentia boni cōsulere, neq; rusticitatem meā accusare uelis. Quod sumo studio ac gratis officijs promereri polliceor. Me tibi deniq; tanq; domino & fratri obseruandiss. commendo. Vale. Viēg. citiss. calamo. xix Decēb. An. à nato saluatore MDXXXIX.

IOANNES HERBERVS VALLEN, ETC. REVERENDISSIMO & doctissimo uiro, D. D. Friderico Nauseæ, Coadiutori Viennen. Regio consiliario et concionatori, &c. D. ac Mecanati suo perpetuo suscipiendo, S. P. D.

L1 3 Literas



Iteras tuas, Domine Nausea, Doct̄or omnibus modis absolutissime, obuijs ulnis amplexus, mirificeq; osculatus sum. Eran̄t enim pietatis & candoris plenissimæ. Omnis planè humanitatis expers essem, si propter istā facilitatem te, quā̄m oculos meos, pluris non facerem. Equidem hoc possum, omni amoto fūco, uerissimè prædicare, humanitate & facilitate te longè omnes mortales superare, nec solidæ tuæ eruditioni parem esse quenquam. Quanto igitur præclaris animi dotibus, quibus te abunde ornauit Deus, reliquis præstas, tanto plus de omnibus Mineruæ studiosis mereris. Quorum animis ita infixā est tui memoria, ut sui potius, quā̄m Nauseæ obliuiscerentur. Ego uerò quam gratiam referam tibi, qui mihi priores in tuorum clientum, aut, ut tu uis, amicorū catalogo partes delegisti. Non est quod tibi de nostris opibus polliceri possis. Autumo enim, nec Codrum illum inferioris me hominem fortis fuisse. Faciam attamen pro mea uirili, ut pietate & officijs recens inter nos amor confirmetur. Si quid olim præter spem fortunæ aut dignitatis accesserit, mihi id tecum commune erit. Tam gaudeo, Doct̄issime Nausea, quod te amicum habeam, quā̄m si in dulcissimum deorum contubernium cooptatus essem: eoq; mihi loci futurus es in terris, quo Maroni Augustus Cæsar: ita deos superos post mortem propitios experiar. Sermo tuus, quo nihil neque doct̄ius, neque elegantius quicquam uidi, semel atque iterum à me lectus est: & tantisper legam, donec ad unguem memoriter sciam, erit que mihi inuiolandæ amicitiae firmissimum pignus. Misissimè uicissim, quo erga te meum amorem testarer: Sed diceres, bibliopolas nostrates coniurationem fecisse, ut nouum nihil, doct̄um ue aduehant. Lusi aliquot ad te uersiculos, quos, cum hoc tempore nihil aliud dare possim, tanquam certissimam mutui amoris & beneuolentiæ tesseram habeto. Vale in Christo, & me tibi commendatum habere dignare. Cursim, Pragæ. xv. Calend. Mart. Anno Christi MDXL.

AD REVERENDISSIMVM D. FRIDERICVM NAVSEAM,
carmen Ioannis Herberi Vallensis,

Mortales inter te non mihi charior ullus:

Te plus, quā̄m uerum diligo, amoq; patrem.

Tum, quia doct̄iloquæ uestigia dura Mineruæ

Legeris, in doct̄um creueris atq; uirum.

Tum, me præcipuos inter signaris amicos,

Doctrina haud præstem qui, neq; diuitijs.

Non nego, deberi magnas tibi non modo grates:

Munera uerum etiam, perpetuumq; decus.

Sed quia me seruum uoluit natura pusillum,

Officium serui semper obibo lubens.

Et

*Et prius hoc corpus terræ condetur inani,
Perpetuò noster quā̄m tibi deest amor.
Hæc habeas, quæ sint folijs mage uera Sibyllæ,
Carmen & inceptæ pignus amicitiae.*

IOANNES DEI GRATIA EPISCOPVS VIENNEN,
Etc. Reuerendo excellentissimog; uiro D. D. Friderico Nauseæ,
Regio consiliario & concionatori, nostræq; ecclesiæ
Viennæ. Coadiutori, amico nostro
optimo, Etc.



Alutem, & omne bonum. Venimus, Deo dante, salui et incolumes eò, quod tendebamus. & ante paucos dies à sacratissima Cæsarea Maiestate post Missam, gratiosissime allocuti & excepti sumus. Cæterum allata est nobis à te postea bene onerata, de dato xx. Februarij, ad quam tibi, quantum fieri poterit, respondebimus. Primò obrulimus Cardinali Farnesio tuas lucubrationes, cum Episcopo Mutinensi, nuncio: et eisdem te cōmendauimus, neq; etiam posthac cessabimus. Siquid enim per nos tibi effici potest, quod tuę expectationi respondeat, nihil, ut hactenus semper fecimus, prætermisuri sumus. Vellemus enim non minus, ac tu ipse, ea quæ quotidie maximis laboribus colligis, quemadmodum de Catechismo iam scribis, posse ad publicam utilitatem prælo committi. Sed hoc ferendum est, cum etiam nobis desint, quæ habere necesse esset. Hodie dabimus Cæsareg & Regiæ Maiestatibus literas, & exemplaria tua, & quamuis te ipsum satis commendent ea, quæ iam aliquot annis pro religione Catholica præstitisti, & quotidie adhuc præstas: si quid nostra tamen commendatio efficere potest, minimè deerit. Ita etiam age mus cum Serenissima Regina Maria, quæ nos etiam exceptit. Et certè æquum esset, tuis laboribus donis que aliquod honorarium dari: de eo tamè hoc tēpore incerti sumus. Ipse enim scis, quomodo in his rebus agatur. Si tamen ulla se offeret occasio, nō negligemus. De negotio tuo Maguntino Dominus Balthasar Bengel, uir uti sincerus, ita sanè diligentissimus, ad te perscribit. Vale. Ex Gandauo Flandriæ, xii. Martij. Anno &c. XL.

IOANNES EPISCOPVS MUTINEN. NVNCIVS
Apostolicus, Etc. Reuerēdo tanquam fratri, Domino Friderico Nauseæ, Doct̄ori, & Sereniss. Rom. Regis concionatori atq; consiliario, Coadiutori Viennæ.
amico dilectissimo,
S. P. D.



Tsi mihi gratissimæ & iucundissimæ sunt literæ tuæ, tamen quas nuper ad me dedisti, hæc incredibili me gaudio uoluptateq; cumularunt. Consecuti sunt enim eas libri duo, quorum alterum amplissimo patri Cardinali Farnesio,

Farnesio, alterum autem mihi te dono mittere animaduerti. Quapropter ut tuæ honestissimæ uoluntati & iustissimo desiderio satis factum esset, reddidi statim ei epistolam, libellumque tuum, quibus utrisque non uulgarem accessiōnem commendationis à me additam fuisse certò scies. Vnde et si ipse per se ipsum, ut est summa humanitate uirtute que præditus, ad te iuandum propensus esset, tamen meis uerbis & autoritate non nihil est etiam inflammatum. Quod ita esse planè cognosces, cum illius liberalitate petitioni tuæ nonnulla ex parte consultū satisfactūque perspexeris. nec enim eius studia & officia tibi sunt defutura: si, qua uia & ratione olim coepisti, Christianæ reipub. subuenire in posterū perpetuò constantissimeque persistas. De me uerò nihil erit omnino, quod tibi polliceri non possis. Nam si mihi grata optataque sunt Christianæ Reip. cōmoda (pro qua mortem oppetere nō recusarem) debeo etiam fauere honori, dignitati, utilitatique tuæ, qui eam saluam & incolumem esse desideras. Vale, ex Gandauo, xx Martij, Anno MD XL.

ADAMVS HOFMANNVS CELEBERRIMO AC
clarissimo uiro Domino Friderico Nauſeæ, Regioconsiliario et con-
cionatori, Coadiutori Viennen. amico & Domino
plurimum honorando, S.

Literæ, quas nuper à te accepi, clarissime ac doctissime Domine Doctor, non paruo gaudio me affecerunt, ut quæ plenæ fuerunt amoris ac beneuolentiæ erga me. Quandoquidem tam benignè me admones, ut quem admodum incoepi, ita pergam in studijs meis. Itaque principio maximas tibi ago gratias pro tam paterna admonitione & amore, quo me cōplecteris. Porro magnas & ago & habeo gratias pro illo munusculo, quod mihi uice strenæ misisti, nam nondum promeritus sum, quod tu tam frequenter me ornas munusculis. attamen grato animo suscipio abs te: Et si qua in re potero tibi inferuire, & uicissim gratificari, semper ero paratus. Quod uerò ad te tam diu nō derim literas, non factum est negligentia, sed quod hoc tempore fui occupatus alijs negotijs, nempe pietate, & quod quædam transtuli ex latina lingua in Boemicā: & quoque declamationem scripsi in laudem Iesu. Quare rogo, ne id uitio uertas: & ego, si quid iam neglectum est scribendo, in posterum lubens refarciam. Bene uale, meque uti antehac, amore prosequaris. ex Lithomericio, decimo die Aprilis, Anno MD XXXIX.

REYMUNDVS FVGGERVVS, ETC. CLARISSIMO
ac celeberrimo uiro, D. Friderico Nauſeæ, Regioconsiliario & con-
cionatori, Domino & amico plurimum obser-
uando, S. P. D.

Ex



Literis tuis, clarissime Domine Doctor, plurimū hausi uoluptatis: ex quibus intellexi, te singulari me amore prosequi, ut qui non cessas mihi munera mittere, & me apud bonos amicos cōmēdare. Pro illa beneuolētia in me tua gratias ago, habeoque maximas: atque olim, si quando licebit, referre meis seruitijs, lubens dabo operam. Nam hoc mihi semper curæ erit, ne aliquis ingratum me reperiat. Quod uerò tam diu non dederim responsū ad literas tuas, oro te, ne mihi uitio uertas, nam incertos habemus nuncios illuc, ubi iam cum Regia Maiestate agis: sed quamprimum nobis nuncius certus, uidelicet Dominus Pater uicarius, qui hic apud nos fuit, contigit, non potui intermittere, quin ad literas tuas responderem, & me pro hoc munusculo gratum exhiberem, præsertim uerò cum alijs quoque scripserim. Hoc autē tempore nil aliud habeo, quod tibi scribam, quàm ut bene uales: & me quo coeperas, amore prosequaris. Ex Lithomericio, x die Ap. Anno, &c. XL.

LEVINVS CRVCIVS PAROCHVS BOSCEPENSIS, ETC.
Insignissimo LL. & sacre Theologiæ Doctori, & Ecclesiastæ Regio, ac
Coadiutori Viennesi meritisimo, Friderico Nau-
ſeæ, S. P. D.



Quatisime, ac multis præclaris dotibus cumulatis-
sime uir, miraberis scio & uehementer & multum, quā audeam ego, homo postremæ notæ, & imæ fecis, te tantum uirum, meis ineptijs interpellare, serijs adeò & arduis rebus quotidie incumbentem. Dicam equidem, quis me ad hanc armauit audaciam, & temeritatem Phaetonteam: Iacobus Danus Arrufius, olim meus professor græcus, dum iuuentutem Flan-
dricam instituerem, nuper literis suis, et item tuis ad ipsum humanifimis, ad hanc audentiam me animauit, deprædicans mihi animum tuum in omnes mirè propensum: qui nullum tuo alloquio, amore ac beneuolentia, ac etiam opera, ubi commodare cuiquam posses, indignum duceres. Itaque ausus sum ego homūcio, tibi tantum momenti uiro obstrepere. Non feres spero iniquè, Friderice humanissime, si confidentius tecum agam, quàm uel meam temeritatem, uel tuam præcellentiam deceat. Amor meus in te cæcus est, qui non adeò ut par erat, tuam præstantiam ueretur. Dicā igitur nunc quid animus ferat. Præfectus ego, immeritus licet, ouiculis Christi numero, ut arbitror, sexcentis pluribus fateor, quàm uel mea eruditio ferat, uel earum postulet cura & necessitas: illis Dominicis peculiariter diebus nonnunquam Panem Euangelicum, abs te fractum uarijs Homiliarum Concionibus, distribuo. Dispensator utinam gratus Deo, seruus prudens & fidelis, quem cōstituit Dominus super familiam suam, Corrado igitur mihi, & paro, quicquid usquam lucubrati-

M m num

num tuarum extare uideam, aut ab amicis intelligā. Nam (absit adu-
lacio) Achillem te habeo, & Herculem quendam, cōtra monstrum
illud horrendum, & eius asseclas & coniuratos, Lutherum loquor,
& schismaticos, qui in istius uerba iurarunt. Quorum profectō
apud nos Flandros etiam magna uis est, omnibus oppidis et pagis
disperfa, quibus ego pectus quotidie obijcio, populum Dei exhor-
tans, ut in fide patrum suorum, quæ uiguit annis mille quingentis,
persistant. Et Christi IESU gratia, nostri satis perseuerant, ac in-
sistunt uestigijs maiorum suorum: Christi inquam gratia, qui pro
sua bona uoluntate det eis uelle & perficere. Nunc autem abhinc
paucis diebus mihi communicauit Danus noster Arrusius, Poeta
& Orator egregius, qui apud Dominum Nicolaum Olahum, Re-
ginæ Secretarium, agit, tuas amicissimas ad ipsum tabellas, quibus
polliceris propediem te editurum opus insigne, cui titulus, Catho-
licus Catechismus, sex libris distinctus. Hunc autem titulum quum
legerem, corculum mihi ritè saliebat, & iam iam uidere & contrecta-
re, & amplecti & exosculari gestiebam, atque illico arrepto calamo,
in eius operis præconium, quamuis mihi frigidus circum præcor-
dia sanguis obliterit, Epigramma tumultuarium Iusi, quod ad te
datum uolui, non ut operti præfigeretur tam nobili: uerum enim-
uero ut animum meum ac affectum in te sincerum prorsus perpen-
deres: qui si non potuit, uoluit tamen tibi optime. Id quod breui, di-
uina fauente clementia: pro posse meo, re ipsa experieris. Vale, Ex
Bolsen, Anno MDXXXIX. XII Ap.

HIERONYMVS PVLASTRELLVS, ETC. REVEREN-

do in Christo Patri ac Domino, Dn. Friderico Nauſea, sacre Theologie ac

I. V. Doctōri excellentissimo, Regio consiliario &

concionatori dignissimo, D. suo obseruan-
dissimo, S. P. D.

Nostquam mihi nuper à quodam Alemanno rela-
tum fuit, Amplissime Præsul, te quam foelicissimè Vi-
ennæ ualere, ac in summo honore & precio, tum apud
Inuictissimum Rom. Regem, tum apud ceteros Ger-
maniæ Principes agere, magna certè leticia sum affectus: tuæq; Am-
plitudini gratulor, lætor que te ad tam magnam dignitatem per-
uenisse. ac nihil magis desidero, quàm ut te ante obitum meum
uidere possim, ac si scirem tibi nō ingratum esse, te certè inuiserem.
Quapropter, obseruandissime Antistes, te magnopere rogo, di-
gneris mihi quamprimum rescribere, utrum uenire debeā, nec ne,
meq; de omnibus tuis rebus certiore facias. Res uero nostræ sunt
in satis turbulento statu. Nam apud nos est hic summa penuria re-
rum, tum etiam sum quibusdam molestis negotijs occupatus.
Porro mater ac uxor mea tibi perpetuam foelicitatem optāt, ac scire
cupiunt

cupiunt quomodo ualeas, Datum Patauij, die prima Martij, Anno
MDXXXIX.

ALEXANDER CARD. FARNESIUS PER VNIVER-
sam Germaniam ad Carolum V. Imp. Legatus Apostolicus, &c.
Friderico Nauſea, S. P. D.

Rosificenti mihi ad has regiones, posteaquam, ut spera-
bam, apud Maiestatem Regiam te non uidi, sanè mole-
stum & iniucundum fuit. Pergratum enim mihi accidit
set, eum, quem propter illius bonitatem ualde amarem,
de facie etiam cognouisse. Sed tamen acceptis literis tuis, cum intel-
lexissem te in Austria ad conciones habendas remansisse: id quod
& à Mutinens. & à Viennense quoq; Episcopis erat mihi relatum,
probauit plurimum pietatem & institutum tuum, neq; probauit so-
lum, sed laudauit etiam apud sanctissimū D. N. per meas literas, eiq;
te etiam atq; etiam commendauit. Quare perge, ut coepisti, Nauſea:
spemq; habeto, hos tuos pro Christiana religione labores non mo-
dò in oculis omnium bonorum esse positos, sed Dei quoq; ipsius, à
quo perpetua & sempiterno æuo duratura præmia sis accepturus.
De me uero ita existimes uelim, nihil esse tam arduū, quod tua cau-
sa non lubentissimè suscipiam. Atq; etiam ut in præsens paupertati
tuæ aliqua ex parte prouideatur, mitto ad te ducatos aureos CC. eo
modo, quo ab Episcopo Viennensi, qui uehementer te amat, intelli-
ges. Vale, & res fidei nostræ (ut facis) cura. Ex Gandauo, XIII Apri-
lis. Anno salutis MDXXXIX.

PAVLVS PAPA TERTIVS, DILECTO FI-
lio Friderico Nauſea, sacre Theologie Professo-
ri, &c.

Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Vti-
nam aliquādo istic cum religione Catholica, nostra quo-
que restitatur autoritas, ut de te ac cæteris tui simili-
bus bene mereri possimus: quod non uoluntate distuli-
mus, sed occasione hæcenus priuati sumus. Quo magis cupimus,
teq; hortamur, ut in cursu coeptæ pietatis & sancti laboris perseue-
res: & si quando antea, nunc maximè in Spirens. conuentu, & ubi-
cunque usus ueniet, ad assertionem Catholicæ fidei annitaris, quo
uoluntas nostra in te remunerando, etiam affectu representari
possit, sicut nos quidem maximè cupimus, & uenerabilis frater
Ioannes Episcopus Mutinensis, nuncius noster, tibi latius explica-
bit, cui fidem habebis. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub
annulo Piscatoris. Die XIII Maij, Anno MDXL. Pontificatus
nostri anno sexto.

Mm 2 Ferdinandus

FERDINANDVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA
Rom. Hungariae, Boemiae, &c. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux
Austriae, &c. Honorabili, docto Friderico Nausea, Le-
gum doctore, Diuini uerbi concion. & confi-
liario nostro, deuoto, nobis dilecto.



Onorabilis, docte, deuote, dilecte. Redditæ sunt nobis
binæ literæ tuæ, unâ cum Libellis abs te non minus piæ,
quàm ingeniose, in communem tuendæ religionis no-
stræ utilitatem compositis: quos clementer accepimus,
animumq; istum & sacra studia tua, præsertim in docendo popu-
los & subditos nostros ea quæ ad ueram pietatem pertinent, ma-
gnopere probamus: prosequuturi eiusmodi labores uigiliisq; tuas
singulari, cum dabitur occasio, beneficentia, liberalitateq; nostra.
Quod te latere noluimus. Datum Gandau, die xvii Mensis Apri-
lis. Anno Domini M D X L. Regnorum nostrorum, Romani deci-
mo, aliorum uerò XIII.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS, ETC. RE-
uerendo & excellentissimo uiro, Domino D. Friderico Nausea, Regio
consiliario & concion. & Coadiutori Ecclesiæ nostræ
Viennen. amico optimo.



& omne bonum. Venit huc missus à Cardinale & Ar-
chiepiscopo Maguntinæ. D. Iodocus Huitfelder, unâ
cum Reuerendissimo Dn. Lūden. Is cum heri cum secre-
tario Cæsaris Obernburgero, & quibusdam alijs auli-
cis Cæsareis, nobiscum in prandio esset, cœpimus inter comeden-
dum, ut fieri solet, de uarijs rebus sermones conferre. Ibi, cum for-
tè fortuna tui mentio incidisset, cœpit D. Iodocus suę instructionis
seriem, quam à Cardinale acceperat, narrare: & inter cætera dixit,
se habere singulare mandatum, ut aduersus Nauseam benefi-
cio Cæsaris, Regis, Cardinalis Farnesij, ac aliorum, agat propter
præbendam quam tu Maguntinæ possides. Respondimus non
parum irato animo, eum nihil hac in re effecturum. Nos enim hic
esse, qui te propter Sanctiss. Dominum nostrum, ac ipsum Re-
gem, simus defensuri: cum ea annexione & admonitione, hoc face-
re ne tentaret. Quàm turpe enim, quàm etiam scandalosum hoc a-
pud omnes aduersarios nostræ religionis sit futurum, Nauseam,
uirū doctissimū, & de Ecclesia Maguntina benemeritū, & qui ibidē
decēnio Prædicatoris munere functus sit, præterea adhuc quidē
de Ecclesia & sede Apostolica, etiā nū sine ualitudinis & pecuniarū di-
spēdio mereri nō cesset, turbari, & ad id quod ei debetur, nō admit-
ti, aut etiā Regijs intercessionib. nō obediri: malū uerò, fugitum,
indoctumq; hæreticum Decanum Patuuiensem ali & sustēari (id
quod ipse iam gloriatur) ab Episcopo Maguntino. Quàm sit hoc
honestum, iudicent, qui possunt. Nobis sanè uidetur res indigna.

Hæc

Hæc inter prandendum. A prandio, cum alij recessissent, cœpi-
mus eadem de re soli tractare: adeo que iratissimi diu cum ipso ex-
postulauimus. neque dubiū apud nos fuit, quin per nos potuisset
persuaderi, ut his & dictis rationibus cessaret. Fieri tamen non po-
tuit, sed promisit se Cardinali animum nostrum proxima postea de-
claraturum. Si ipse iubeat, uelle hoc lubentissimè facere: esse e-
nim sibi faciendâ, quæ iubeat Cardinalis. Diximus nos eum contra
te nihil planè apud omnes impetraturum, fore itaq; melius, non in-
cipere. Hæc tua causâ, qua potuit fieri, commoditate & diligen-
tia egimus: neque ea te latere uoluimus, ut scires nobis, qui semel
te defendere cepimus, tuas res curæ esse: Cui posthac deesse nolu-
mus. Datum Gandau, xvii Martij, Anno à Christo nato, &c.
quadragésimo.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS, ETC.
Domino Doctore Friderico Nausea, &c.
S. P. D.



Eri ad me misit iuxta promissâ, Cardinalis Marcellus, li-
teras cambij, hodie easdem mittam Antuerpiam, ut ac-
cipiam à mercatore, seu factore Fuggarorum, cui merca-
tor Luceñ, dabit hanc pecuniam, aliam schedam, quam
tibi, ut Viennæ habeas pecuniam, transmittam. Cum quæstori-
bus Reginæ iam toties tuo nomine egi: sed ipsi aiunt, non adesse pe-
cuniam in præsentiarum, dixeram, si fierent tamen literæ, ut à quæ-
storibus Viennæ uel ad festum Ioannis, aut Iacobi, aliquid accipere
possis. nescio autem adhuc, quid in eo statuetur. Hæc breuiter. Va-
le, ex Gandauo, xvii Ap. Anno, &c. MDXL.

FERDINANDVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA
Rom. Hungariae, Boemiae, &c. Rex, infans Hispaniarum, Archidux Au-
striae, &c. honorabili, docto Friderico Nausea, legum Docto-
ri, Coadiutori Viennen. ecclesiæ, diuini uerbi
concionatori, et consiliario nostro, de-
uoto, nobis dilecto, &c.



Onorabilis, docte, deuote, dilecte: Facimus te clemen-
ter certior, quod Cæsarea Rom. Maiestas, dilectus
nobis frater & Dominus, in causâ religionem concer-
nente, iam per aliquos uocata in dubium, ad modera-
tam placationem atque concordiam eiusmodi errorum, dietam
determinauit, & destinauit Spiræ proximè, nēpe in Dominica Tri-
nitatis, comparere. Huic ipsi dietæ atque termino, nos ipsi præsen-
tes interesse uolumus. Ad hoc etiam sunt alij principaliores sacri
Romani imperij Electores & Principes uocati, & deputati. Et quo-
niam nunc summa rei postulat necessitas, ut in his maximis contro-
uersijs, ad piam moderationem, certus numerus doctissimorum,
prudentissimorum, & diuinarum scripturarum exercitatorum

Mm 3 conueniat

AD D. FRIDERICVM NAVSEAM
conueniat & conuocetur, bono consilio et nos etiam constituimus
nostro nomine, ea in re, tua opera cum alijs uti. Propterea seriò mād-
damus, ut tuas rationes sic pares & instituas, ut Spiram ad constitu-
tum diem certò coramq; aduenias, neq; aduentum ullo die nec tem-
pore prolonges, prorogesq; neq; quicquam in hoc remorari te pa-
tiaris. Porro nos cōsiliarijs nostræ Cameræ mādauimus, ut te neces-
sario ad futuram profectiōem uiatico præparent. Hoc te latere
nolumus: & facies in hoc nostrā uoluntatem, & seriā mentem. Da-
tum Gandauī, XVII Aprilis. Anno MDXL. Regnorum nostrorū,
Romani decimo, aliorum uerò decimoquarto.

DANIEL MAVCHIVS I. V. DOCTOR, ETC. RE-
uerendo Domino Friderico Nauseæ, sacre Theologiæ & LL. Docto-
ri, concionatori & consiliario Regio, Coadiutori ecclesiæ
Viennen. &c. Domino obseruandissimo,
S. P. D.

Reuere de Domine, amice honorand. diu iam expecto
tuas literas, neq; aliquam admitto excusationem, cum
à uobis quotidie in Hispaniam mittantur literæ. Si igit
antiquum obtines, & mei non es prorsus oblitus, rogo
piurimum, ut in quo statu negotia mea apud sacratissimam Regiā
M. existant, mihi indices. Nam nimis iam diu hæreo suspensus: & a-
lijs in locis, si uobiscum esse non possum, fortassis mihi prospiciam.
Ego autem nullibi quàm uobiscum, essem libentius, quantum uis
me multa deterreat. Tu igitur fac officium amici & fratris: mihiq;
quid sperandum sit, pro tua pijsima sinceritate, clarissimè & citissi-
mè scribas: in hoc facturus rem mihi necessariam, & uehementissi-
me gratam. Magnifico & Doctissimo D. D. GEORGIO GIENGE
RO, Regio Vicecancellario sanè dignissimo, summo quo potes, stu-
dio insinua & commēda, & de rebus uestratibus ad me scribe. Vale
foelicissimè, & me commendatum habe, ex Valentia, XXVI Aprī-
lis. Anno Domini MDXL.

M. DANIEL CORDATVS CILIEN. REVEREN-
do in Christo patri, D. Friderico Nauseæ, Episcopus Viennen. Co-
adiutori, excellentiss. LL. ac sacre Theologiæ Doctori,
Regioq; Ecclesiæ, Domino semper co-
lendo, &c. S. P. D.

Reuere de ac gratiose pater, adire te uolebam: sciens au-
tem tantis te, serijsq; negotijs occupatum, ne obtunde-
re uiderer, Iacobo amanuēsi tuo rem uniuersam tractā-
dam commisi, ut uidelicet onere grauisimo, à Ferdinā-
do inuictissimo Rom. Hung. Boemiæq; Rege, &c. Episcopi ac Nau-
seæ auctoritate, intuitu respectu ue uerorum iuxta tenorem om-
nium actorum, quæ per famulum, pace tamen ac consilio tuo, trans-
mittere,

mittere, pro re ac utilitate mea esse uidebatur, Episcopo Viennē.
offerēdas tradendasq; curauī, exonerarer. Quod si per turbulētissi-
ma negotia legēdi occasio dabit, proculdubio diuina, qua præditus
est ipse ingenij dexteritate, quæ potissima sit causa percipiet. Quod
si Episcoporum aliquis opera indignuerit mea, gratissimi in me ani-
mi argumentum re ipsa comprobabo. Tu quo erga omnes studio-
sos diuino præditus es animo, commendare promouereq; me exu-
lem haud dedignaberis, meq; tibi quàm commendatissimum facio.
Raptim, VII Martij. Anno, &c. MDXL.

IOANNES EPISCOPVS VIENNENSIS ETC.
D. D. Friderico Nauseæ, S. P. D.



Enit ad nos Dominus Iodocus Huttfelder: uenit autem
non modò missus à tuo Capitulo, sed & ab alijs Præla-
tis, & maximè à Reuerendis, Domino Cardinale Ma-
guntino. Is tamen Iodocus sese totum (quæmadmodum
uerbis ipsius intelligere possumus) tibi inclinatum ostēdit. Quàm
dure & quàm rigidè alloquuti fuerimus illum, etiā in præsentia ora-
toris Comitum Palatini Rhēni Electoris, uix crederes Prædiximus il-
li, nec apud Cæsarem, aut Regem, aut alibi quicquam effecturum
ipsum. & hæc Prophetia completa est. Porrectis enim suis creden-
tialibus Regiæ Maiestati, & rebus multis, & instructionibus, cum
de tuo cœpit agere ac tractare negotio, Rex totus intentus quid ue-
lit, in fine respondit, ut hac de re cum Episcopo Viennensi tractaret
& cogitet: imò sibi persuadeat, quod Cardinalis & Episcopus Ma-
guntinus in eo negotio, quod suum concionatorem aulicum et con-
siliarium fidelissimum attingeret, sese eum ac talem exhiberet, quod
intentio suæ Maiestatis esset habitura locum cum effectu. Reli-
qua, & quæ hodiè quasi præparamenta egerimus, ex Brasiciani lite-
ris intelliges. Trahimur, distrahimur, tenemur & distinemur
uarijs & multis negotijs, & occupationibus. Det Deus, ut rebus
omnibus foeliciter expeditis, aliquando citissimè abire detur. Id
quod certè non fiet intra unum mensem: sed æquiore animo feren-
dum erit, tardiusculè, prosperè tamen, & rebus foeliciter expeditis,
redire, (id quod Deus dabit) quàm oportere redire & perdidisse
oleum & operam. His bene uale. Ex Gandauo, apud Belgas. XXIII
Maij, Anno MDXL.

MARCELLVS CERVINVS CARDINALIS
Neocastrensis, Friderico Nauseæ, Coadiutori Viennen. &
consiliario Regio, S. P. D.

Heri

Eri cum essent mihi redditæ literæ tuæ, ult. Aprilis Viennæ datæ, legissemq; in eis, te Spirensi cōuentui inter futurum, magna sum læticia affectus. Præterquam enim quod propiores facti sumus, spes est etiam, posse nos inter nos uidere aliquando, & colloqui, quod mihi quidem multis de causis esset iucundiss. Puto etiam fore, ut præsens apud Serenissimam R. M. multo sis publicæ causæ maiorem utilitatem allaturus, quam si his temporibus abesses: nō quod ad optimā suæ Maiestatis mentem, satis quidem per se ipsam ad Deum solum spectatē, omnino aliquid posse addi existimē: sed ut multorum opera & auxilio ad resistendum multis egentem, tu quoq; Maiestatem S. parte aliqua oneris leuare possis, & causam Catholicæ religionis iuuare. Ad quam rem, etsi scio te nullorum egere adhortatione: tamen pro officio meo, & pro ijs maximè periculis quæ impendent, etiam atque etiam rogo, cures quod possis, ne fides nostra, & sedes Apostolica totius ecclesiæ fundamentum, aliquid maioris detrimenti patiatur: sed contrā in uerum Dei & Domini nostri IESU Christi cultū uniatur, & coagmentetur. Satis enim datum est sceleribus, satis rapinis, satis impietati. Ita enim & ipse Dominus noster condignam tibi re præsentabit mercedē. De me uerò sic tibi persuadeas, cum plura tibi ab Episcopo nostro Viennē. sint scripta, nulla eum alia in re minus falli, quam in ea, quod te ita diligā, ut qui maximè: nihilq; esse, quod tua causa lubentissimè non sim facturus, Vale, Bruxellæ. V I I I Iunij. Anno, &c. XL.

AUGVSTINVS MARIVS EPISCOPVS SALONEN. ET
Herbipolen. suffraganeus, &c. Præstantissimo uiro, Domino ac patri Reuerendissimo, Frederico Nauſæ, Ecclesiæ Viennē. Coadiutori, Patrono optimo, S. P. D.

Aganuper, Domine & Pater honorande, audiuius relatione, Dominus noster Laurentius Truchſes, & ego, te quoq; adesse conuentui Haganoico. Optamus itaque feliciter rem inchoari, atque foelicius tractari, & demum foelicissimè finiri. Recepi nuper secūdas literas compulsoriales, maxima tua diligentia impetratas, uigore quarū uel tādē post omnia obtenta, uici homines, & intrusum expuli. Sed tibi summas dico gratias, & habeo perpetuas pro tam diligenti opera. Cui & me commēdo: quamuis non dubitem, aliās me tibi commendatis. Si uacat, optime Patrone, scribe ex Haganoa. Vale decus meum, & præsidium, &c.

SIMON VILLATICVS, CANONICVS ARCHIEPISCOPALIS ecclesiæ Pragen. &c. Reuerendo in Christo patri, Domino D. Frederico Nauſæ, Viennē. Episcopo designato, &c. plurima singulariq; obseruatione uenerando, Patrono suo, Dominoq; S. P. D.

Reueren-



Reuerende in Domino Pater, magnāq; mihi semper ueneratione obseruande Patrone et Domine: Cum nobiscum esse uidiſsem à seruitijs tuis adoleſcētem, exhibitorem præsentium, ex eoq; sedulo quærerem, saluus ne sis atq; fortunatus: & ita esse cognouiſsem, magnoperè sum certè gauisus, ut qui uotis omnibus id à rerum omnium conditore Deo, tibi sedulo precatus sim. Interim Dominus Vicarius noster Iodocus Raufsch Iacobinianus, indicem librorum tuorum ritè notorum obtulit uidendum, legendumq;: quem inspexi, & legi summa cum uoluptate: non potuiq; non uehementer gratulari tuis fructuosis & salutaribus laboribus, foelicitatiq; lectorum, quibus citra multum laborem in promptu habere dabitur tot, tantasq; commoditates, quorum post terrenum honorem tibi merces cœlum erit. Quæ excusa euulgataq;, non committam, ne quamprimum habeam, exoscutierq;. Interim prijs precibus, ijsdemq; sedulis ago, ut reb. fidei augendis adsit nobis cœleste auxilium, quo sine non consilia, sed ludibria, humana sunt facta. Quarum rerum foelicem salutaremq; exitum ut cupio, ita precor, & precibus contendo. Quæ tamen exorta, tantumq; aucta mala, animo expendens, peccatorum nostrorū esse flagella existimo: & ratio cinor, Peccauimus Domino, precemur ueniā, pollicitam pœnitētibus. Scitu digna apud nos noua nulla sunt. Faxit Dominus Deus, isthinc bona ut audiamus. Viso h nobiscū illo adoleſcente tuo, committere non potui, ne aliquam saltem obseruantia meæ facerem significationem. quod quæso boni consulas, non ignarus, Villaticum tibi totum, seruitijsq; tuis deputatum & deditum. Vale foelicissimè. Datum Pragæ, quarto Iunij. Anno, &c. XXXX.

IOANNES GYMNICVS, REVERENDO IN CHRISTO Domino Frederico Nauſæ, I. V. Doctori, Coadiutori Viennē. Ecclesiæ & Consiliario Regio, Domino meo meritisimo, S. P. D.



Diploma Regium abs te mihi impetratū, allatum huc est à Regiæ Maiestatis Secretario, Adamo Carolo, exhibitumq; mihi, sed crudum adhuc, adumbratumq; uerius, quam scriptum. Erat enim in chartula quadam, uelut ad uersarijs, comprehensus priuilegij tenor. Quæ cum putarem non satis esse cautum mihi, desideraremq; adhuc leuiora quædam, quæ uidebantur à Regiæ Maiestate, eadem posse opera impetrari, nouum Libellum supplicem cōfecī. Eum ad se recepit Regius Secretarius, omniaq;, sicut postulauerā, obtinuit. Diploma huc missum est, sed significauit mihi literis suis D. Adamus, tum is qui attulit Diploma, id non ad me perducī posse, nisi redimatur xxx aureis iusti ponderis. Bone Deus, quantum hæc cantilena diſsonat à tuis literis: Sed

N n tamen

tamen, mi charissime Mecœnas, quanquam me grauant tanti sumptus, faciam quicquid tu æquum statueris, dum Priuilegio potiar: non tam emolumentum mei, quàm constantiæ causa: Ne ue inuidi frustratum me, meritò ridere possint. Proinde tibi totam causam uelut per manus trado, obnixèq̄ peto, ne graueris negotium hoc, quod semel agendum suscepisti, tueri ac perficere, moderatis pro tuo arbitrio impendijs. In quamcunque summam conuenerit, eius mediã partem soluent qui Viennæ agunt, alteram ego. Vale. Ex Colonia Agrippina xvi Calend. Iunij. Anno, MDXL.

GEORGIUS VICELIUS CLARISSIMO VIRO

Domino Doctori Friderico Nauſeæ, Regio Ecclesiastæ, & consiliario, Domino & amico charissimo, S. P. D.



Mni melle mihi dulcior Nauſeæ, mirum est dictu, quanta me læticia, in media etiam mœſtitia, perfuderit rumor uerax, Nauſeam, relicta Vienna, nuper Haganoam in conciliũ ueniſſe, per Charites in quã, per Muſas etiam Teutonicas, rectiſſimè uſu uenit. Illum ipſum, iſthuc ut uocarent ſacri ſenatores, uolui. Addidi, Nauſeæ Conſule melius habebit hæc natio, quæ ut eſt omnibus numeris abſolutiſſima atque præclariffima & præcellentiſſima, ita uix alia exitialiſſimis diſſidijs laborat. Homo pacis Nauſeæ, non niſi ea ſuadebit, quæ ad pacem pertinent. Nec, ut eſt antiquioris & literaturæ & culturæ ſtudioſiſſimus Nauſeæ, aget aliud, niſi ut antiquiſſima & probatiſſima quæque proceribus Imperij commendat. Extra quæ nimirum & concordia rufus repellitur, & diſcordia duplicabitur. Proinde non eſt, ut ego te præclarum uas Dominicæ domus, ad obseruanda ſani Theologi munia uel adhorter, uel rogem. Ipſe te ipſum ſic, ſatis noui, ultra etiam multorum Chriſtianorum exiſtimationem, Apoſtolica Eccleſia dignũ Theologũ præſtabis. Abundè tenes, quatenus condeſcendendũ ſit aduerſis partibus, & quib. dogmatibus mordicus inhærendum. Abominor ſectæ præiudicia. Inconſulta tam forent conſilia, ſi quis cenſeat ſimpliciter hæreticum eſſe, quicquid iſti propoſuerunt iam quindecim annis: non quòd è ſuo cerebro non quicquam unquam probatum euulgarint: ſed de his ſententijs ſentio, quas uel cum Apoſtoliſ Catholici, uel cum patribus communes habemus: niſi non rectè rem examines. Sectis haudquam cedendum eſt. Verũ ſi interdum in ſectis loquantur ueteres noſtri, addam maius, ſi iſtorum ore non niſi denuncient Apoſtoli, non uideo qua conſcientiæ fiducia reſiſtendum ſit iſtis. Inducunt diſputationem, audio. Agè, deſcendatur in harenam: ſed quibus iudicibus cognoscetur obtenta ueritas? Ipſi, ſe arbitris, uicerunt hætenus. Linguaces ſunt, præterquam quòd eruditione

eruditione præeminent, cui mirificè innituntur. Sed corruet architecti Babylonicæ turris. Si rhetoricis ſtrophis locum neget, Arabici lupi ſunt, non contenti, niſi plura concedas, quàm apud Eccleſiam patrum poſſis excuſare. Loquor iterum de primarijs doctrinæ articulis. Interdum bene quidem currunt, ſed extra uiam. Et, quod deteſtabilius multo eſt, ex hara Lutheri procedunt, nõ ut doceri à quoquam unum etiam uerbum uelint, ſed tantum ut ſua ſuffundat. Iam quod ad noſtros attinet, uides palam quot modis miſerabiles ſimus. Ioan. Gerſon recēſuit amplius octoginta defectus Eccleſiæ, temporib. ſuis. An uerò inſanierit, ſi quis hiſce plures adiungat? Omne caput languidum, &c. quem locum, de quibus Diuus Hieronymus interpretetur, haud neſcis. Cauent quidam, ne Germaniſ regnum Dei claudere uideantur. Bene uale, mellitiſſime Nauſeæ; cuius cordi meum adglutinatum, ut ſemper, eſto. Zelo Dei ageris, dilectione ueritatis poſſideris, rerum Chriſto cõtrariarum odio iuſtiſſimo duceris, quo nulla laus maior. Inter Francos nihil noui, quod ſcriptu dignum ſit, audio: niſi quòd ubiq̄ tam ſolliciti ſunt de condendo muſto uino ſub autumnum, ut uerbis quicconſequi haud poſſit. Vbertas annonæ uinariæ nullo demulcet gaudio anctonas, mœrore autem aliquo afficit. Quid incredibilius audiſti unquam? Nam tantum Francici liquoris promittunt uinæ, quantum nec cellaria, nec uafa omnia capient: quo ſit, ut nunc nullo in precio generoſum etiam uinum ſit. Quid, quòd uafa uino ipſo cariora eſſe cœperunt? Vinum ligno uilius nõ credidiſſem unquam, nec ab externis populis credi poteſt. Atque ita opulenta benedictio in uilitatem euaneſcit. Auguror hinc atrox infortunium: & reſco ſeptem iſtos annos Iosephi tempore. Hic expectamus nouum Præſulem. Ego Nauſeam eligendum ſuffragarer. Sed uereor, ne non homo Theologus prætereare. Extra iocum loquor. Exigit periculoſiſſimæ tempeſtatis ratio, ut quàm maximo iudicio deligatur Epicoſopus. quippe qui tandem non tam gladio Spiritus, quàm enſe Vulcani obarmatus, qui que par ſit coercendis ſecularibus pariter & ſchiſmaticis. Conſentaneũ erat, ut ipſe quoq̄ Cæſar & Rex in eligendo idoneo ſuum ſuffragium interponeret. Optatur à prijs, ut iudicio potius, quàm affectu creetur, quiſquis creabitur. Alia tempora, alios mores poſtulant. Conſuetudo parum probata, poſthac cedet ueritati. Tu iterum uale, chariſſime Frater FRIDERICE, qui à pace diuite nomen trahis: cognomen inde eſt, quòd ſuper te nauſeet indoctorum turba. Datum Herbipoli, poſtridie Ioannis Bapt. Anno, &c. XL.

GEORGIUS VICELIUS, ETC, FRIDERICO NAVSEÆ, &c. S. P. D.

Nn 2 Non



Ondum, quod demiror, meis ad te literis respōsum est. Necego segnus scribendi officium persequor, quando ita uacat, & id gratum tibi esse scio. Expecto autem non literas tantum amicas ab amico, uerū bonum etiam nuncium de concordatis: quo in explicando negotio, te in primis strenuam operam nauare constat. Cæterum has adiunctas oro ipse reddas Regiæ Maieſtati, me' que illi quāu potes optimè commendes. Diploma tutelare puto, quo uidelicet muniar aduersus uiolentiam latè uagantis ſectæ. Tractant me ita factioſe, ut nullibi ab illorum ſæuitia tutus ſim. Tantum ſcelus eſt ſcilicet, ueritatem dixiſſe. Vale in Chriſto IESV. Datum Herbipoli, x. Iulij, Anno ſalutis noſtræ MDXL.

BONIFACIUS AMERBACHIUS, CLARISSIMO THEOLOGO & IURECONSULTO, D. FRIDERICO NAVSEÆ, INUICTISSIMI CÆSARIS FERDINANDI CONSILARIO, &c. Domino & amico honorando, S. P. D.



Larissime uir, cum Monodia tu nuper edita haud uulgarè ueteris tuæ in D. ERASMV M Roterodamum uoluntatis ſpecimen edideris, bona ſpe plenus ſum, in eo quod ab inuictiſſimo Cæſare FERDINANDO peturi ſumus, te nobis Patronum fore ſideſſimum: cum nihil aliud, quāu ad Eraſmi exiſtimationem conſeruandam pertinentia inſtituamus. Ne aut arduis, et Regijs quidē negotijs adobrutus, plurib. detinearis: Frobenius uniuerſas D. Eraſmi Lucubrationes, ex Catalogorum ab ipſo auctore perſcriptorum ordine, in nouem Tomos digeſtas, in publicum emittere cogitat. Cæterum cum rem auſus ſit bene difficilem, & niſi typographorum quorundam alienæ induſtriæ inſidiantium improbitas coherceatur, plurimum & damni & periculi ſenſurus ſit, omnibus ſuis tantum non fortunis in id opus collocatis, priuilegio ſexenniali ſe ab inuictiſſimo Cæſare FERDINANDO ornari cupit: in quo impetrando, cum tu promerentibus raris iſtis uirtutibus tuis plurimum poſſis, ut eidem aſſe, & ut uoti cōpoſ fiat, tuo patrociniſ effitere ne graueris, te per ſanctiſſimos ERASMI manes & rogo & obteſtor, oCmprobabis certè huiuſmo di facti, quod nuper Monodia teſtatus es, nempe te ERASMI amicū eſſe, qui non ſolum ſuas laudes tam candidè prædicaris, ſed & ſuarum Lucubrationum uindicem te ſtatueris: ijs etiam in tuum patrociniū ſuſceptis, quos Eraſmus ipſe, dum uiueret, ſuis edendis idoneos cenſuerit, & quorum officina nobis hucusque non niſi Catholicos, atq; adeo ab omnibus receptos auctores dedit. Proin, quod ad me attinet, quem olim tam amanter in tuorum amicorum album referre dignatus es, ſi quid tua cauſa poſſim, me ſtudio & obſequio ad nihil nō paratū eſſe, et fore, tibi perſuaſiſſimū habeto. Cui, ut uerbo dicā, de meliore nota etiā atq; etiā commēdāri deſidero. Bene uale, uir claris, ex Baſilea, x. Cal. Aug. An. MDXL.

Vuoltgangus

VVOLF GANGVS DEI GRATIA ABBAS CAMPIDONENSIS, &c. Reuerendo, eximio, doctiſſimoq; uiro D. Friderico Nauſeæ, D. Coadiutori eccleſiæ Viennēſis, Regio eccleſiaſtica & conſiliario, Domino et amico ſuo ſingulari.



Euerēde, eximie, doctiſſimeq; Domine, domine & amice ſingulariter dilecte: Scripta tua, cum Capitibus lucubrationum tuarum, pro repub. Chriſtiana, quas nobis quamuis immerito dedicādas duxiſti, ſumma beneuolentia & beneplacito ſuſcepimus: pro quibus, tum multis alijs in nos collatis beneficijs, amiciſſimè gratias tibi agimus ingētes, bona & indubitata fide recipientes, nos omni uiciſſim occaſione, gratos comparituros. Quod dudū ſanè re ipſa cōprobauiſſemus, ſi uel nunciorū opportunitas, uel mutua inter nos conuētio haectenus ſe comōdè obtuliſſet. Quare amiciſſimè & diligentiſſimè rogatum te uelimus, ut nulla id uel negligētia uel ingratitudine intermiſſum ſuſpiceris: uerū hanc noſtram excuſationē ueriſſimilem admittas: & nobis certum tempus & locum, ubi te conuenire poſſimus, præſcribere, aut certum ad nos nuncium deſtinare uelis. Tunc enim gratitudinem noſtram decenti remuneratione declarabimus. Quia tibi omni amicitia & propenſi, & inclinati ſumus. Datum ex Monafterio noſtro Campidonē. uigeſimo tertio Iulij, Anno Miſleſimo quingentiſimo quadrageſimo.

IOANNES EPISCOPVS MISNEN. REVERENDO ac doctiſſimo uiro, D. Friderico Nauſeæ, Viennē. eccleſiæ Coadiutori, amico cum primis charo, S. P. D.



Vm hoc calamitoſiſſimo tempore, in hanc potiſſimum curam incumbere debeamus, uir clariſſimè, ut magna animorum noſtrorum conſenſione, Chriſti & eius ſanctæ eccleſiæ negotium tueamur, noluiſſus prorſus committere, quo minus nunc ad te ſcriberemus. Cuius rei non uulgarè nobis occaſionem præbuit ſcheda quædam, quam nuper naçti ſumus, in qua erant nonnulli articuli FERDINANDO Regi oblati: qui uiam quandam monſtrabant, qua res & negotium, quod nunc aduerſus Lutheranos ſuſtinet eccleſia Catholica, fortaiſis componi poſſit. Verū cum eiſdem articulis (quorū nunc ad te copiam mitimus) nomen tuum præfixum eſſet: & illi tamen eiſmodi eſſe uiderentur, ut Lutheranis multum concederēt: ambigere cœpimus, utrum pro tuis eſſent habendi. Quapropter maiorem in modum a te petimus, ut nobis proximo tempore hunc ſcrupulum eximas. Nos enim, etiam ſi ardentiffimis uotis ſopita diſſidia & extinctas eſſe hæreſes cupiamus: ita tamen id optamus, ut gloriæ Chriſti & Eccleſiæ ſanctæ auctoritati per hoc nihil decedat. Alioquin nobis extrema potius ſuſtinenda iudico.

Magna ſanè ſpes
Nn 3 nos

nos habebat, schismaticos, ob Cæsaris in Imperium aduentum, cōditiones pacis non illibenter accepturos esse. Et uehementer doleo, ea nos spe frustratos esse: grauius enim nos premūt Principes nostri, & clero nostro grauisimas irrogant iniurias. Quare (si cursus iste nobis steterit) finem adhuc nullū uidere possumus, nisi Dominus IESVS nos misericorditer respexerit. Quando etiam nobis relatum est, te Catechismum Christianū nunc adornare, qui in publicum propediem progrediatur: obnixē te rogamus, ut eundem ad nos mittas. Quicquid enim constiterit liber, nos bona fide soluemus. De libellis ad nos missis, agimus tibi summas gratias: & dabimus operam, ne uidearis in ingratum, beneficium posuisse. Cupimus te in Domino semper optimē & foelicifs. ualere. Datum in arce nostra Stolpen, XVII Augusti, Anno MDXL.

M. MAGISTER ORDINIS S. GEORGII, ETC.
clarissimo uiro D. Friderico Nauſeæ, Regio concionatori & consiliario, Coadiutori Viennen. &c. Domino & amico charissimo, S. P. D.



Clarissime Domine Doctor, & amice integerrime, Dominum Martinum plebanum, presentium latorem, nollem nisi bona uenia tua, ad mea sumere seruitia. Quod si tibi non ingratum nouero, habebo eūdem nomine tuo quam commēdatissimum. Cui omnia foelicicia precor. Quod ad aduersam ualitudinem attinet, habeo Deo gratiam, me pristinae restitutum iri sanitati: neque grauius quicquam accidisse, cum Principum & reipublicæ causa multa nobis incommoda, maximē hoc tempore subeunda & ferenda sint. Te semper & foeliciter ualere, & optimē uiuere cupio. &c.

IOANNES COCHLAEVS REVERENDO DOMINO
Friderico Nauſeæ, S. P. D.



Reuerende Domine Doctor, & Coadiutor, patrone obseruandissime, quam durus mihi ex Haganoa reditus fuerit, paucis declarabo. Perierunt ambo equi, antequam ad me peruenirent. Et ipse quoque uector sic arotabat, ut ubi alios emissem equos, ipsum semimortuum imposuerim curru meo, & auexerim. usque adeo molesta mihi fuit mora, post abitionem uestram. In itinere multa cōsumpsi, quia aliquot diebus, propter equorum lassitudinem, subsistere coactus fui. Nec profuerunt hic literæ Regiæ, quibus petijt Serenissimus D. Rex ab Electo Episcopo nostro Vratislauenſe, ut absentia mea illic non obesset: adeo, ut per statuta Capituli mihi non licuerit, ullā de Regijs literis mentionem facere. Domini tamē de Capitulo, ex benignitate dederunt mihi VIII Taleros, ne omnia damna solus portarem: sed nolim de cætero sic euocari, & absens esse. Recordare quæso Priuilegij eius, quod à Rege impetrandum est, sicut magnifico D. D. Georgio Giengero

Giengero hac de re traditum est à me supplicationis exemplar Haganoæ. Hæc de me priuatim. Ut intelligas autem quanta sit malignitas hominum, referam hic titulum, quem te scire interest. Eius enim quod Haganoæ nobis ostendebatur, scripti autorem, non te, sed alium esse puto. Attamen peruenit scriptum illud ad Reuerendissimū D. Episcopum Misneñ. sub hoc sanē titulo: De Baptismate, Nauſeæ, Regi Ferdinando Haganoæ exhibitum consilium. Et mox sequitur: Cedat ecclesiæ examen sectarum in negotio Baptismi. De Eucharistia: Cedat Zuinglius cum suis ecclesijs. Bene uale, cū omnibus tuis. Ex arce Stolpen, residentia Episcopi Misneñ. qui te amanter salutat. Die XVII Augusti, Anno &c. XL.

Ecclesia Vratislauenſis, per incendium die XXI Julij, grauisima in tectis damna accepit.

MARCELLVS CERVINVS CARDINALIS NEO-
castren, Friderico Nauſeæ, Doctori, Coadiutori Viennen. & Regio consiliario, S. P. D.



X his literis, quas diebus proximis à te accepi, cum proprius inspexissem, quanto studio et diligentia non modo in concionando, quod ipsum per se maximi fructus est, sed etiam in scribendo laborares in uinea Domini, feci ea de re Sanctiss. Domino nostro Paulo Pontifici Maximo per literas amplissimū testimonium: teque ei commendans plurimum, misi ad S. suam illum ipsum operis tui indicem, quem à te acceperam. De quo, etsi pietas iam dudum cognita ac perspecta est, scio tamen Sanctitatem suam maximum gaudium esse capturam. Cum enim antea quidem à multis alijs, inter quos Reuerendissimus Dominus Episcopus Mutineñ. Nuncius Apostolicus in primis est, & demum à me quoque, intellexerit: ita à Deo & Domino nostro IESU Christo prouisum est, ut quoniam hac nostra tempestate diuersæ hæreses orituræ forent, ut uidebimus, inuenirentur etiam non pauci ingenio, doctrina, pietate præstantes, qui essent ueritatem defensuri, uidere nunc & à nobis audire te inter cæteros haud potestrem numerari posse, sibi quidem gratissimum erit. Perge igitur, ut coepisti: & illud tibi persuade, ea omnia à sancta sede Apostolica tibi proficisci debere, quæ à gratissima matre in pientissimum filiū expectari possint. Me uero ut antea ad te scripsi, semper charissimi fratris loco es habiturus. Vale in Domino, & ueritatem fidei, ut facis, defendito. Bruxellis, die VII Septemb. Anno, &c. XL.

HIERONYMVS CARDINALIS CHINVTIVS RE-
uerendo Domino ueluti fratri Friderico Nauſeæ, ecclesiæ Viennen. Coadiutori, &c. S. P. D.

Reuerende

Reverende Domine, uti frater. Literas tuas accepi, ex eis que cognovi id, quod me in tua causa facere vis. Atque eiusmodi esse res ipsa mihi visa est, ut non dubitem, quin tuae uoluntati ac petitioni Pontifex maximus satisfactus sit. Ego uero quantum in me erit, dabo operam, ne id frustra tibi pollicitus sim: cuius propter summam doctrinam & excellentes uirtutes, ualde equidem sum studiosus. Neque ut hoc agam, aliud quicquam expecto, quam Pontificis reditum, qui nunc abest ab urbe. Interim me tibi commendo. Romae, duodecimo Nouemb. Anno, &c. XL.

IACOBVS SPIEGELIUS IVRECONSULTVS CAESAREUS, et Regius Consiliarius, &c. Reuerendo ac clarissimo D. D. Fridrico Nauſeae, Coadiutori Viennen. &c. Domino & amico charissimo, S. P. D.

Reverende & clarissime uir, Domine colende: Amica tua erga me uoluntas, atque quidem, quam minimè expectabam, nuper mihi Haganoae signficata, nullo meo in eam precedente merito, in causa est, quod sanctas tuas occupationes nunc interpello: quarum indicem Rhenano, omnium sententia uiro optimo & doctissimo, monstraui. Profectò dabis nobis industria, studio, diligentiaque tua non uolumen tantum eximie egregium, sed potius quod ex ipsius indicis ratione penitus introspecta assequimur, Theologicarum rerum bibliothecam. Satis namque constat ex ijs quas ante accepimus, lucubrationibus tuis, tuas curas, studia, sensus denique omnes tuos conuertisse, ut germanum studium sacris literis restituatur: & per sanam doctrinam corrupti mores in omnibus ordinibus, quibus Christianum nomen censetur, è medio tollantur. Sed nolo tibi molestus esse, hoc nimium uulgari argumento. Tamen te rogo, ut per occasionem mei memoriam apud optimum & cordatissimum Regem, Dominum nostrum clementis, conserues incolumem. Si processerint comitia, ut rumor habet, non multo post Vangianicum colloquium, per diuum Imp. Carolum V. conscribenda: uocatus ego, relicta habitatione, quam iam in dulci patria constituo, & amoenam, & amicorum capacem, uiribus etiam reluctantibus ad uos prorepam: qui Regio iussa in comitijs, negotium reformationis contractabit, quos inter una cum nostri amantissimo Domino Viennensi iure primas tu uir doctissime tenebis. Pro uocatione mea, studium illius defuturum non est. Non enim ignorat Viennensis, quanti ipsum facio: Cui ex animo precor omnia laeta. & ipse libenter agnosco, de me eundem esse benemeritum, quod et iam mihi licet de te predicare, ceu hac in parte optima huius Patris uestigia assequuto. Sed quicquid fors fert, ego nunquam cessabo uos suspicere, de ista doctrina, uirtuteque. Donauit me Viennensis, Tomis lucubrationum suarum duobus, primo & tertio: secun-

secundum etiamnum desidero. Rhenanus illos duos uidit, locaque non pauca mirifice probat: hortatusque est me, ut secundum etiam Tomum comparem. Argentorati non prostat, quae urbs alit parum amicos Fabrini nominis. Proin digneris mihi huius secundi Tomi indicare titulum, hoc est, quae in eo tractant: & simul typographi naturae bonitatem in te perspexissem, non erant ausus abuti tuo officio. Rerum Hungaricarum prosperitatem optarim respondere pietati Regis nostri FERDINANDI incomparabilis. Refert hoc maxime omnium, ut comitia dexterius finiatur, quam indicis quidam suspicantur, sed de hoc tutius coram. Si comitijs locus statueretur propius nos, sponte ipse aduolare, modo non ingratus uenirem. Si ad Danubium, nisi uocer uel a Rege, uel a uobis, qui amice mihi fauetis, munitus saltem diplomate publicae fidei, hoc iter cur acciperem non uideo. Equidem optarim esse aliquid in me, quod me istis comitijs praesentem exhiberet. Tunc ego tibi totum ita me deferam, ut si erit agendum tua causa quippiam, nil tibi meo studio & opera futurum sit paratius: quod & magnificus, tum miri candoris, dominus Georgius Giengerus, Vicecancellarius, de me sibi firmiter polliceri & debet, & potest: cui scribo comuniter cum domino Ilfingo. Verum de uocatione mea, neque my, neque gry quidem. Eam rem soli fidei & memoriae tuae committo, cui omnem precor felicitatem, & a quo Laconica mihi breuitate responsum si fuerit, maximo me beneficio adfecerit. Sed & Iacobum Taurellum, affinem meum, & meo & Rhenani nostri nomine, tibi commendatum uelim. Cursum, Selestadij Alsatae, xv. Nouemb. Anno, &c. XL.

ALEXANDER CARDINALIS FARNESIUS, REuerendo Domino D. Fridrico Nauſeae Coadiutori Ecclesiae Viennen. & Regio consiliario, &c. S. P. D.

Reverende Domine, etsi nunquam de singulari tuae uoluntatis constantia dubitauerim, nuper tamen ex his, quas ad Mutinensem, Episcopum proximè dedisti, literis accepi, quanta sit cura & studium tuum defendendae & conseruandae religionis. Quod quidem licet sit quotidianum de te audire, fuit tamen mihi uehementer gratum. Agnoui enim & fidem, & bonitatem tuam. Quod uero ad Vormacensem. Colloquium attinet, cum uel maxime in eo tuam operam atque industriam Christianae religioni profuturam intelligerem, superioribus diebus literis meis Feltrensem, Episcopo significauit, ne tibi aliqua in re deesset, quae ad dignitatem & commodum tuum pertineret. Quod quidem, cum ab eo pro summa eius humanitate studiosè ac diligenter curatum iri existimem, nihil est quod scribam amplius, nisi ut tibi persuadeas, te extremum iam actum agere, in quo aliquod uirtutis & pietatis tuae lumen elucescat necesse est, ut non solum bonorum

rum omnium de doctrina & integritate tua opinioni, sed his etiam que iam pridem a te pro conseruanda Christiana religione pulcherrime facta sunt, respondeas. Quod quidem te cumulate preestitutum confido. Vale, Romae. xxiii. Nouemb. Anno, &c. xl.

MARCELLVS CERVINVS CARD. S. CRVCIS
Reuerendo ac doctissimo viro Friderico Nausea Coad.
Viennensi, &c. S. P. D.

Reuere Domine, non mediocre cepi animo uoluptatem, cum ex tuis literis intellexi, te Vormacien. Colloquio interfuturum. Ea est enim de pietate, doctrina & integritate tua, non mea solum, sed honorum omnium opinio, ut mihi penitus persuaserim, non posse religioni nostrae, te uno propugnate, insigne aliquod uulnus infligi: licet ita abalienatos a uera pietate nonnullorum animos uideam, ut plus omnino uerear mali, quam sperem boni. Quod uero ad sustentandam tenuitatem tuam attinet, ex Alexandri Farnesij Cardinalis literis cognosces, quemadmodum sit tuis rationibus consultum. Quamobrem bono sis animo, & in religionis causam, sicut adhuc tua summa cum laude fecisti, toto pectore incumbere: atque effice, ut in hac, quasi extremo actu, tua uel maxime opera atque industria excellat. Vale, Romae. xxiii. Nouemb. Anno, &c. xl.

REVERENDO TANQVAM FRATRI, DOMINO FRIDERICO NAUSEAE DOCTORI, & SERENISSIMI ROMANORVM REGIS CONCIATORI ATQ; CONSILIARIO, AMICO DILECTISSIMO. IOANNES EPISCOPVS MUTINENSIS S.

Reuere tanquam frater, Etsi mihi semper gratissimae & iucundissimae sunt literae tuae: tamen quas nuper ad me dedisti, haec incredibili me gaudio uoluptateque cumularunt. Consecuti sunt enim eas libelli duo, quorum alterum amplissimo patri Cardinali Farnesio, alterum autem mihi te dono mittere animaduerti. Quapropter, ut tuae honestissimae uoluntati, & iustissimo desiderio satisfactum esset, reddidi statim ei epistolam, libellumque tuum, quibus utrisque non uulgarem accessionem commendationis meae additam fuisse certo scies. Vnde etsi ille per se ipsum, ut est summa humanitate, uirtuteque praeditus, ad te iuuandum propensus esset: tamen meis uerbis & autoritate non nihil etiam est inflammatus. Quod ita esse plane cognosces, cum illius liberalitate, petitioni tuae nonnulla ex parte consultum ac satisfactum perspexeris: nec enim eius studia & officia tibi sunt defutura, si qua uia & ratione olim coepisti Christianae reipub. subuenire, eadem in posterum perpetuo constantissimeque persistas. De me uero nihil erit omnino, quod tibi polliceri non possis. Nam si mihi grata optataque sunt Christianae reipub. commoda, pro qua mortem oppetere non dubitarem: debeo etiam fauere honori, dignitati, utilitatique tuae, qui eam saluam & incolumem esse desideras. Vale. Ex Gandauo. xx. Martij die, Anno a Christo nato, M. D. xl.

Sequentes

SEQUENTES MELANCHTHONIS ET

BVCERI EPISTOLAE SCRIPTAE SVNT
ad Fridericum Nauseam, &c. Vormaciae in Colloquio
quod ibidem celebrato, Anno, &c. xl.

PHILIPPVS MELANCHTHON REVERENDO
& clarissimo viro, D. Friderico Nausea, Doctori Theologiae, &c. Regio
Consiliario, suo Patrono, &c. S. D.

Reuere Domine, memini congressum nostrum, cum ante annos quindecim mecum in patria mea de his ipsis controuersis loquereris, cum singulari significatione bene uolentiae erga me tuae. Vbi intelligere potuisti, meam uoluntatem non abhorreere a moderatis consilijs. Nunc quoque opto, ut uiri boni, docti & prudentes, quaerant piam moderationem controuersiarum tantarum. Ad hanc rem ut auctoritatem tuam conferas, te maxime rogo. Testis etiam meae uoluntatis Praesinus esse potest, cui mea studia nota sunt. Sed hic a nemine adhuc ad ullam deliberationem uocatus sum. Quare expectaui publicos congressus, ubi moderate, quod sentio, dicturus sum. Ad te uero libenter accedam, & propter memoriam ueteris congressus, & quia spero te non defuturum communi saluti. Sed locum mihi uel in hospitio tuo, uel alicuius amici, constituito. Nam in templo, scis quales sint hominum congressus, & concursus. Bene uale. Locum & tempus indicet Praesinus.

PHILIPPVS MELANCHTHON FRIDERICO NAUSEAE, &c. S. P. D.

Iuatum te esse dolore, quem calculus adferebat, gaudeo: teque opto seruari incolumem, ad Ecclesiae Christi utilitatem. De me scito, me minime natura suspicaci esse. Vicissim uelim de me, si quas habes suspiciones, ex animo tuo eijci. Occupationibus impeditus sum his diebus, quo minus ad te uenerim. Sed tamen accedam, cum primum potero. Ecclesiae & reipub. utilitatem & tranquillitatem sic opto, ut piam concordiam morte mea redempturus sim. Sed uides, quantula sit auctoritas singulorum, & non uelim opprimi doctrinam ecclesiae sanctae salutarem & necessariam. Hoc si obtinere possumus, de ceteris ego quidem litigare non soleo. Bene uale. Plura aliam.

PHILIPPVS MELANCHTHON FRIDERICO NAUSEAE, &c. S. P. D.

Reuere Domine, ex animo opto, ut feliciter conualescas, ac libereris a lithiasi. Noui enim, quanta sit eius mali fauicia. Ac nisi scirem te habere peritiores medicos, ipse accurissem. De negotio conuentus non habeo quod scribam. Exposui totam meam sententiam in pagellis, quas intelligo te apud Illustratum Dominum de Granuella uidisse.

O o 2 Ne

Nec tacebo, si meo loco iussus fuero dicere sententiam. Nec antea dicendo cuiquam nocere uolui. Dedi operam, ut res utiles ex tanta uarietate controuersiarum exciperem, & iuuentuti commendarem. Atque huius meae uoluntatis testis est Deus. Et arbitror multos bonos probare consilium meum, & lucubrationes. Et natura à rixis abhorreo, sed committam hæc Dei iudicio. Quandoque uoles, ad te ueniã. De alienis uoluntatibus pacisci nec possum, nec uolo. Meam sententiam ingenuè aperiam, ubicunq; fuero interrogatus. Bene & feliciter uale.

MARTINVS BVCERVS, REVERENDO ATQVE

doctissimo uiro D. Friderico Nauſeæ, designato Pastori
Viennensi, S. P. D.



Ominus Iesus restituat tibi ualitudinẽ, & impleat spiritum sancto suo, ut ecclesie sue ita, ut cupis, feliciter consulere possis, uir amplissime, & mihi in Domino, uero animo colende. Est nũc quoddam mihi negocium, ut statim de causa ipsa tota scribendi spacium non sit. Et malim, quocumque coram de his rebus, quæ nimirum tam late patent, commentari. Quare si speres morbum uel hodie, uel cras ita remissurũ (quod ut fiat, Christum rogabo) quod colloquentem sustinere queas, ueniam lubentissimè quacunq; ipse hora id maximè ferre possis. Seti scribam, quæ mihi uidentur, tẽ potero & diligenter, & fideliter. Interim Dñm precabor, ut te suo certè negocio quãprimũ restituat, & diu duratura ualitudine donet. Ex diuersorio legatorũ reipub. Argenterateñ. Pro tã amicis & religiosis literis ago gratias, quantas possum: maximè autè de ista, quã erga me præ te fers, charitate.

MARTINVS BVCERVS D. FRIDERICO

Nauſeæ, etc. S. P. D.



Via admodum sinceram erga ecclesiam Christi, ac me etiam, tam humile nunc membrum, charitatem præ te fers, quam ego quocumque ex animo exosculor: cupio tecum de succurrendo ecclesie laboranti grauius, & ut coram Domino, colloqui. Itaque cum & ad secundam horam rursus ad publicum colloquiũ eundem sit, cras autè, ut arbitror, uel ante prandium nõ colloquemur: si per ualitudinem & negocia possis, conueniam te cras, nisi aliud uelis, hora septima: uel etiã, si ferre possis, citius. manè enim minus forsã alij obturbabũt te. Optimè ualeas. Ex diuersorio nostro, hac ipsa hora.

MARTINVS BVCERVS FRIDERICO

Nauſeæ, etc. S. P. D.



Gratia, pax & ualitudo firma à dño, uir amatissimè, atque ampliss. & in Dño uero studio colende. Sic gratas tibi fuisse meas literas, itaque leuasse animum inter istos corporis cruciatus, id mihi longè gratissimũ & iucundissimum accidit: & si te colloquio ita queam recreare, & illud è re futurum

rum ecclesie Christi nõ dubito, atque ideo admodum cupidè exopto. Optatissimum fuerit, si Dominus morbum quã primũ repellat, & organa alta sic temperarit, ut admittere me in colloquiũ ualeas. Quæ autem causæ obstiterint, quo minus publicum illud, ad quod huc uocati sumus, colloquiũ, pridem institutũ & cœptũ sit, arbitror te non prorsus posse latere, qui hic Regie Maiest. nõ minè ades, & ab illustri Domino à Granuella indubiè in cõsiliũ rerum adhiberis. Nos profectò eis & mandatis, & animis aduenimus, atque in tertium nũc mensẽ adsumus, ut statim colloquiũ, ita ut est Haganoæ institutum, amicum & Christianum iniremus: & quoad eius fieri posset, uias ueras ecclesiam reconciliandi inquireremus. Sed cum plures nostrorum aduenissent, quã XXXIII, ad quos cum mandata eadem haberent, referri acta omnia oportet: petiuimus initiũ, qui supererant forsã homines X. uel XI. admitti in colloquio, uel ut cõsultores adessent. Denicq; quã utrinque undecim suffragia colloquentium Haganoæ deputata sunt, rogauimus singula in colloquio liberè audiri, et à Notarijs excipi. Tum actorum exempla quocumque aliqua nostris permittere, & consignare etiam omnia postulant. Postremò cum præsidentes requirerent, ut duo utrinque colloquutores constituerent, qui quæ maiori parti uiderentur, proponerent, & disputarent, & nereliqui, qui quidem cõsentanea maiori parti dicere uelint, nisi per Præsidentes admissi, loquerentur: qui uerò aliquod dissentaneum afferre instituant, id uerbis uel scriptis ad Imperatorium Cõmissarium atque Præsidentes deponerent, penes quos esse debeat id alteri parti cõmunicare, uel ad Imperatorem tantũ referre: Ad hæc nõs instituius, ut omnibus esset liberum palam sententiã suã proponere, siue ea sug parti consentanea essent, siue dissentanea, siue media aliqua. Et ut petentib. facultatẽ aliquid post colloquutores primarios adiciendi, ea certè cõcederetur. De his itaque rebus, usq; hodie disputatur: in hæcque responsum est nostris, ut si exẽpla modò actorũ uel secundaria, quas copias uocant, dare nostris uelint, à nobis nil erit, quo minus statim colloquiũ inciamus: nisi quod molestum nobis esset tantum tẽporis defluxissẽ, ac propter instantia comitia non superesse iustũ tempus, tantas res pro dignitate discutiendi atque tractandi. Dñs adsit ecclesie, quam ut matrẽ nostrã & sponsam Christi, pro qua ille suũ sanguinem fudit, tuæ fidei cõmendo. Vides ut res habent. Cernis quã non sint multi, quos contritio Ioseph satis comouet. Itaque post tẽ tantã erga me beneuolentiã significas, rogo te per Christũ & ecclesiam suã, colloquamur inter nos uel horulam, de ratione, qua putemus tantas ecclesiarum ruinas restitui posse. Dominũ interim orabo, ut ad id, & quocunq; restituendæ ecclesie per te præstanda sunt, uires & successum tibi donet. In eo conualesce, & corroborare felicissimè.



Euertende Domine, uir doctissime, petiisti à me paucis conscribi, quæ in Domino tecum egi de emendatione & restitutione Ecclesiæ. Faciam id lubens, & tua singulari beneuolentia fretus, & Ecclesiæ studio motus. Et oro per Christum, ut omnia boni consulas, & diligenter expendas: quæq; cognoris ad ueram ecclesiarum restitutionem pertinere, ea ut ecclesijs aliquando eueniant, fideliter uelis elaborare.

Primum itaq; quod optarim, est, ut clementissimis Principibus, Imperatori & Regi persuadeatur, ut cognosci de cõtrouersijs religionis & itera ecclesiarum reformatione instituant, per uiros uerè pios & doctos, non contentiosos & præfractos: sed cõmodos, & pacis atq; concordia, quæ in Domino constet, cupidos: de quibus non dubium sit, quod ecclesiarum morbos & rectè intelligant, & ex animo optent sanatos. Quod etiam ad eam rem cum magistratibus ipsorum designent omnes status S. Imperij, ita ut Francoforti constitutum fuit. Pertinet enim hæc causa ad omnes, quæ cunctos Imperij ordines multis sanè difficultatibus inuolutos tenet. Quare nunquam bene & constanter, nisi omnium consensu, de ea re poterit constitui. Deinde, nisi cõmuniter & admodum religiose delectus eorum fiat, qui discutiendis cõtrouersijs adhibeantur, experiemur, quod hic experti sumus, non solum principes partes inter se in nullam concordiam redigi, sed nec inter eos conuenire posse de uera concordia ratione, qui querendæ concordia & cõstituentæ præfecti sunt. Nam quantum decertatū sit inter undecim à uestra parte ad præsens colloquium electos, nosti. Deniq; nisi subleuatis malis suspitionibus agatur, & documenta extent mutua beneuolentia, ueriq; studij, quæ ad sanctam salutaremq; consensionem faciendam necessaria sunt, multa, ut uidemus, incidunt impedimenta. At cum gratia & fauor in deligendo spectatur, & ij nobis præcipue obijciunt, quos ueremur nobis esse infensiores: id quod Haganoæ factū est: sicuti parua spe obtinendæ uerè in Domino consensionis acceditur, ita difficilius etiam, quæ ad reparandam concordiam requiruntur, succedunt. Proinde ualde optandum, ut Imperator & Regia Maiestas rem tantā, & tam magnis & grauibus cõtrouersijs implicatam, ita agi & explicari instituant, ut inde ab initio, non modo in S. Imperio, sed etiā in ecclesia Christi mos fuit, & ut certa huius negocij natura postulat, ut status Imperij omnes ad decidendas cõtrouersias, & adhibenda uera ecclesijs remedia, conuocari, cõstituiq; iubeant: & uiros uerè religiosos, graues, prudentes, commodos, & pacis sanctæ ac certæ ecclesiarum reformationis amantes deligant. Romanos, ut hodie cõparati sunt, ualde ueremur, ne cognitionem talem, sicut hæcenus fecerunt, quoad poterunt,

terunt impedire conent. Sed uident Imp. & Regia Maiestates, sua ipsorum membra, tot Principes & status Imperij, qui nostram confessionem sequuntur, nō abijcienda sibi esse. Cum igitur hi nostri, cum reliquis Imperij Principibus, & statibus, de religione & uiribus ecclesiarum conuenire non poterunt, nisi de religione Christi & ecclesiarum administratione ex uerbo Domini & antiquis certisq; ecclesiæ Canonibus constituatur, sinceraq; instituaturs reformatio: uerè consulendum clementissimis Dominis nostris erit, ut salutem Germaniæ suæ, carnis & sanguinis sui, ac membrorum suorum, tam irreligiosè, ne quid grauius dicam, hominū alienorū, qui ad normā Christi sese tam malignè accommodant, ambitioni præferant. Præstat certe ferre illorū Romanorum iniustam atq; etiam noxiam iram, si ipsi uolumus & habere Christum propitiū, saluiq; huius ope permanere, & cõiunctas uires pro defendendis contra Turcarum crudelitatem fratribus coniungere: q̄ in gratiam illorum offendere Christū, & perire domestico dissidio, nosq; ipsos & fratres nostros Turcis prodere, & negligere in tot tantisq; calamitatibus. At non arbitror esse rerum nostrarū peritos, qui nō ista mala impendere nobis certò agnoscant, nisi Germania de religione rursus uerè consentiat: nec etiam in consensum religionis reduci posse, nisi cõtrouersijs eo, quem dixi, modo explicatis, ac sincera & solida reformatione Ecclesiarum constituta.

Concilium generale, & secus quàm nostra necessitas requirat, celebrabitur: & ut de religione aliæ nationes institutæ, & Episcopi ceteriq; Prælati de Christo docti & solliciti sunt, ualde uerendū, ut in generali Concilio Ecclesijs rectè consuli possit. Omnino igitur & Romanorum, & omnium aliorum studia, quæ obstare uelint, quo minus ecclesijs nostris, iusta religionis restitutione quàm primum communi statu Imperij Concilio consulatur, clementissimis Dominis nostris contemnenda erunt: siquidem, id quod tantopere cupiunt, Germaniam uerè pacatam, & ad depellendam Turcarum rabiem expeditam atq; consentientem, & instructam habere uelint. Scimus Maiestates ipsorū ab ijs, qui nullā emendationem religionis ferre possunt, in metum dubitationemq; deduci, quasi cõmunem tranquillitatem perturbatam uelimus. Sed tu non dubites, me uerum scribere: nostros Principes & status ueræ & piæ pacis esse cupidissimos, semperq; eius studiosissimos extitisse: & si ad ueram rationem componendi ista dissidia descendatur, nullam se curam & sollicitudinem, æquitatemq; ac placabilitatem denegaturos esse. In doctrina enim nihil contendimus, q̄ ut homines probè doceantur, nihil ex se nisi perditionem, ueram autem salutē ab uno Christo, & nulla creatura habere. Ut uerè in Christū credentes, fide, quæ natura sua per dilectionem ad omne bonum opus efficax & operosa sit, habeant & uiuant uitam Dei,

uitam

uitam cunctis uirtutibus ornata, & omnibus iustitiæ officijs fructuosam.

Sacramentorum, cæterarumq; cæremoniæ usum, nullum alium restituere possumus, quam eum, quem & scriptura, & sancti Patres tradunt: ut scilicet per hæc istic prædicetur & confirmetur, remissionem peccatorum totamq; salutem nobis per unum Christum constare: ut fide in eum aucta, in ipso etiã plenius semper uiuamus, & ille in nobis: & in mortificatione nostri, atq; inuocatione proficientes, bonis quoque operibus indies magis atque magis abundemus.

Disciplinam etiã plenissimè restitui optamus, & fatemur hæc apud nos nimium adhuc iacere: quanquam in reuocanda ea, non omnino negligenter laboramus.

Valeant hic & reuocentur ueteres Canones: eligant, examinentur, & ordinentur Clerici & Episcopi, hiq; regant ecclesias, & commissum munus Episcopale summa cum cura gerant, ut secundum scripturam, & à sanctissimis Concilijs constitutum fuit, sua quisq; potestate in ecclesijs, ad ædificationem autem, non ad destructionem utatur: & locum suæ dignitatis obtineant. Quid? De tota Politia Ecclesiastica, ut uetera Concilia decreuerunt, facile consentiemus. Nec quicquam etiã de disciplina uel cleri, uel populi, in ueteribus Canonibus traditum est, quod non optemus quamprimum restitui: exceptis tantum duobus locis, qui tamen eiusmodi sunt, ut de his facile componi possit, cum utrinq; in his ipsis sit facta maior, quam cõueniat, remissio. Coelibatum, scis, Patres statim admodum magni fecisse, & à clero exegisse: tum etiã ieiuniam, uigilias, & alias corporis castigationes, cum in poenitentia, tum alias maiore seueritate imposuisse, quam hodie prouehendæ pietati utile foret, uel etiã utile olim fuerit. Sed antequam nostri Prælati & Clerici seueritatem admittant eorũ Canonum, qui non solũ fornicatione, sed omnem etiã eius occasione & suspicione seuerissimè puniunt, haud grauatim de matrimonio dispensabunt. Nec ita affligere corpus cupiunt, ut plus ieiuniorum, & aliarum castigationum imposituri nobis sint, quam ferre possimus. Si quidem nihil imponere ipsis cõceditur, nisi quod ipsi quoq; præstent: imò nisi quo præeant, ut oportet. Noui etiã te non latere, Augusti nuntii questum, Ecclesiam iam sua ætate humanis præsumptionibus oneratam fuisse, plusquam Iudæi olim fuerunt. Facile itaq; si pij & prudentes uiri reformationem describant, etiã hisce oneribus Ecclesias Dei liberabunt. In summa, quicquid docendum, quicquid in sacris cæremonijs usurpandũ, quicquid in disciplina obseruandum, quod quidem per se ad Christi gloriam pertinet, sancti Patres tradiderunt, & in ecclesijs usurparunt, quia ea cum scripturis conueniunt, à nobis nunquã respiciuntur, modò alij eadem admittant,

mittant, & que illi contraria sunt abijciant. Nouisti & deploras indubiè, tam multis & grauissimis deprauationibus, uulgò doctrinam in Ecclesijs uitiatam esse: & esse tam paucos, qui Christo Domino soli fidere, & in eo innouari, & uiuere uitam sanctam, & omnibus fructuosam, purè & instanter doceant: & non potius prædicent, propter quæstum suum, diuorum & propriorum in cæremonijs merita: confirmentq; inde corda. & manus, non poenitentiam. Vides & desles diuinissima sacramenta, & alias cæremonias, sic ad inanem externi operis fiduciam prostitui, & uendit. Ita etiã agnoscis, disciplinam ad eò omnem collapsam esse. Quotus quisque est enim eorum, qui Episcoporum nomine censentur, qui, quid munus suum requirat, nouerit, taceo præstet? Quis uel doctrinæ, uel cæremoniæ uitia, quis Missarum & præposteram externi operis fiduciam, quæ fit non poenitentibus, tum prostitutionem & foedissimam earum nundinationem, adhuc conatus est corrigere? Et tamen nec de priuatis Missis, nec de eo quod mysterium huius sacratissimæ cæremoniæ populo non ut oportet explicatur, nec quod Sacramentum non totum dispensant, ullius ueteris Concilij Decretum, ullam S. Patrum auctoritatem habent: imò, si inquirerent, uel moneri se sinerent, cogerentur fateri, ista pugnare, ut cum scriptura, ita cum omni ueteris ecclesiæ & doctrina, & decretis, & usu. Inspiciantur omnes formulæ Missarũ, quæ in sanctis Patribus extant, omnia quæ de hoc mysterio scripta reliquerunt, & conferatur cum his id quod Missarum nomine in templis quotidie exhibetur. At cum clarissimè doceri possit, ista ita habere: bona spes est, si iusta colloquutio fieret, omnes, qui cognoscunt Deum, & Christum unum esse suum seruatore, ueritati libenter cessuros esse, et abiecturos quicquid intelligerent aduersus uerbum Domini, sacros Canones & Patrum doctrinam & usum in Ecclesiam irrepsisse.

Vna quidem timetur ualde facultas ab eo, quod Episcopi nostri, & alij Prælati, Principes externarũ ditionũ & Satrapæ sunt. Munus autem Episcopale & Prælatorũ id requirit, ut secundum scripturam & omnes Canones, imò ex ipsa sui natura, ut Prælati prorsus ab omni seculari negotio, liberè tantum doctrinæ Christi & disciplinæ dispensandæ & retinendæ incumbant.

Sed si tantum nullũ à Romanis impedimētum iniiciat, à quibus summus metus adfertur, ea ratio sine magna difficultate inueniri possit, ut qui Principes sunt, & externa administrant, Principes & externarum rerum administri maneant, & nihilominus ecclesijs de idoneis pastoribus et ministris prospiciatur: si tantum placet Christi regnũ admittere, in quo solo omnia nobis bona propofita sunt, & sine quo necesse est nos hic & in æternũ perire. Nam sicut quaerentibus, regnum Dei & iustitiam eius, cætera expetenda adijciuntur

tur omnia: ita hoc regnum & iusticiam eius negligentibus, nedum respicientibus & persequentibus, auferentur cætera omnia.

Hæc utinam Clementissimis Dominis nostris, quicumque id possint, fideliter exponant & persuadeant. Ipsi enim summi pastores nostri sunt, ipsis omnis anima subiecta esse debet, in hoc ipsorum quidem imperio. Et Deus nunc maximam eius occasionem affert, res Germaniæ sanctæ & fideliter pacificandi. Quod si studeant, non solum apud Deum & homines sempiternam sibi laudem parabunt, & subditis suis & patriæ debitum officium præstabunt: sed efficiant etiam, ut consentientis iam, & ipsis hoc amplius addictæ & obsequentis Germaniæ uiribus non solum Turcas propulsare, sed suam etiam dignitatem, suamque iura aduersus quosuis alios tueri facilius possint. Dominus Iesus ualetudinem tibi restituat, amplissime uir: & donet, ut tum omnia sancta & salutaria consilia Sereniss. R. Maiestati semper ingerere, & ille unâ cum fratre inuictis. Imperatore, clementissimo Domino, eadem felicissimè exequi possint. Quos idem summus Rex & seruator noster diu nobis cõseruet: & contra omnia, quæ Christi gloriæ & populi eius salutem aduersa sunt, uictores reddat. Amen, XIX Ianuarij, Anno Dñi M. D. XLI.

A. CARD. FARNESIUS, REVERENDO
Domino Friderico Nauſæ, Coadiutori Viennen. &c.
S. P. D.

Reuere de Domine, tanquam frater: Redditæ sunt S. D. N. Literæ tuæ, in quibus de Maguntinens. iniuria quereris: Cui quidem etsi eius Sanctitas obuiam itumputet Breui, quod ad te superioribus diebus misimus, omnia tamen aduentu Contareni significari posse existimat, cui diligenter causam hanc cõmendauimus, lectis literis tuis in amplissimo senatu. Quamobrem fac tibi persuadeas, neque Sanctiss. D. N. patrociniū, neque meam tibi operam defuturam. Vale, Romæ, XXVIII Ianuarij, Anno, &c. XLI.

IOANNES EPISCOPVS MUTINEN. NVNCIVS
Apostolicus, &c. Reuerēdo tanquā fratri, Domino Friderico Nauſæ,
Coadiutori Viennen. Seren. Rom. Regis, &c. Con-
cionatori & Consiliario, S. P. D.

Reuere de Domine, tanquam frater charissime, mitto tibi has literas, quas ex urbe accepi: mitto & nonnullas literas ueteres, quæ multas regiones perlustrarunt, atque quam ad manus tuas deferantur. Libenter tamen intelligam, eas fideliter redditas esse. Prudenter egisti, quando Viennam profectus es: ac si spiritu Dei afflatus intellexisses, Regiā Maiestatem ante pascha ad nos non uenturā. Nos hic adhuc hæremus incerti, quid & quomodo agendum sit. Video tamen animos omnium ad pacem inclinatos, de quo gaudeo. Reuerendissimus Do-

minus

minus Cardinalis Contarenius hodie huc uenit. Ad sunt plerique Principes Catholici, exceptis Electoribus, Protestantes etiā expectamus. Opto scire quid agas, aut acturus sis. Tibi officia mea prompto animo offero. Datum Ratisbonæ, XII. Martij, Anno salutis humanæ M. D. XLI.

IOANNES MORONVS EPISCOPVS MUTINEN. &c.

Reuerēdo Domino Friderico Nauſæ, &c. tanquā fratri, S. P. D.

Reuere de Domine, tanquam frater. Et te incolumem Viennam peruenisse, & munus concionandi suscepisse gaudeo. In hoc enim est uocatio tua, hominibus quidem utilissima, tibi uerò etiam honorifica. Nam Christo ministras: & eū qui illi ministrauerit, honorificat Deus. Quapropter in hac concionatorum penuria sedulo incumbere, instat oportune, importune, & cõpelle eos intrare uerbi Dei, & exemplo integritatis. Quod tibi tanto accuratius agendum est, quanto (si Deus dabit, uel iam dedit, pacem in regione uiuorum, Episcopo Viennensi) succedis uiro docto, catholico, & qui multa præstitit, plura præstare optauit & conatus est, reipublicæ Christianæ. De te nullus planè dubitat, quin propter nostrā fidem & religionem omnia subire paratus sis. Et si aliqui dubitarent, ego, quæ mea est de te opinio, polliceri audeam, quantum humana patitur infirmitas, te & honori Dei, & salutem animarum, & bonis artibus omnino esse & futurum semper deditissimū. Sed de aduentu tuo ad nos quid agendum sit, aut procurandū, non satis scio: cum hic nihil agatur, incertusque sit non solum euentus, uerum etiam tractatus negotiorum. Sed utcumque se res habeant, quantum ad me attinet, si præsentiam tuam necessariam fore existimauero, & tibi hoc ingratum fore non ueritus fuero, etiam cum Serenissimo Rom. Rege agam, ut te euocet. Interim diuino euangelizantis ministerio absque sollicitudine incumbere, & me optima quæque tibi optare non dubites uelim, & in utroque homine rectè ualeas. Ratisbonæ, die XXII. Martij, Anno M. D. XLI.

IOANNES COCHLAEVS REVERENDO IN CHRISTO
Patri ac Domino, D. Friderico Nauſæ, Coadiutori Viennen. Rom.
Regis Consiliario & Concionatori, &c. Do-
mino suo, S. P. D.

Reuere de in Christo Pater ac Dñe, ut huc ueni die v. Martij è Maguntia, anxius de hospitio, cucurri ad ueterem communem amicum nostrum D. Petrum N. Decanum Ecclesiæ S. Ioannis, qui tuas mihi literas exhibuit, in quibus inter alia patebat, tua ut, quæ mihi tradidisset affinis meus Fran. Behem, partim ad te mitterem, partim hic retinerem. At ille nihil mihi ad te dedit. Recepi autem in itinere literas ad te scriptas è Maguntia, & ex Herbipoli, quas nunc ad te per postam mitto. Cæsar iam XIII dies hic agit. Principes & Episcopi

Pp 2 nostri

nostri tardius aliquantulum, q̄ mihi decere uideatur, adueniunt. Non tamen diu aberūt, ut audio. Ex Protestantibus nullum adhuc uidi hic. Alloquutus sum Reuerendissimū D. Episcopū Secouiensem, is ait se scripsisse Regiæ Maiestati, se & D. Martinum Kūgelin hic esse. Bene uale, amplissime Pater, uir clarissime. Ex Ratisbona, VII. Martij, quo die expub. diuerforio in priuatū mi graui hospitium. Anno, &c. XLI.

ORNATISSIMO IVXTA AC PROFVNDISSIMO SACRAE Theologiae doctori, Friderico Nauseae, Rom. &c. Regiæ Maiestati à con-
cionibus, & consilijs, &c. Suo Domino in primis honorando. S. P. D.



*V*ime uir, & magnæ decus indelebile gentis
Pannoniæ, trepidis portus & aura uirtis:
Eloquij sacri splendor, sancta q̄ Poësis
Candor, Pierij gloria uera iugi.

Fortassis mea cur mittatur Epistola quæris,
Et uera dignum iam ratione puto.
Versu namq̄ rudi quis sollicitaret Homerum?
Quis uat i Andino carmina tanta daret?
Ni fretus Clariæ magno candore cohortis?
Quo, uir magne, uelut stella serena micas.
Ergo, sciam cum te tantis uirtutibus auctum,
Et natum misero pectus habere choro:
Exemplo Christi, miti quem quilibet ore
Inuocat, & cunctis cui patet auris ouans:
Suscipias iam iam non æquo condita filo,
Sed tamen & Musis carmina grata meis.
Res facilis factu tibi, sed mihi grandis, in usus
Antiquos, nostras consociasse deas.
Præsul Ioannes, iubar immortalæ paternæ,
Teutonice, imò omnis maxima fama plagæ:
Annum per medium nostras iam fouit alumnas,
Erexit corpus nec leuiore manu.
Ac satis adflauit præduris aura Camœnis,
Nec mel Parnasi dulcius ore fuit.
Tandem, ut per pulchrè resonat Venusinus alumnus,
Ex omni nemo parte beatus erit.
Sic rebus nostris Rhamnusia dira secundis
Inuidit, faustam uertit amara rotam.
Et fecit sociæ nimis indulgere cateruæ,
Primæui iuuentis ceu calor ille solet.

Mox

Mox homines nigri, synceri corda sodalis
Denigrant, lacerant ceu mea membra canes.
Meq̄ ferunt lingua Domino mordace Patrono,
Ocyus ex musca totus Olympus erit.
Nobis confestim Dominus succenset hiatu
Fellifluo, Musis abrogor ipse bonis.
Ergo ipse ignorans zephyris quò uela secundis
Dirigerem, proræ tu anchora solus ades.
Ergo te solum persuasit adire Camœna
Syluestris, miti fundere & ore preces.
Ut trepidi iuuentis iam iam super ora misertus,
Funderet & Fabro lingua diserta preces.
Quò uelit antiquum sub scuto pacis alumnum
Accipere, & prisca mente fouere domo.
Peccauit Salomon, David peccauit & almus,
Largita est illis gratia magna Dei.
Sic quoq̄ confirmo, si uel tunc criminis ullum
Insulam, lubens crimina quæq̄ luam.

Sebastianus Solidus
Guntianus.

GEORGIUS VICELIVS, NUMERIS OMNIBVS
absolutissimo D. Friderico Nauseae, Ecclesiastæ & Consiliario Re-
gio, & Coadiutori Viennæ. Domino & Patrono suo
benignissimo, S. P. D.



Larissime, & idem charissime D. Friderice, tuis ad me literis respondi pridem. Ego te ut plurimū amo, ita plurimi facio. Nulla unquā erit tam uiperea lingua, quæ nostrā uel debilitet, uel eneruet amicitia. Gnesia em̄ est, & Christi uinculis firmata. Expectabat bona salus à Ratisbona: contingat hæc Rati bonæ, id est, Ecclesiæ: Amen. De mea uel spe, uel metu, in presentia tacebo. Feceris mihi gratissimū, doctissime Nausea, si ad me perscripseris, quomodo se comitiorū initia habeant: & num eadem tibi eo super negotio sententia, quæ Vormaciæ, sedeat. Locus mutatus est, actores uerò ijdem, & eadē manet utriusque sua pertinacia. Reuerendissimo & integerrimo Episcopo Mutinens. tibi q̄, & Domino Cochleæ breui mittam consilium, cuius haudquaquam summus etiam monarchas puđerit. Metuo, metuo, ne denuò Sathanas ansa detur Ecclesiam irridendi. Nequā est, & callet artem impediendi salutem. Turcam è somno in nos excitabit: faciet, & prosperabitur. Perijt religio, nisi, &c. Tu, dulcissime anime mi, in consolatore spiritu sancto semper quàm optimè ualeas, precor. Fuldæ, xxv Martij, Anno, &c. XLI.

Pp 3 IOANNES

IOANNES HOFFMAISTER VS AVGVSTINEN. PRIOR
Colmarinus, Ampliſſ. viro D. Friderico Nauſeæ, Regio Concionatori & Con-
ſiliario, Coadiutori Viennen. &c. S. P. D.

IN tanta rerum intercapedine, uix certo ſcire potui, ubi
nam terrarum agas, Nauſeæ chariſſime, idemq; Eccle-
ſiæ Antifiteſ fidelifſime: hinc eſt quòd haſtenus litera-
rum ad te dedimus nihil. Sperabam equidem Vangio-
nenſe Colloquium te nobis daturum: ſed haſtenus bona ſpes me
malè deluſit. Verùm nolim cum dijs expoſtulare, qui ita delibera-
runt, uos debere in eum modum motoriam agere fabulam. Quid
Haganoæ tentatum fuerit, ſcimus. Quàm feliciter porrò alea ceſſe-
rit Vormaciæ, diuinare poſſum. Quis autem præſentis ueſtri con-
uentus futurus ſit ſucceſſus, Deus ipſe, cuius res agitur, uiderit. Si
ego quid precibus, ſi quid laboribus, ſi quid uigilijs promouere
poſſem, fidelifſimam meam operam non grauatiſ Eccleſiæ no-
ſtræ Catholicæ locarem. Subolet mihi, quò tandem Antichriſtia-
norum tyrannis tendat: & quid eadem meditetur, non imprudens
(opinor) conijcio. Extant enim ſcripta tum priuata, tum publica,
ex quibus, quid aduerſarij machinent, facile iudicare licebit. Certè
omnia ſpirant ſanguinem, cædes, ſeditiones, &c. Sed quid opus
his ad te occupatiſſimū, et eius rei expertiſ, qua ratiōe, quo modo
tam intempeſtiuo malo medendum? Vereor, uereor mi Nauſeæ,
ne nobis iam diu dicat Chriſtus, quod in ſacraſſimo Euangelio
legitur: Auferetur à uobis regnum, & dabitur genti facienti fru-
ctus eius. Quis enim non uidet, ne ullam quidem micam eſſe pieta-
tis inter partes? Enimuerò oportet nos ingenuè fateri, à noſtris
nihil minus quæri q̄ Chriſtū. loquor non de te, tuiq; ſimilibus, ſed
de ijs, penes quos eſt ſumma rerū apud nos. Non petimus pleriq;
à Cæſare noſtro Catholicæ Eccleſiæ ſucceſſum, ſed Eccleſiaſticorū
honorum, non de quibus uiuimus, ſed de quibus perimus, aſylū.
Aduerſarij non quærit Euangelij propagationē, ſed ſacrilegij de-
ſenſionem. Tu, tuiq; ſimiles, quæ in Eccleſia ueſtra eſt pietas, Miſſæ
ſacrificiū propugnatis. At quotuſquiſq; Episcoporum & Canoni-
corum noſtrorum eſt, qui non aut rarò, aut nunquam, & hoc qui-
dem difficilimè, ſacrum facere pergat? Filius hominis ſi uenerit in
terrā, putas inueniet fidem? Profectò non tam bona ſunt Eccleſiæ
noſtræ dogmata, quàm impia ſunt uitæ noſtræ exēpla. Dicā quod
res eſt: qui apud nos uolunt eſſe Chriſtianifſimi tenaciſſimi, toti in
hoc ſunt, ut Cæſare fauente, ipſis qd libet licere poſſit. & hinc eſt,
quod nō poſſum conatus ueſtri bonum ſperare ſucceſſum. Vale-
ant ſchiſmaticorum impura dogmata, ualeat & noſtrorum im-
purifſima uita. Si quid illi boni à nobis mutuati ſunt, non grauiter
feramus: Si quid peccatum eſt, humiliter agnoſcamus, & facile co-
aleſcet concordia. Obtrudunt nobis aduerſarij confeſſionis ſuæ
uiginti

uiginti ſex Articulos (qua modeſtia, imò qua philautia, tute no-
ſti) non omninò malos, ſed prioribus ſuis ipſorum ſcriptis longè
diſſimillimos. Articulis ipſis examinandis unū atq; alterum men-
ſem dicaui. Ad ueteris Eccleſiæ trutinā examinaui: qd porrò pro-
fecerim, non ita multo poſt & tibi & per te Regi tuo FERDINAN-
DO Chriſtianifſimo exponā. Fœturā hanc uix fuſam, LVDOVI-
CO BERO, Theologo doctiſſimo, amici mei meo nomine exami-
nandam obtulerunt. Nō detreſtat ille prouinciā. Ego expecto
aleam. Certè mihi uidetur, nobis prudenter agendū eſſe, ne quod
in priſcis Patribus plauſibiliter legitur, in aduerſarijs temerè cul-
petur. Rem hanc nolo pluribus agere: & arbitror uanam ludere
operam, qui uolet uti teſtibus non neceſſarijs, in re non dubia. V-
tinam Dei beneficio liceret mihi tecum hac de re ex animo cōmen-
tari. Crede mihi, Nauſeæ dulciſſime, non nimium altercando, ſed
per Chriſtum inuicem condonando, eccleſiæ concordia reſarciri
poterit. Plurimum autem referre puto, ſi omnia ſuo loco inſtituta
fuerint. Nos defendimus pro uirili Pontificum dignitatem: at hos
pudet, ut plurimum, ſuum facere officium. Vindicamus Eccleſiæ
ſacerdotium: at ad hoc admittūtur, neſcio qua uel negligentia, uel
impietate, quales referre pudet. Diſplicet nobis Hermogenes, &c
Cur non & nobis diſplicet Simon ille in Actis? Sed haſtenus te-
cum fabulari, imò & lamentari placuit. Iam quid rerū agat, & quo-
modo ualeat Episcopopus Viennensis, opt. ſtudiorum Mecœnas,
ſcire percipio. De amantifſimo fratre meo Gaudentio, incerta ſa-
ma audiui, quæ utinam uana ſint. Quòd ſi uera referuntur, factum
eſt, quod iam diu timebam. O uitream, ſed nobiliſſimam homi-
nis ualetudinē. Da nobis o bone Deus, multos eiufdem zeli Gau-
dentios: & uulpeculas illas Cacangelicas tutò deſpiciemus. Va-
le pientifſime Antifiteſ, Pater, Præceptor, F. & Ioannem tuum,
Episcopo tuo, Eccio, Pelargo, & alijs catholicis tuis commilitoni-
bus quàm officioſiſſimè cōmendato. D. Viceliū miror ſic obmu-
tiſſe. De uenerando ſene, Ioanne Cochlæo, nil penitus audimus.
Vale iterum atq; iterū, & infantiam noſtram amicè excuſatā habe.
Colmarie, tumultuariò. Vltima Martij, Anno, &c. xli.

IOANNES COCHLÆVS REVERENDO IN CHRIS-
ſto Patri ac Domino, D. Friderico Nauſeæ Coadiutori Viennen. Regio
Concion. & Conſiliario, S. P. D.



Reuerende Domine Coadiutor, clariſſime Doctor, ma-
ior & promotor ſemper præcolēde: Ex literis tuis pla-
nè intellexi, quantis ſis iſtic in curis atq; laborib. Quo-
niā uerò utiliter laboras, minus dolere debes. Nos hic
neq; operoſi, neq; ocioſi ſumus: ſicut & Vormacię fuimus. Nemo
ad operandū nos conducit, nemo requirit operā noſtrā: & tamen
honestè

honestè recedere nõ possumus, instante iam actione publica. Cras enim incipiet tractatus publicus. Haftenus expectatus fuit Principum aduentus. Aduenērūt pauci ex electorib. Vnus est hic Reuerendissimus & illustrissimus Dñs Card. Maguntinus, q̄ xxx. die Martij aduenit. Ex protestantib. itidem unus est hic Landgravius Halsia. Ex Episcopis sunt hic, Saltzburgen. & Bremen. Archiepiscopi Bambergē. Eystetten. Augusten. Spiren. Hic uix triduo adhuc fuit Hildeseimen. item, qui Romæ cõtra Ducem Braunswicensē, Henricum sententiam obtinuit; & Misnen. qui miserè affligitur à suis uicinis, ut nosti. Et præterea Legatus Ro. Pont. R. D. Card. Contarenius, & Episcopus Mutinen. factus nuncius Apostolicus apud Cæsarem: Adfunt & alij externi Episcopi, & oratores non pauci. D. Ioan. Eckius nõdum adest. Habes iam, quantum adhuc scribi dignum uisum est. Bene uale, & ignosce, quòd neque lætiora, neque meliora scribo, quia deest argumentum. Saluto amanter tuos, œconomum D. Georgium Bulmanum, D. Simonem Rosentrit, Prasinum, Taurellum, & alios. Ex Ratisbona, die III. Aprilis, Anno Domini nostri Iesu Christi M. D. XLI.

REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO D. FRIDERICO
Nausea, inuictissimo Rom. &c. Regi à sacris Concionibus, & Consilio, Episcopo Viennensi designato, &c. Martinus
Cuthenus S. P. D.



lunt uulgò, doctissime Nausea, beneficia citissimè consensere: sed fortassis apud eos, qui non gratitudine animi, uerùm suo commodo beneficia accepta metiuntur. Ego, mi unice Patrone, quantum tibi debeam, optimè intelligo: quod referā, planè non habeo: cum maior sit multo tuorum beneficiorū summa, quàm ut mea referre possit tenuitas. Etenim taceo, quòd me ignotum immeritumq̄ nõ modò mensa tua lautissimè humanissimèq̄ excepit: sed etiam eximijs doctissimisq̄ Mecœnatibus & officiosè cõmendauerit, & feliciter promouerit. ac quotiescunq̄ ea mecum repeto, non possum, non meam uel temeritatem, uel potius rusticitatem incusare, qui te uirum tantum, tot serijs negocijs distentū, leuiter doctus homuncio interpellare non erubuerim. Vidisti Cuthenum, uidisti inquam: sed longè alium reperisti, quàm fortassis speraueras: hoc est, pro thesauro carbonēs, nempe indoctum, obstreperū, & non nisi de suarum rerum successu importunè quiritantem. At è diuerso, cum summam, qua me complexus es, diligentiam tuam expendo, uehementer gaudeo hanc meam siue temeritatem, siue rusticitatem, in melius celsisse: meq̄ talem patronum reperisse, qualem ne quidem speraueram unquam. Faxit Deus Optimus Maximus, ut Cutheni aliquando gratitudinem sentias. Nam nihil magis in uotis habeo, quàm tibi semper & in omnibus gratificari. Cæterū de negocijs

negocijs meis apud te agerem & uerbosius, & diligentius, quàm antea, nisi uererer, de tua erga me beneuolentia, quæ mihi iam abundè perspecta est, parum rectè sentire ab aliquo uideri. Hoc tantum à te summis contendo precibus, ut quàm ocysimè res cœpta apud S. Regiam Maiestatem perficiatur. Nam hic fama aliquot diebus reditum in patriam meam præuertit, me uidelicet priuilegium de imprimendis diarijs iam impetrasse. Vnde autem, & à quo ea promanarit, addubito. Timeo tamen maximè, ne si diutius ea res protrahatur, fraude illorum, qui malè uolunt mihi, ac iam iam insidiantur, ego prorsus deiciar & supplanter. Itaque non diffido, quin pro tua prudentia, quod in rem sui clientuli uiderit commodissimum, face re haud grauabitur. Scripsi de eadem re clarissimo D. Ioanni Hasenbergio, D. & patrono mihi cum primis colendo, ut sua ope & operate in hoc meo negotio apud inuictissimum & clementissimum Regem iuuare dignetur. Mitto etiam literas latinè scriptas, testes meæ conuersationis, cum in patria, tum apud exteras nationes. Quæ si quid ad rem facere uidentur, unà cum prioribus, quas apud te reliqui, S. R. Maiestati offerri poterūt. Quod autem ad Vuenceslaum Rubinum, amicum & familiarem meum, attinet, oro, ne illi tuo patrociniò desis, ut ipsdem mecum insignijs & gaudeat, & fruatur. Quem tibi commendarem, nisi fortè ille iam suis literis tibi sese commēdaret, ex quibus hominem, tanquam leonem ex unguibus, facile æstimare poterit. Bene ualeas, Mecœnas optimè, & me licet indignum, clientulum tuum, apud Magnificos D. D. Georgium Gengerum, & D. Adamum Carolum, tuo patrociniò ne destituas oro. Item D. Ioanem Prasinum, & Iacobum Taurellum, amicos optimos, plurimum saluere opto, quorum præsentia me tuum hospitium & conuiuā cohonestare dignata est. Pragæ, postridie feriarum Resurrectionis D. N. Iesu Christi, Anno MDXLI.

VVENCESLAVS RUBINVS RACONICIVS, REVERENDISSIMO ATQ; AMPLISSIMO UIRO DOMINO D. FRIDERICO NAUSEA, EPISCOPO VIENNEN. DESIGNATO, AC REGIO CONCIONATORI & CONSILIARIO, S. P. D.



Vnc demū experior, uir doctissime, plus quàm uerum esse, quod dicitur, Virtutem ubiq̄ gētium habere sui & amatores, & cultores. Cum enim ego saepe tuam eximiam doctrinam cum summa humanitate coniunctam, à pleriq̄ tui studiosissimis cõmendari audirem (etsi te nunquam uiderim) tamen ex sola illa prædicatione tantarum uirtutum tuarum, ilico sensi mihi paulatim animum mirifico quodā nominis tui amore accendi, usq̄ eò quidem, ut hoc semper amicè optarē, si non cognoscendi, at saltem ex facie contemplādi te, mihi copia daretur. Sic enim sperabam, huic meo ardentissimo amorì erga te ex parte

aliqua satisfactum iri. Sed tamen hisce meis uotis res ipsa nunquam respondit. Et quamuis nihil spei amplius huiusce rei consequendæ mihi relictum erat, semper tamen D. FRIDERICI NAVSEAE, &c. nomen in ore animoq; meo firmissimè hærebat: & nunciam ita altè radices in me egit, ut nullo modo extirpari possit. Quare cum animaduertērem, ueterem istum amoris mei erga te igniculum indies magis ac magis in me augeri, ac tacito quodam iudicio te meo à me suspici, ex talibus indicijs facile sensi, pristinam illam spem de te conceptam aliquando tandem rursus ad me reitutam esse. Quæ profectò hoc tempore non sine magno meo commodo ac fœnore ad me reuerfa est. At licet ne nunc quidem ea mihi facultas detur, ut te ex facie cognoscere possem: tamen cum animum tuum erga me, studia que humanitatis intueor, magna ex parte uideor mihi externa faciei lineamenta, totiusq; corporis habitum perspicere. Sunt enim animi ac totius harmoniæ corporis euidentissima indicia atq; signa, uirtutes; de quibus etsi multa antea audiuerim, tamen multo certius ac uerius Dominus Martinus Cuthenus, uir & doctus, & de patria nostra optimè meritus, & quo ego amico sincero atq; candido & familiari iucundissimè utor, quotidie plurima narrare solet. Et quòd omnia uera sint, quæ de te dicit, uel ex illa tua humanitate, qua cum apud te esset, eum amplexus es, ac uniuersum ordinem studioforum amplecteris: uel etiam ex illa animi promptitudine, qua pollicitus es eidem D. Martino de me, cognoscere licet. Retulit enim mihi, quòd, cum hisce diebus Viennæ apud te esset, personamq; meam tibi commendaret, ac de negotio meo, quòd ad insignia attinet, te rogaret, ut operà tua particeps illorum efficerer, statim & cum quadam animi promptitudine, omnem operam, si dem ac diligentiam in eo negotio conficiendo ei promissisti. Hęc uirtus profectò digna est tali, tanto que uiro. Atque ut quiddam planè Regium est, ut ille dixit, ignotis & nihil de nobis promeritis benefacere: ita tua tam prompta opera & uoluntas in meo negotio suscipiendo, uidetur mihi longè Regia illa facta excedere. Quòd cum ualde animum meum erga te accendisset, non potui me continere, quin hæc literas, licet te tali uiro indignas, ad te scriberem. Pollicitus sum etiam mihi de te omnia bona, & adhuc semper polliceor. Quare, uir doctissime, simulq; humaniss. magis illa tua humanitate & beneuolentiã erga studiosos, quàm ulla alia refretus, ad te confugio, summisq; precibus oro, ut me licet indignissimum, patrocinio tuo tandem iuuare digneris, & ut opus iam ceptum perficias: des que operam, ut isdem insignijs cum Domino Martino amico meo charissimo unã potiar ac fruam: facias que, ut si cut sæpe doctorum uirorum, et ex aula Sereniss. Regis Ferdinandi, &c. et aliorũ amicitiam in uarijs meis rebus expertus sum: ita quoq; in hac re patrocinium tuum persentiscã. Deinde et te summè oro, ut magni-

magnificis, doctissimis & humanissimis uiris, Domino Doctore Georgio Giengero, Cancellario, & D. Adamo Carolo, à secretis Serenissimi & inuictissimi Rom. Regis FERDINANDI, &c. in quorum manibus hæc tota res est, quàm poteris diligentissimè commendes: ut & illi, pro suo eximio amore erga homines literatos, & sua eximia bonitate, mihi quoque in ea re patrocinari, suasque operas præstare dignentur. Hęc si à te ita, ut spero, impetrauero, faciam, ut insignia sint perpetuum monumentum beneficij à te mihi collati: atque in id totis uiribus incumbam, ut hoc beneficium in memorem ac gratũ collocatum esse uideatur. Polliceor etiam, me insigne aliquod meæ erga D. Doctorem Giengerum, & D. Adamum Carolum, &c. maximè uerò & in primis erga te, speciem gratitudinis ostensurum esse. Bene uale. Pragæ, postridiè magni festi Resurrectionis Dominicæ. Anno à redemptione humana, M D X X X I.

MARTINVS CUTHENVS FRIDERICI Nauſeæ, &c. S. P. D.

Quas tibi nunc referam, doctissime Nauſeæ, grates?

Exuperant uires dum tua facta meas?

Tu licet immeritum, magnis tamen usq; patronis,

Officio haud cessas conciliare tuo.

Fœlix illa dies, albosq; notanda lapillo,

Cernere qua tantũ contigit ora uiri.

Crede, meam nunquam capient obliuia mentem,

Quin tuus in nostro pectore uultus erit.

Uue, uale, & nostris faueas, pie Nauſeæ, ceptis:

Pectoris & grati hæc carmina pignus habe.

GEORGIVS TANNERVS REVERENDO ATQ; VE EXCELLENTISSIMO uiro, Domino D. Friderico Nauſeæ, Regio Consiliario & concionatori, &c. D. Patrono benignissimo, S. P. D.



Ense abhinc uno, ni fallor, uir reuerendissime, atq; excellentiss. cum mihi Io. Prasini, & morib. & eruditione iuuenis ornatissimi beneficio, tua contigisset noticia, ita ut tandem ad te liber aditus pateret, tanto equidem affectus sum gaudio, ut nihil gratius, nihilq; iucundius tum mihi accidere potuisse, planè persuadeam. Sæpè enim, quòd ingenuè fatear, æquè aliud nihil in optatis habui, quàm tuam familiaritatem longè dignissimam consequi: quam omnibus bonarum literarum candidatis studiosissimam scirem. Proinde cum iam uoti cõpos sim factus, diu sanè cogitauì, quòd si commodam apud te rationem inseruiedi

pro eruditionis meæ tenuitate nācisci possem, eam obuiss, ut aiunt, manibus amplecterer. Porro etsi consilium hoc foeliciter succederet, negotia tamen paterna illud ipsum non ferrent. Quæ quamuis non tam ampla, neq; expedita sint, quin breui temporis spacio conficerentur; eorum tamen monitis morem gerere debeo, quibus mei tutela commissa est. Si enim me subinde hortantur, ne me uel alienis negotijs implicari sinam: uel propter maiorē ingenij cultum capefendum aliō concedam, nisi rebus meis domi probē constitutis. Et isti assidui, uir clarissime, hortatus in causa sunt, ut quid nunc faciam, planē sim incertus. Quamobrem cum eiusmodi causis & iustis & honestis prohibear, ne cuiquam operam meam quamuis tenuem promittere ausim, per Musas & Gratias oro atque obtestor, quod si aliquando per negotia domestica licuerit, me tibi tanquam optimo omnium studiorum Patrono, etiam atque etiam commendatum habere uelis. Cæterum, hoc loco nequaquam silentio transeundum est, qua causa adductus sim, ut literis meis illiteratis studia tua grauiissima, sanctissima que, quibus ob rempublicam Christianam occupatissimus es, interpellare non dubitauerim: quod mihi, ita me Deus amet, nunquam sumpsissem, nisi Prasinus tuus, huius facti mihi author fuisset. Cuius fiducia perfri-cui frontem: humanitatis que tuæ interim magis, quam summæ dignitatis & eruditionis memor, has literas ad te eo breuioribus scriptis: quarum importunitati, si quæ fuerit, quod equidem subuereor, spero huic, Prasini nomine, ueniam dabis. Tu interim bene ualeas, quem mihi, & suis omnibus, Christum Optimus Maximus quam diutissimè incolumem seruare dignetur. Viennæ Pannoniæ, ex contubernio Rosæ. Prima Aprilis, Anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo.

G. CARDINALIS CONTARENVS LEGATVS, ETC.
eximio Domino Friderico Nauseæ Doctori, & Coadiutori Viennæ. &c. amico nostro charissimo, S. P. D.

Literis tuis, Nausea eximie, non ignotum nobis animum, quem de Christi religione haberes, cognouimus. Præferebāt enim illæ egregiam uirtutem, pietatem & probitatem tuam: & unā tuam erga nos obseruantiam & amorem, quod nobis gratissimum fuit. Cupimus enim maxime, uiros tui similes habere amicos: quod tu, cum præsens fueris, poteris cognoscere, quibuscunque enim rebus tibi prodesse poterimus, non deerimus. Quod uerò de nostro in Germaniam aduentu gratularis, non uidemus quid de nobis tantopere possit expectari. Id tamen polliceri possumus, quod, quantum in nobis erit, ad religionis causam omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem & diligentiam sincerè conferemus. Deus omnipotens

omnipotens nostris cœptis faueat, & principibus Germanis omnibus rectam inspiret mentem & animum. Vale, Ratisbonæ. Calend. Aprilis, Anno MDXLI.

IO. A' FRANGIPANIBVS EPISCOPVS AGRIEN.
&c. Reuerendissimo D. Friderico Nauseæ, designato Episcopo Viennæ. Consiliario & ecclesiastice Regio, D. & amico honorando, S. P. D.



literas tuas, unā cum opusculis quibusdam sanè doctissimis, recepi: quæ mihi pergratæ fuere. Verum quod ad res religionis attinet, nunc nihil mea interest. Delectat enim sunt doctissimi homines, utriusque partis, Catholicorum scilicet & Protestantium, qui hæc negotia ad amussim tractent, & discutiant. Id autem oneris nunc mihi iniunctum est, ut unā cum magnificis collegis meis de calamitatibus Regni nostri Hungariæ, & cum Catholica Cæsarea Maiestate, & cum Illustrissimis Imperij Principibus agam. Id quod pro uiribus, Deo dante, perficere conabor. Interim tamē optarem te adesse, ut in hoc celeberrimo conuentu, cum his doctissimis uiris agere posses de his, quæ Christianam pacem & concordiam fidei concernunt. Crediderim enim tuam præsentiam Catholicorum rebus admodum profuturam: & me tibi ex corde offero, & amicissimè commendo. Datum Ratisbonæ, die II Martij. Anno &c. XLI.

HIERONYMVVS PVLLASTRELLVS, AMPLISSIMO
Antistiti ac Domino, D. Friderico Nauseæ, Episcopo Viennæ. designato, &c. Patrono suo obseruandiss. S. D.



Nte menses aliquot literas ad te dederam, amplissime Antistes: sed nescio an tibi redditæ fuerint. mihi enim relatum fuerat à quibusdam Germanis, te in magna & sublimi existimatione & auctoritate esse apud inuictissimum & Christianissimum Rom. Regem FERDINANDVM, quo iucundius mihi profectò nihil accidere potuisset: ac magnopere desidero te adhuc semel uidere, antequā decederem. & ideo si tibi hoc gratum esset, rogo digneris me certiore reddere. Te pluribus uerbis detinere nolui, quem alijs arduis negotijs uniuersam Germaniā, tum etiam totam rempub. Christianam concernentibus occupatū esse, compertum habeo. Reliquum est, ut me semper quam commēdatissimum habeas, & in Christo IESV, uera uia, ueritate & uita, optime uiuas & ualeas. Datum Patauij, II Maij, Anno &c. XLI.

SIMON VILLATICVS REVERENDISSIMO ET
amplissimo uiro & Domino, D. Friderico Nauseæ, Episcopo Viennæ, designato, Rom. Regiæ Maiest. à sacris concionibus & consilijs, &c. S. P. D.

Qq 3 Literæ

Literæ tuæ cum munusculis redditæ sunt mihi, supra, quæ scribi potest, gratissimæ: itidem & alijs quibus reddenda mandasti. Mihi nescio an quicquam magis gratum potuisset contigisse, quam tam fauentis erga me animi, à tanto uiro significatio. Literas ut accepi reuerenter, libenter quæ, mox tam cupidè legi ad calcem usque (quod aiunt) ut perlegerim: tunc, quod solum potui, à Domino Deo tibi ex animo foelicissima quæque precatus sum. Gratias meritis dignasque agere, etsi non est opis meæ, habeo certè: dumque uiuam, habiturus sum copiosissimas. Eam ciuilitatis gratiam, qua illius factionis schismaticæ proceres illi ad ea colloquia, meo iudicio haudquaquam immoderata, inflexi sunt, tibi magnoperè gratulor. Siquidè trahi nolunt: duci posse, dāt significationem. Faxit diuina æternitas, ut foelicem audiam huius fabulæ catastrophè. Tibi me humillimè cōmendo, & ex animo opto te ex animi sententia ualere. III Nonas Maij, Pragæ, An. &c. XLI.

IOANNES COCHLAEVS REVERENDO IN CHRISTO Patri ac Domino, D. Friderico Nauseæ, Coadiutori Viennen, Consiliario & concionatori R. S. P. D.

Reuerende in Christo pater, ac Dñe Coadiutor. Redijt huc magister ille Lypseñ, cui fascem ad te tradideram. Spero quidem eum fideliter tradidisse. Licet nullum à te testimonium attulerit: sed id mihi testimoniij læti factis est, quod affirmat te maximè apud Regiam Maieft. ualere gratia & autoritate. Misi interim & aliorum ad te literas per D. Ilfing, qui Regiæ Maieft. nomine hic mihi tradidit ac numerauit florenos Rheñ. in moneta quinquaginta, ac totidem doctissimo uiro D. Marti no Kugelin, collegæ nostro, dū essemus Vormacię. Ego supplices ago habeoque gratias & Deo et Regi. Et quanquā abeundi licentiam per Regias literas iam dudū acceperim, remaneo tamè: cupiēs uide re finē, saltē discordiæ, in Religione. Literas Philippi Melanchthonis & Buceri ad te Vormaciæ scriptas, uidi iam impressas. Si fuisses hic, facile crediderim te illis ad concordie tractatum adiungendum fuisse. Mei nullus est hic, quem admodum & Vormaciæ, uisus. Nec multi ex catholicis Theologis hic sunt: Saluto per te uenerabiliter D. Simonem Rosentrit, uirū non minus religiosum, quam sanè doctum. Similiter Prasinum & Taurellum, cæterosque familiares tuos. Non scio quàm diu hic remansurus sim. graues enim sunt sumptus continui pro duobus equis, totidemque famulis.

Vale. Ex Ratisbona, VI Nonas Maij, Anno, &c. XLI.

EPISTO

EPISTOLARVM MISCELLANEARVM AD D. FRIDERICVM NAVSEAM BLANCICAM, pianum, Episcopum Viennensem, singularium personarum, Liber Octauus.

IOANNES COCHLAEVS, DOCTISSIMO VIRO D. Friderico Nauseæ, &c. S. P. D.



REuerende pater, Doctor & Coadiutor obseruandissime, hac ipsa hora, qua tuas recepi literas, cum quatuor priuatorum colloquiorum tuorum exemplaribus (pro quibus debitas gratiarū actiones refero, habeoque) attulit ad me binas has inclusas ad te literas, à Petro Quētello ex Colonia, Reuerendus pater Eberhardus Carmelitarū Colonien. Prior, & sacrae theologiæ Doctor, quem probè nouisti. Quamuis Regia Maieftas clementissimè licentiam & ueniam nobis abeundi dederit: ego tamen uelut Petrus à longè stans sequor, ut uideā finem huius de religione concordanda tractatus pub. De quo tamen nondū certi quicquā promittere possum. Scripsi ante paucos dies per postam, & Reuerendis. D. Viennen. & tibi atque etiā M. Ioanni Hasenbergio præceptoris, &c. tum de personis deputatis, tum de articulis à Cæsarea Maieft. propositis. Audio quidè à nonnullis iam per XIII dies cōcordatum esse: sed quæ firmiter et fideliter, nescio: tēpus docebit. Vtinam Germani nostri in tempore considerarent, quantū sibi à Turcis periculorū imminere, si Hūgariam in manus eius uenire permiserint. Deus omnia bene uertat, & naturæ uires tibi copiose restituat, atque etiā Reuerendis. D. Episcopo Viennen. Ad nimiam enim paucitatem redacti sumus, qui per Germaniam saluam religionem & fidem Catholicā tuemur. Vale, mi Domine Nausea, optimè. Ex Ratisbona, VIII Maij, Anno Domini MDXLI.

IOANNES COCHLAEVS REVERENDO IN CHRISTO Patri ac Domino, D. Friderico Nauseæ, confirmato Episcopo Viennen. &c. D. suo perquam gratioso, &c. S. P. D.



REuerendis. Pater, ac gratiose Domine, heri literas tuas accepi, datas Viennę xxv III Maij. Ex quib. animi tui dolorè ex obitu Reuerēdis. D. Viennen. opt. uiri, prædecessoris tui foelicis, recordationis, obortū planè perspexi. Què certè non proprium tibi, sed multis uiris tecū cōmunem esse arbitror: etiam si ob priuatas forsità causas quasdam tu uehementiorem habeas. Reddimur itaque indies pauciores, quicunque à parte Catholicorū stamus. D. Ioānes Mensingus uix tandem iam ab apoplexię malo resurrexit Doctor Ioannes Eckius febre periculosa correptus, mense iam toto decubuit. Ope & cura medicorum nunc restitutus,

restitutus, R. D. Decanus Vormaciens. Reinhardus à Rypur, uir (ut nosti) egregius, nudius tertius hic obiit, hodie honorificè sepultus in ambitu maioris ecclesiæ. Fuit sanè percelebris funeris deductio, præcedente toto clero, cum secularibus: sequentibus uerò quatuor Episcopis, Bambergensi, Eystetten. Augustensi, & Misnen. Abbatibus præterea, Campidonense, Vineæ, & Sancti Haymerani, atque Comite Friderico à Furstenperg, multis item Prælati alijs, Doctoribusq; & nobilibus: cum funus portarent sacerdotes octo, sexque pauperes pullati depicta eius arma candelis affixa portarent. Et ego nuper externus, proximo fui periculo: quãdo in primo somno focatione me eripuerim. Et omnino metuo, ne aliquando gutturis arctitudinem repente oppleat catarrhus, qui me subito suffocet. Sed Domini sumus, siue enim subito, siue lentè moriamur: Vigilandum est igitur mihi sollicitius, quod à subitaneo illo malo nunquam sum securus. Nos hic in horas expectauimus lætum de Buda nuncium: sed audio infœliciter oppugnationem attentatam esse, multosq; perisse nobiles. Si ita est, ego profectò optimo et piensissimo Regi nostro uehementer condoleo: licet non ignorem, tanta esse eum animi magnitudine, ut eodem uultu possit & prospera & aduersa intueri ac ferre, supra omnem fortunæ aleam erectus, singulari Dei gratia. Cæsar Augustus nunc tandem euigilat. Conuocauit iam bis in ædes suas omnes Imperij Principes, ac status utriusque partis. In prima sanè uocatione die VIII Iunij, fecit eis proponi ore & scripto, acta colloquij, quæ nunc scribis in Prætorio pronunciantur, ut singuli, qui uolunt, Principes ac status, propria queant habere exemplaria, ad consultandum, quomodo concordia in religione fieri queat. In altera autem conuocatione IX die Iunij, auditum sunt oratores Regis sereniss. nostri, primum quidè Regni Hungarici, inter quos præcipuus est Reuerendissimus Dominus Episcopus Agriens. cuius oratio multa cum laude & comprobatione est audita. Deinde oratores quinque prouinciarum Archiducatus Austriæ: inter quos magnificus Dominus Ioannes Vngnad locutus pauca, instructionem geminam scripto exhibuit, quarum breuior lecta fuit. Hæc sunt quæ hæctenus hic gesta sunt. Mitto tibi libellum, quem hodie comparauit. prostat enim hic publicè, & impune uenditur. Ego etsi de uera concordia nihil spei habeo, quantum ad hominum studia attinet: remaneo tamen, ut audiam saltem quousque processum fuerit. Denique precor tibi bonum foelix que ac faustum nouè dignitatis auspiciis. Etsi enim corpore uideris totus exhaustus, animi tamen uigor inter labores ita crescit, ut inexhaustus & inuincibilis esse uidearis. Deus te confortet, & omni opere bono adaugeat. Vale, ex Ratisbona, x Iunij, Anno &c. xli.

Paulus

EPISTOLARVM LIB. VIII. 313
PAVLVS VVIENERS CANONICVS ET ECCLE
*siastes Labacen. &c. Reuerendissimo atq; ornatissimo uiro, Domino
Friderico Nauſæ, I. V. Doc. Ecclesiæ Viennen, Coad-
iutori uigilantiſſ. Rõ. Regiæ M. consiliario
& concion. D. & Patrono obser-
uantiſſ. S. P. D.*



Reuerendissime ac ornatissimè uir, tam multæ, tam que innumerabiles propè causæ existunt, quæ quasi iure quodam exposcere uidentur, ut quæcuncq; tibi uisui fore scirem, ea à me non modò libenter, sed etiam, si fieri posset, liberaliter fierent. Accepi tuas literas ad xxix Aprilis Viennæ datas, ipso sacratissimo Pentecostes die, & per incertum nuncium, nescio cuius culpa & negligentia est commissum, ut literæ tuæ tardius ad me uenirent. Statim uerò cum quibusdam amicis meis communicato consilio, an scilicet huiusmodi nostra Vipachea uina, hoc anni tempore, in loca longinquiora commodè uehi possint: omnes existimare comperi, id nullo modo nunc faciendum. Propterea quod ea uina, contractis æstiuis caloribus, statim aceſcunt. Doleo autem plurimum, quod huiusmodi uoluntatem tuam temporis non intellexerim. nam in mittendo nullis laboribus & sumptibus pepercissem. Si posthac cõmodum tibi erit, curabo, ut statim post ipsas uindemias optimo & precioſo uino prouidearis. Habemus præterea in hac nostrâ patria uina rubea Foroiuliensia, quæ quotidie huc ad nos transferuntur: quæ, ut uulgo existimatur, stomacho plurimum conuenientia, & ut uocant, stomachalia sunt. Si eorum delectatione fortè capereris, nihil equidè intermitterem, quin suo tempore ad te aliquot metretæ perferantur. Quod uerò ad aduersam ualitudinem tuam attinet, facilè intelligo, te in ijs grauisimè et difficillimis temporibus ita esse occupatum, ut uix aliquando à laboribus respirare possis. Quare uisum est, te admonere, ut, deposita aliqua laborum parte, salutem tuam consulas. Me & seruitia mea, ac quicquid in me est, tibi humillimè commendo. Datum currenti calamo, in festo Pentecostes, Anno, &c. xli.

ERNESTVS A SCHLEYNITZ ADMINISTRATOR
*& Præpositus Archiepiscopatus Pragen. &c. Reuerendissimo Patri ac Do-
mino, Dn. Friderico Nauſæ, sacre Theologiæ & I. V. Do-
ctori excellentiſſ. Coadiutori Viennen. ac S. Rõ.
Maieſtati à sacris consilijs et con-
cion. S. P. D.*



Reuerende Pater & Domine, dedi diebus elapsis literas Domino Hugoldo patruo meo, ad te perferendas: imò ut uaria negocia exponeret ac declararet, commisi, pro ut tunc occurrebant: præsertim ea, quæ aduersarij & olores mei concitarunt, qui iniuste ac iniuè subditum meum contra me erexerunt, armaueruntq; & apud Regiam Maieſtatem promouerunt.

Rr uerunt.

uerunt. Expectabā iam cum tuū, tum Præceptoris patrocinium: sed proli dolor, paululū tristiora & maiora canamus. Nā etsi nō dubitē Regiā Maiestātē & uos abūdē instructos de ijs, quæ post præacta mea acciderint: attamē ea sunt. Feria quinta præterita, circa primam horam, ignis erupit ex ædibus Domini Ludouici à Gutnstain, ut omnes asserunt, & palām protulerunt, ac adhuc constanter prædicāt. Misi illicō, rumore audito, ad palatiū Regale arcis, necdum seruus ad portas uenerat, turris alba, ecclesia omniū sanctorū, cōplurimæ domus, Domini de Flenburg in Hrazano, casula ecclesiæ diui Benedicti applicata Campanatoris, ecclesia ipsa, macellum prope me, flāma crudelī obruebant: adeo, ut uix cū nepote ex fratre aufugiēdi mihi facultas fuerit. Exiui cum quatuor equis, et totidē uel pluribus seruitorib. cōsternatus omnino, relictis ædib. & expositis forti cum omnib. reb. Seruitores aliqui unā cū hospite perpauculas literas R. Maiestatis ac priuilegia, uestes tamē meliores eruerunt, & cellarijs cōcrediderunt: reliqua omnis optima supellex, domus, et omnia (uti Regni totius speculum, gēma, decus, imō pulcherrima mater, solium Regiū splendidissimū, cum actis, maiestatis, priuilegijs Ecclesiasticis, ac Albo, seu tabulis pub. omniq; ornamēto) ignis uoragine absumpta in cinere iacent. Miserrimus tristissimusq; in primis cleri & seculariū multorum utriusq; sexus interitus, cum satis condignē exprimi nequeat. Profectō nunq; eiusmodi plaga audita est, quæ tam subito incubuit, ut illud potius miraculo quodam & iudicio Dei, quā hominū malicia cōtingisse uideat. Sed calamū modō retrahendū duco, quoniā ea ab alijs copiosius intelliges. Simon etiā Villaticus rem totā non minus eleganter, quā uerissimē, tristi carmine descripsit. Scribimus equidem modestius Reg. Maiestati. Tu um ac Præceptoris erit, nunc lapsæ Ecclesiæ apud M. R. succurrere, quo diuinus cultus et clerus interteneāt, & usq; ad lætiora tēpora a liqualiter reformet. Cetera mea negotia, tibi uti antea cōmendo. Raptim, ex pago meo Hostū, feria III post Pētecost. Anno MDXLI.

IOANNES STRAVSIVS REVERENDISSIMO D. D. FRIDERICO NAVSÆ, Episcopo Viennensi designato, Rom. &c. Reg. M. à sacris concionibus & consilijs, &c. Domino & Patrono gratiosissimo, S. P. D.



On est, Reuerendissime Præsul, Domine gratiosissime, ut tibi notificare uelim obitum Antistitis ac Pastoris nostri, Episcopi Secouicēsis, cuius anima Deo uiuat: quum uel ex misistitijs nostris Regijs literis, mortem ipsius præsciueris. Dubia etiam apud nos fama fertur, Reuerendiss. D. Ioannem Fabri, Episcopum Viennensem dignissimum Deo nature que concessisse: quod sanè nollem. Id enim & tibi (qui licet longe dignissimus illius in Episcopali dignitate sis successor, liberius tamen priuatim sacris studijs tuis Ecclesiæ Catholicæ suffragari posses) & omnibus doctis & pijs hominibus, imō uniuersæ reipublice Christianæ

Christianæ maximo dolori & detrimento fore existimo. Mei præterea ipsius causa scribo, & te supplex oro, maxime in negotijs uacatis iam Ecclesiæ nostræ in Gretzio, cuius gratia quotidie sollicitor, tum à primorib. tum à plebeijs, ut onus pastoris subirem: sed citra tuum consilium nihil sum acturus, unicui præsidium & dulce decus meum. Tu enim es, qui coram Regiā Maiestate, de stercore non sti erigere pauperem, cui non erat adiutor. Fac igitur, optime Præsul, ut sub tuo præsidio talis efficiar, qualem me habere uelis: cui & me unice dedo, & commendo, sine intermissione Deo Optimo Maximo supplicaturus pro tua incolumitate, & uita longæua. Ex Gretzio, Styriæ metropoli, xv lunij, Anno salutis MDXLI.

REVERENDISSIMO VIENNENSIVM EPISCOPO
ac Domino D. Fridrico Nausæ, &c. Meccenati suo
unico, Sebastianus Solidus.

*Contigit ut nuper rursus te cernere, Præsul,
Iuncta fuit dextræ & dextera nostra tua,
Mox hos collegi, quos nunc tibi mitto libellos,
Qui uario scripti tempore nuper erant.
Excipit aduentum Romani Caesaris unus,
Flebilibus plenus luctibus alter adest.
Qui licet haud tanto rerum te culmine digni
Sint, tamen ingenui pignus amoris erunt.
Hos modo si capies, ego te legisse putabo,
Meq; tuam rursus demeruisse fidem.
Sis foelix, o sancta anima: & mihi parce, quod ausim
Tam grauib. studijs obstruisse tuis.*

AD EUNDEM.

*Sæuit hyems, algent hinc tanto tempore Musæ,
Has poterit Faunus ritè fouere tuas.*

ALBERTVS DEI GRATIA S. R. E. CARD. ARCHIEPISCO-
pus Maguntinus, Princeps Elector, &c. Reuerendo in Christo Patri, Domino Fridrico Nausæ, Episcopo Viennen. amico nostro charissimo, S. P. D.



R euerēde in Christo Pater, amice chariss. Salutē, & amicū complacendi studium. Redditæ sunt nobis binæ litteræ tuæ, quarū tenore intelleximus, bonæ memoriæ Ioannem Fabri, quondā Episcopū Viennē. uia uniuersæ carnis esse ingressū, de cuius quidē morte plurimum dolemus. Neque enim eū aliter, q̄ ut fidelē dispensatorem mysteriorū Dei, et strenuū sacrosanctæ religionis nostræ propugnatorem cognouimus. Hoc tamē & tuū & nostrū dolorē merito lenire debet, quod eum si ne dubio ē miserijs huius seculi ad uitā beatā abijisse, persuasum habemus. & pro suis illis Herculeis laboribus, q̄s in uinea Domini Sabaoth fideliter sudando tota die sustinuit, digna uitæ æternæ præmia

Rr 2 percepit.

percepit. Cæterum, quòd certior fieri cupis, nūc eæ literæ, quas proximè unâ cum alio fasciculo nobis transmisiſti, acceptæ ſint, an interceptæ: nolumus te latere, nos illas etiam literas unâ cum adiunctis libellis accepisse, & libenter legiſſe, et pro eiſdem tibi bonam gratiam agere, & habere. Deinde quòd pro reparanda & conſeruanda Repub. Chriſtiana ſcribendo, cõcionando & cõſulendo, omnẽ operã tuam adhibere uelle profiteris: noſq; diligenter adhortaris, ut, quod ſemper fecerimus, nunc omnibus modis contendamus, & efficiamus, quòd Principes Imperij fœdus inter ſe ineant, & uires iungant aduerſus Turcam, Episcopi uerò Eccleſiarum ruinã prohibere aditant, &c. Nos hũc animũ tuũ & utile ſtudiũ plurimũ laudamus. Ac quantum ad perſonã noſtrã attinet, recognoscimus nos pro debito Paſtoralis officiij noſtri, & ad pacem Deo placentẽ inter Principes ſtabilitandam, & ad alia, per quæ Eccleſiarũ incolumitati cõſuli poteſt promouenda obligatos eſſe. Atq; in hoc omnẽ nobis poſſibile laborem & diligentia nō grauati impendemus. Porro autem recordamur, te librũ de grauinib. Principũ et ſtatuũ Imperij ſcripiſſe; quem licet alibi ſeruatum habeamus, tamen cum nobis iam bono uſui eſſe poſſet, non eſt ad manum. Quamobrem diligenter & amice rogamus, ut huiuſmodi libri exemplar unum nobis tranſmittere non graueris. In quo, rem nobis commodam, & admodum gratam efficias, noſtris erga te uiciſſim amicis officijs recognoscendã & compenſandam. Vale. Ex Ratiſbona. xxv. Iunij, Anno, &c. xli.

VRBANVS TEXTORIS ELEEMOSYNARIVS REGIVS,
Erc. Reuerendiſſimo iuxta & pientiffimo D. D. Friderico Nauſæ, Episcopo Viennen. digniſſimo, Domino et Patrono obſeruandiſſimo, S.

Reuereudiſ. atq; ampliſ. Præſul, Domine & patrone obſeruandiſ. literę tuæ ad me ſunt perlatae, quæ quidẽ parũ madefactæ attritæq; fuerũt: tamen ex integro ſere legibiles. eas q̄ primum accepi, ſingulas ſingulis eorũ qui bus mittebant, cũ maxima, ut poterã, tui cõmedatione ipſemet præſentauit: excepto Domino Cochlæo, quem tunc domi nō inuenerãt: nihilominus tamen has eius famulo reliqui, ſubiungens, ut ipſi tibi q̄ primum reſponderent, quod plurimũ ſe facturos annuebãt, idq; ut faciant (uti debeo) diligentiffimè ſollicitabo. Cæterum ex parte Præpoſituræ in Ingelheim, nihil adhuc actũ eſt, nec occaſio ob frequentem et cõtinuum Principum ad S. Maieſtatem acceſſum, agenti dabatur. Veruntamen quotidie expectatur cõmoditas. Quamuis dubij ſimus de negotio hoc, propter Comitib. Palatini abſentia: tamen quicquid eſt hoc negotij, intentatum non relinquemus. Poſtremò deceret, ut tibi de Actibus hic aliquid ſcriberem. Verũ ego ne muſſitantem quidem ea de re audio, ſiunt enim Principum aſſidui conuentus: ſed quid agatur, lapidibus credo eſſe commiſſum. Speramus tamen breui aliquid (utinam boni, utinam pacis & unitatis

tiſ argumentum) in lucem proditurum: quod præſtet nobis ipſe eiſdem concordia autor & cooperator clementiſſimus Deus, cui laus & gloria in omne æuum, Amen. His paucis ſterilitatis meæ, tibi me ſubditis. cõmitto. Ratiſbonæ, xxvii Iunij, An. MDXLI.

IOANNES COCHLAEVS, REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. Erc. D. gratiſſo Erc. S. D.

Reuereudiſſime Domine, ante paucos dies ſcripiſi & tibi & Haſenpergio præceptorĩ, &c. Interea recepi è Magũtia incluſas literas, miſſas illuc à Petro Quentellio, quas bona ſanè intẽtione reſignauĩ, ſi quid fortè in illis fuiſſet, quod per me hic commodè expediri potuiſſet. Ego more defuncti, lubens impediſſem officium boni uiri. Mitto igitur eas ad te, ſi fortè ſcias, quid ad eas reſpondendũ ſit. Ego ſemel duntaxat percurri, nec memoriter teneo quid contineant. Nos hic R. M. expectamus auidè: quæ ſi tanto tempore hic abſuiſſet, quanto fuit Cæſarèa Maieſtas, multo equidem plura expeditũ iri ſperaiſſem, quàm expedita uideo. Colloquutores exhibuerunt tandè Cef. Maieſt. ſcriptũ quoddam, cui Proteſtantes addiderunt quaſdam particulares conſiderationes, ne dicam præceptiones ac leges nouę fidei ſuæ. Ex quibus facile conijcio, nullum eos habere ad uerè concordandum, animum. Proinde uehementer ueveor, ne nouiſſima longè peiora futura ſint prioribus. Oriebatur hic ſubitò fama de Buda capta, maxima cum læticia plurimorum: ſed eodem die in ueſpere, eadem fama emortua eſt. Ego proſectò & impenſis & curis, periculisq; Regiæ Maieſtatis uehementiſſimè condoleo: licet adhuc ſperem fortunã non perpetuò ei aduerſaturã eſſe. In hoc bello Deus optimus maximus conſeruet illi, ſecundũ iuſtitia ipſius, gloria, & plenã concedat uictoriam. Bene ualeas, Reuerendiſ. Præſul, cum omnibus tuis. A Domino Simone Roſentrit Capellano tuo, uiro ſanè & pio & docto, habui nunciũ, cui & reſpondi. Praſinum amiciffimè ſaluto, & Tautellum. Iterum uale, ex Ratiſbona, xviii Iunij, Anno, &c. xli.

IOANNES EPISCOPVS MISNEN. REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ac Domino, Domino Friderico Episcopo Viennen. Erc. Domino & amico ſuo colendiſſimo, S. P. D.

Reuereudiſ. in Chriſto pater, ac Domine mihi obſeruandiſ. literas tuas Ratiſbonæ xv Iunij accepi. Quæ dolo rem meũ (quẽ ex præmatura morte bonæ memorię Ioãnis Fabri olim Episcopi Viennen. cõceperã) renouarũt, & uulnus nuper acceptũ quodammodo recrudescere fecerũt. Et quãuis ſæpenumero humanos caſus mecum reputo, & luſtum hunc ex animo eiſcere contendo, nihil tamen proficio. Nam quotieſcũq; eã caſuũ reconciliaſſionẽ, ueluti medicamentũ aliquod, adhibeo, totieſ

mihī occurrunt diuini labores, quibus uir ille pro domo Dei defu-
clauit, qui & ipsius desiderium in animum meum regerunt, & mihī
lachrymas frequenter excutiūt. O uiuat Christo, uir coelo dignus,
attigit ille portum: nos adhuc in alto somno concitati, fruimur pela-
go. Sed orādus est nobis communibus uotis Dominus IESVS, ut
exurgat, & pro sua immensā clementia tempestates compescat. E-
go tibi hunc honorem, seu potius hoc onus, quod pro ecclesia Dei
suscepisti, magnopere gratulor: precorq; tibi omnia, quae soleo ijs
qui mihī sunt charissimi, quicq; cum laude uiuūt. In causa uero eccle-
siae meae, saepe cōpellauī Cæsare, sed frustra: nihil enim haecenus im-
petrare potui. Faciat Dominus IESVS, cui omnes fortunas meas iā
dudum commendauī, ut, quando humanis destituimur, diuino tan-
dem respiremus auxilio. Mitto tibi libellum, quem nuper pro insti-
tutione gregis mihī commissi exhibui. A te autem neq; literas, neq;
fasciculum colloquiorū, de quibus mentionem fecisti, accepi. Quae
omnia, ubi mihī reddita fuerint, curabo ut quam primū de ijs cogno-
scas. Te semper in Domino bene ualere, et me tibi commēdatum cu-
pio. Datum Ratisbonae, xvii Junij. Anno &c. xli.

CHRISTOPHORVS EPISCOPVS AVGVSTEN. ETC.
Reuerendiss. Patri ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. &c. Domi-
no & amico obseruandissimo, S. P. D.

Reuerendissime Pater, ac Domine obseruandissime, bi-
nas literas à te datas, uidelicet xvii Maij, & xxv. Junij,
accepi: in quibus denuncias Reuerendissimi D. Episco-
pi Viennen. Ioan. Fabri obitum, quod equidē antea non
sine animi dolore intellexeram. Erat uir pius, humanus atq; doctus:
& nisi fatum istud omnibus esset cōmune, atq; ea lege nati essemus,
ut aliquādo moriamur, uix à lachrymis temperassem. Precor Deū,
ut ipsius animae misereatur, &c. Quid in comitijs apud nos agatur,
scribere uix possum. Profecto Reuerendissime Domine hucusque
parum actum est. Theologi aliquot mensibus habuerunt colloqui-
um: uerūm in paucis, aut nullis articulis concordarūt, qui saltem ali-
quid ponderis habeāt. Nunc negotium huiusmodi ad status Impe-
rij est deuolutum. Quid isti agere aut discernere uelint, diuinare nō
ualeo. Ego nullam, aut paruam spem de concordia habeo. Et si licitū
esset ex coniecturis iudicārē, nil aliud, quam quod religionis causa,
finitis Comitijs, deterior sit futura. Ex quo postea sequeretur, ut uerē
dum est, totius militantis ecclesiae destructio: quam Deus uelit diu
incolumē cōseruare. Nunc de subsidio Regi Ferdinādo contra Tur-
cas praestando agitur. Protestantes (ut uocant) nihil cōsentient, nisi
religionis negotiū iuxta eorū uoluntatē tractetur. Precor Deum, ut
tandem militanti Ecclesiae subueniat. Reliquas literas, de quibus in
literis tuis facis mentionē, nō accepi. Tibi me, ut Domino et amico
cōmendo: Datum Ratisbonae, xxii Junij. Anno &c. xli.

Paulus

EPISTOLARVM LIB. VIII. 319
PAVLVS NEYDECKER PRAEPOSITVS S. GAN-
golphi, & in spiritualibus Vicarius Bambergens. Reuerendissimo in
Christo Patri ac Domino D. Friderico Nauseae, Epi-
scopo Viennen. Rom. &c. Regi à con-
silijs, &c. Domino meo colen-
diss. S. P. D.



Reuerendissime in Christo pater et Domine: Nuper illu-
stri Principe, Domino Philippo Hafsie Landgrauio ex
Imp. Comitijs per Bambergam domum redunte, dum
secum ego per tres ferme horas, pro Reuerendiss. Do-
mino meo Bambergens. Episcopo, usq; ad eō in comitijs permanen-
te, de more officiose agerē: ipse Landgrauius inter uarias, & quidē hu-
manis. cōfabulationes, tandē mentionē fecit, de obitu bonae memo-
riae Reuerendiss. D. nostri Ioan. Fabri Episcopi, antecessoris tui: &
subinde de persona tua, deq; successu tuo in Episcopatu Viennen.
ex huius itaq; relatione, primum obitū eiusdē D. Ioan. Episcopi, bo-
ni aurige, pastorisq; nostri per quā dolenter accepi: qui nobis in ter-
ris relictis, haud dubiē Deo fruitur, atq; inter sanctos congaudet.
Tibi autē successori ipsius bona omnia & longā precor uitā, etiā pro
cōmissarum ouīū profectu & salute: quod benignissimē pijsimus
Deus largiri dignet. At te celare nequeo, me assiduis curis pro Sere-
niss. D. nostro FERDINANDŌ, Rom. Hung. et Boemiae Rege, &c.
agitari. Et si plures non ualeo, in meis ad Deum precib. pro sua M.
deuotam agere memoriā. Cui me humillimum Capellanum, per te
cōmendari cupio. Tibi precor pro uotis, Felicia longo producere
secula cursu. Datū Bamberge, iij Julij die, Anno Domini MDxli.

IOANNES EPISCOPVS MVTINEN. NVNCIVS, ETC.
Reuerendiss. in Christo Patri ac D. D. Friderico Nauseae, Episcopo Viennen. Rom.
&c. Regiae Maiestatis Consiliario, &c. S.



Reuerendiss. in Christo Pater, salus à Deo opt. max. cum
amica mei & officiorū meorum erga te cōmendatione.
Quod literis tuis ad me scriptis nihil haecenus respōde-
rim, in causa fuit non amicitiae nostrae obliuio, neq; emu-
lorū obretractio, quae apud bonos uiros nullū pondus, sed neq; adi-
tū habet: sed potius grauis. occupationes, quib. in his comitijs ita
obrutus fui, ut necessarig ad urbē scriptioni de his quae tractant, uix
satisfacere potuerim. Fuit praeterea primum mihi expectāndus aduē-
tus sereniss. Regis nostri, quē in multos dies, in singulas quasi horas
praestolabamur: cū q; etiā te uenturū putabā. Postea uero q; sua Ma-
iest. uenit, cum rursus immīneret eius discessus, uisum fuerat respon-
sum literarum tuarum illis dare, à quibus acceperam. Et haec quidem
fuerunt causae diuturni silentij mei. Quod licet doleam me tibi su-
spectum fuisse (nam amicorum beneuolentia & sincera charitas nul-
lum huiusmodi suspicionibus locum relinquit) spero tamen arcti-
us amicitiae nostrae uinculum allaturum: Cum ex eo perspicere
liceat,

liceat, nullam beneuolentiæ meæ erga te diminutionem factam esse. Cuius quidem rei testimonium magis locuples, præbebunt futura tempora. Nam si Deo dante, superstites erimus, siue mihi in Italia manendum erit, siue cum Imperatore ad Hispanias eundum, gratissimam semper retinebo charitatis nostræ memoriam: quàm & à te obseruatam iri & opto, & spero. Reliquum autem est, ut si ueris detrectationibus ledi, ita te geras, ut spero & minimè dubito, ut omne os loquētium iniqua obstruatur, et Deus uerè in te glorificetur: cui in primis omnium cogitationum & actionum nostrarum ratio, non ita multo post reddēda erit. Nuncium summi Pontificis, mihi successorem habetis uirum prudentem & grauem, Episcopum Ber tenori, qui heri huc equis dispositis ab urbe attulit triginta florenorum millia, Regi suppetias contra Turcam. Hunc tibi commendo, ut in eo etiam agnoscatur obseruantia tua erga sanctam sedem Apostolicā. Ego infra biduū uel triduum discedam Italiam uersus. Quocumq; ergo licuerit, inuiolatam erga te beneuolentiam seruabo. Ratisbonæ, XXII Iulij, Anno & c. XLI.

IOANNES COCHLAEVS, REVERENDISSIMO
Domino D. Friderico, Episcopo Viennen. &c. Domino & Patrono
colendissimo, S. P. D.



Reuerendissime in Christo Pater ac domine, ad binas literas tuas nouissimas, quas recepi unas ult. Iunij, alteras III Iulij, nunc respondeo. Expectaui sanè bonam aliquam huius diætæ cōclusionem: sed uereor, ne finis principio medioq; respondeat. Cæsar per totā quadragesimam, atq; etiā per totum Pascha, nil de pub. negotijs tractari uoluit, nisi unam religionis causam per sex hominū colloquia. Nūc festinat in omnibus, quia constituit XXVI Iulij discedere uersus Mediolanū, transfreturus etiā in Africā contra Algerū, ut ferè. Ego tamen crediderim eum personaliter potius in Hispanias nauigaturū. An ita sit nescio: audiui tamen ita esse. Colloquiū usq; adeo nullā peperit concordiam, ut uerear, maioris discordiæ inter status Imperij causam fore. utinā uelit Cæsar, & nonnulli alij, ut liber, quem duo ex nostris colloquutoribus presentarunt, D. Iulius Pluog, & D. Ioannes Gropperus, reciperetur in articulis, super quibus inter colloquutores concordatū est. Legatus autem, etsi ad concordiam pronus est, tamen quòd aduersus illius libri scripta, adiecerūt Protestantes nouè annotationes Catholicis intolerabiles, nihil adprobare uult, sed omnia sedis Apostolicæ iudicio relinquere. Dominus Ioannes Eckius contra librum illum Censurā scripsit, satis acrem: quam Bauariæ Dux Vuilhelmus publicè statibus Catholicis recitari fecit. Legatus in duobus scriptis non prolixis declarauit mentem suam, quæ Cæsar omnibus Imperij statibus communicauit, Nunc Protestantes conquerruntur,

runtur, etiam contra ipsius censuram. Sed & Albertus Pighius, & Gropperus, de Eckio nostro malè contenti sunt. Episcopi quoq; nostri non bene ferunt, quòd legati scriptum ad ipsos factum per Imperatorem est statibus cōmunicatum. Omnia igitur ad discordiam tendunt. Ego ad omnia spectator fui, malè perdens (ut dicitur) oleum & operā, qui cum duob. equis & famulis, quinq; iam hic mensibus subsisto, cum non leui damno domi. Steti præterea in longo tractatu cum Consiliarijs Reuerendissimi Domini Episcopi Herbipoleñ. qui me stipendio CC. florenorum uolebant cōducere ad sex annos Principi suo. Ego qui patriæ uicinior esse cupiebam, annui. Illi sæpe scripserunt ad suum Dominum, semper tardè redditum est responsum. Venit tandem formula obligationis à me faciendæ, in qua articulus erat, què R. D. Mutineñ. magnoperè dissuadebat. Recusauit igitur articulum illum, qui & consiliarijs non ualde placebat. Remissus est itaq; ad episcopum. Ille post longam expectationem rescripsit, se nolle formulam mutare. Totus igitur tractatus, qui ultra duos tres ue menses extractus est, tandem in puteum cecidit. Ego forte mea contentus, libentius reuertar domum liber, quàm sub stipendio ad seruitutem obligatus. Heri aduenit nouus ex urbe Legatus Apostolicus ad Regiā Maiestatem N. Beraldus, Episcopus N. Qualis sit nescio, bene de se promittit. Si tecum esse possem, multa referrem, quæ scribere non est ritum. Ago gratias plurimas tibi pro pia tua cura, & salubri consilio ad conseruandam corpusculi huius sanitatem. Volebam uti medicinis, quas Doctor Philippus Nouenianus, medicus Episcopi Morseburgē. mihi contra gutturis arctitudinem parare uolebat: sed dissualit R. D. Mutinensis, ideoq; destiti. Receperam iam semel pyxidis plenæ medicamentum, & nullam eius operationem sensi. destiti igitur, abiturus propediè cum Reuerendissimo Domino Missen. qui certè in multa hic patientia perstitit quatuor ferè menses, & adhuc nihil à Cæsarea Maiestate obtinere potuit. Catholici certè omnes desiderant non nihil in Cæsare, cui forsitan per quosdam plus æquo commendantur Protestantes. Rogo præterea, ut non sis temerè sollicitus de omnibus quæ maledici susurrant. Quis unquam fuit magnæ existimationis uir, cui non fuerit à malignis detractum aliquando? Committimus nos, & omnia nostra, Deo optimo maximo, qui pro immensa bonitate sua prouidebit, ut omnia & prospera & aduersa nobis cooperentur in bonum. Vale felicissimè, corona & decus Episcoporū. Ex Ratisbona, XXII Iulij, Anno redemptionis nostræ M. D. XLI.

G. CARD. CONTARENVS LEGATVS,
Reuerendissimo in Christo Patri D. Friderico Nauſea.
Episcopo Viennen. &c. S.

Ss Multum



Utum Reuerendissime Domine, tanquã frater bone. Superioribus diebus binas literas à te accepi, & unã cū his priuata colloquia à te ad me trãsmiffa. & nūciterū à te literæ ad me perlatæ sunt, xv Iulij datæ, quibus mecum conuerferis, quòd nullum à me super huiusmodi colloquijs acceperis responsum. Addisq; te uereri, ne obtrectationib. æmulorum tuorum, animo sim à te abalienato: rogasq; simul, ut quid in causa sit huius silentij, tibi per meas significè literas. Ego mi Reuerendissime Domine, putabam me iam diu tibi in hac re satisfecisse. nam bis ad te rescripsi, & de Colloquijs respondi. Literę uerò cuius causa perierint, nescio. Itaque rogo te, ut suspicari definas, me tibi non esse amicissimum. Quod si tortalsis non ita crebrò, ut tu uoluiffes, ad te literas dedi, nò amoris aut beneuolentiæ defectu, sed potius multis meis & maximis occupationibus id euenisse putes, quibus ita districtus sum & fui, ut mei met quandoq; obliuisci cogar. Te aut & cõiunctione ordinis, et singulari doctrina tua semper plurimi feci, & facio: paratusq; sum, quacuncq; in repotero, te semper iuuare. Rogo aut te, ut omnem occasione maledicis obloquendi prudentia & integritate tua uelis præripere, meq; tui amantissimū esse tibi persuadeas. De negotio religiõis iam diu et frustra hic agitato, spero nos in Concilio proximè futuro, quod S. D. N. omnino celebrare decreuit, melius & cõmodius pertractaturos. Quod Dominus Deus noster nobis annuat. Vale. & me, ut soles, ama. Ratisbonæ, xxvi Iulij. Anno, & c. xli.

IACOBVS SPIEGELLIVS REVERENDISSIMO IN
Christo Principi ac Domino, D. Friderico, Episcopo Viennen. Rom. & c. regie
Maeftatis à Sacris Studijs et Consilijs, & c. Domino plurimum obseruans. S. P. D.



Reuerendissime Princeps, ac Dñe obseruandiss. post salutem & cõmendationē plurimā: Noli uenerabilem, religiosum & eximium Sac. liter. professorem, Bartholomæum Minoritarum Prouincialem per superiorē Germaniam Rhenanā, inanem ad Ratisbonā proficisci, ut si tu illuc aduenires, bona fide epistolium hoc presentaret: sin minus, idē ad te mittendū curaret. Nec grauior scribendi illius ratio nūc occurrebat, quàm quòd ego atq; Beatus noster Rhenanus, incerti etiam nūc nostræ literæ circiter finem præteriti Feb. ad te missæ per Bucerum, sint ab eo uel redditę, uel transmissæ, usq; nūc non satis conuiescimus. Tametsi eū suo officio defuisse, minimè suspicamur: nisi fortè alius qspia fefellerit, cui fasciculū crediderit. A te nullas exigimus literas Atticę scriptas, sed planè Laconicas, quòd moneamur tantū de nostrarum redditione. Scimus em̄, quib. oboruaris laborib. Nò dubito, quin meā euocationē procurasses, si licuisset Serenissimo Regi nostro cõmittijs interesse: cuius Deus conatus & respicere, & fortunare dignet. Existimo te à Reuerend. Dño nostro Viennen. salutatum

salutatum meis uerbis, ad quem, suis respondēdo, scripsi proximè ex Selestadio. Interea huc commigraui amoenitate ædium captus, quòd mihi in patria fuerint hospitaletantum, licet ob aeris salubritatem, tum situs iucunditatem, etiam non ingrata. Has obtinui procuratione quaestoris nostri, qui te & nouit, & colit. Nomen illi est Hieronymus Smeltzius, uir doctus & rerum experiens. M. Hieronymus Gebuilerus, cum filio Prothasio, se tibi reuerenter cõmendat. Quòd Taurellus noster præstat probum & fidelem ministrum, est omnibus nostris unde mecum delectentur. De publicis, ut disponantur, rumor nihil ad nos perfert, q̄ quæ eius sunt: hoc est, incerta. Verbis meis Reuerendissimo D. Mutineñ. multam salutem dicere digneris, cui ex animo cuperem cõmodari in omnibus. quanquam non uideo in tanta rerum confusione, etiam à propensissimo, experientissimo, diligentissimoq; quid præstari possit extra uotum: quòd aurigarum culpa, curribus iungantur disparia iumenta. Audio Decanum illum Vuormaciē. decessisse: qui fortè adhuc nobiscum ageret, si his rebus nò magnopere cõmorus fuisset, quæ longè absunt ab eo, qui uerè Antistitem agere debet in Ecclesia Dei. cuius anima precor uiuat. Porro digneris me, per otium, Seren. Domino meo Regi & Principi (ni fallor) clementissimo cõmendare: & Dominos procancellarios, D. Giengerum Loxanū, Illingum item, & Keuenhillerū, Adamum Carolū, & meum Sebastianū Dunkelium salutare: quorum iterum memini in Lexico nostro, quòd iam tertio recognoui & locupletauī, iamq; sudat sub incude, proximo mercatu Franckfordiano exponendum. Secundam editionē Gryphius in Gallia Lugduni, uenustis quidem characteribus, sed mendose imitatus est: quæ res meū impressorem Schottum adigit, ut ipse tertiam maturaret, emendatiorē, & auctiorē. Ego non censeo studiosos Iurisprudentiæ frustrari cunctos, ob paucorum ingratitudinem: nec ideo præclusa est uia ijs, qui plus utilitatis adferre possunt. Quāquam citor ego ab incomparabili quodam Iurisp. & in prælectionibus & tractatibus ab eo editis. Hoc ideo scribo, ut tu non terrearis in maiore opere, quòd feliciter exorsus es: etiamsi crabrones irritandi sint, qui habent Euangelium in ore, sathanam in pectore. Vale, & erga me in isto candidissimo animi tui fauore perseueres. Haganoæ, in profesto diui Ioan. Baptistæ, Anno, & c. xli.

MARTINVS DE GVS MANNIS, REVERENDISSIMO
Domino D. Friderico Nauseæ Episcopo Viennen. regie Maeftatis Consiliario, & c. Domino & amico mihi obseruando. S. P. D.



Reuerendissime Domine, post seruitiorum meorum cõmendationem: Accepi literas tuas Pragæ, xv huius datas, & compatio tibi ex animo de tua aduersa ualitudine: optoq; tibi omnia prospera. Quamprimū mihi literę redditę fuerūt, accessi Regiam Maeft. D. nostrum clementiss.

suæq; Maieftati significavi omnia, quæ in literis continebantur. Orauicq; S. M. tuo nomine, mihi significaret, quid tibi agendum esset, manendum ne ibi: an proficiscendū Viennā: an huc ad nos ueniendū: sua Maieftas mihi respondit, uelle desuper deliberare: & quod deberem eam à prandio iterum admonere, quod quidem non neglexi. Responsum autem, quod à sua R. M. obtinui, est ut tu quam primum pristinae fueris sanitati restitutus, ad eò ut te toto itinere possis committere, iter huc ad nos arripas: quod tibi quam citissimum & felicissimum opto. Iniunxit mihi præterea sua Regia Maieftas, ut tibi scriberem, quatenus in itinere diligenter scruteris, quæ oppida hoc tēpore in ipsa uia peste laborēt, præsertim de Buduitzio. Datæ Lincij, XXI Septemb. Anno Dñi M. D. XLI.

RVDBERTVS A MOSHAIM, D. DECANVS PATA-
uien. &c. Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino, D. Friderico, Episcopo
Viennæ. R. M. à Sacris concionib. et cōsilijs, &c. Domino et Patrono
suo in Christo plurimum colendo, S. P. D.



Piscopalem dignitatem, quam superioribus mensibus adeptus es, Reuerendissime Præful, tibi tam serò gratulari non auderem, nisi te illud Tullianum & Ciceronianum probè scire intelligerem: Quod sera cōgratulatio reprehendi nō solet, præsertim si nulla negligentia prætermissa est. Quod autē toto sanè & sincero corde tibi cōgaudeam & læter, te in hunc locum, & ad eam dignitatem euectum, plures sanè causæ sunt, quas tibi ex charitate Christiana, quæ malarū rerum suspicax non est, diuinare, q̄ mihi in presens breuiter explicare, facilius est. Vna autem omnium præcipua & potissima est, quæ efficit, ut omnes boni simul ac p̄ij, tibi hoc Episcopale culmen non modo faueant, sed & uehementer congaudeant: nempe, quod multis nominibus hoc honore & officio dignus es, & quod scopum contentionis totiusq; controuersie in religionis & fidei causa planè perceptum habeas: undèq; omnium malorum radix & causa reipublice iam iam collabentis immineat, non ignoras: quibusq; modis tot & tanta mala auerti possint, pro tua eruditione, Dei zelo, humanitate & pietate, etiam ab alijs discere & intelligere desideras, nec ullo modo detrectas. Non enim omnia possumus omnes, & nemini Dij omnes omnia dedere. Atque iuxta Apostolum, uaria sunt dona Dei, iuxta mensuram fidei, diuersimodè diuersis tanquam in uno corpore membris diuisa & dispartita. Hæc diuina & cœlitus donata dona cum hoc calamitosissimo & periculosissimo tempore in unum conferre oporteat, uolui & ego pro mensura doni mihi concrediti, Serenissimo Romanorum Regi FERDINANDO, cuius salus tibi tanquam pastori & concionatori in primis curæ est, & esse debet, tanquam fidus & pius Dei, & suæ Sacræ Maieftatis Rom. minister, in præsentiarum paulo prolixius scribere, suam que Regiam celsitudinem hortari, monere, si-
mulq;

mulq; in tanta rerum angustia, quantum potui consolari: & ut forti & infracto, planeq; Regio animo sit, & esse uelit, iubere. Mitto præterea Myrosynodū Norinbergē. qua ἀντιλογ, & Antichristus Lutheranorum antehac mundo hac ratione planè incognitus, manifestat: unā cum nostra Hierusalem noua, quam Monarchis orbis Christiani iam multo antea pollicitus sum, pro ut hæc omnia uidere, & ut sacra Regia Maieftas tibi tanquam intimo consiliario & Ecclesiastæ suo uisenda & perpendenda exhibeat, facillè efficere poteris, donec tibi coram in proximè futuro conuentu Spireñ. eosdem libellos donem, & legendos præstem. Interim te in Domino per dilectionem spiritus Dei adhortans, atque obtestans, ut conatus meos tam pios, & ingenti zelo Dei tam ardentes & uehemētes, tam deniq; necessarios, tua fide & pietate, pro communi reipublicæ Christianæ tranquillitate strenuè & fortiter adiuues, præsertim ne petitiones & oblationes meæ serenissimo Regi nunc postremò, ueluti pro colophone & coronide actionis meæ imponendæ, in tanto rerum omnium periculosissimo statu, temerè rejiciantur. Videbis quanta moderatione, æquitate & tranquillitate omnia fieri cupiam & petam, præsertim in Epistolis, & scriptis (quorū exēplar Regiæ Maieftati unā transmittō) ad Reuerēdissimos, & Illustriss. Principes, Archiepiscopū Saltzburgenē, & Episcopū Patauiē. illiusq; Capitulum, quæ sanè mea scripta te omnino uidere et legere cupio. Scio Regē, si petieris tibi libèter omnia exhibiturū. Præterea te maximoperè in Christo adhortor & rogo, si quid à me in actione & relatione Hagnouien, uel atrocitate uel acerbitate uerborū, uel nouitate rerum offensus fuisti, quemadmodum & me uicissim offendere potuisti, ut omnibus humanis affectibus, offensionibus, & iniurijs longè sepositis, rem ipsam tanti momenti perpendere uelis: & Christiana mente cogitare, & statuere, pulcherrimum & Christiano homine maxime dignum uindictæ genus esse, parcere, & remittere iniurias, & offensiones. Si quid ergo Haganoæ uel à te, uel à me peccatum & erratum est, rogo ut id totum in Aten Homicam rejiciamus, & id quod instat agamus. Postremò etiam cupio, ne ullo modo insolentia & nouitate uocabulorum, uel in Microsynodo Norinbergē. uel in ipsa Hierusalem noua, offendi, & perturbari uelis. Scio illud unitrinum uerbum, non minus esse insolens attribus omnium, quam tempore Arrianorum erat illud diuinum Homouision, Nosti nimirum illud Athanasij, quo asserit nouitatem uocabulorum non esse respuendam, modò pium habeant sensum. Iam certum est, & sine controuersia, Deum rectè dici unum, quia reuera unus est. Item tota Ecclesia consistet Deū esse trinū, nec esse insolēs & nouum quod trinus dicit: quia tres sunt qui testimoniū dant in cœlo, Pater, Filius, Spiritus sanctus. Si ergo rectè & piè Deus dicitur

esse unus & trinus, quid prohibet quæso, per elegantem, utilem & frugiferam compositionem dici unitrinum: quia simul unus & trinus est, unus quidē in substantia, & trinus in hypostasi, uel personis. Iam uerò cum similiter certum & sine controuersia sit, quod uerbum Dei, quod Deus est, & quod erat in principio apud Deum, &c. Et quod caro factum est, &c. debeat per omnia esse eiusdem essentia & substantia, eiusdem naturæ & proprietatis, cuius est ipse Deus, nam aliàs uerbum Dei, si alterius proprietatis, naturæ, essentia & substantia esset, Deus esse nullo modo possit. Cum ergo ex superioribus illatis, Deus recte & piè dicatur unitrinus, quid quæso prohibet, aut quæ impietas ac reiicienda nouitas uideri potest, uerbum dici trinum, & unitrinum: cum re uera uerbum Dei, quod Deus est, & quod caro factum est, unitrinum esse debeat. Nam aliàs uerbum Deus non est, quia esset alterius naturæ, proprietatis et substantiæ. Sed dices, et obijcies fortassis, Quid prodest illa nouitas & insolentia uerbi, prius in Ecclesia inauditi? Multum profecto, & supra quàm credi potest, & longè sanè magis, quàm ad extinguendam Arrianorum hæresim profuit cœlitus repertum illud Homousion. Nam nullo alio fundamento in ueram unitatem fidei & Ecclesiæ redire potuit orbis Christianus, nec poterit unquam, nisi per diuinum illud unitrinum abbreviatum, cœlitus demissum: & tandem iuxta scripturarum testimonia & promissiones reuelatum & manifestatum uerbū, quod sic tibi paucis interim (donec coram plura) ostendam & aperiam. Nemo Christianorum & fidelium dubitat, & apud omnes in confesso est, quod uera concordia & unitas Ecclesiæ nullo modo fieri, esse, & subsistere potest, sine unitate fidei. Hoc omnes, uel inuiti, cōfitemur, & magnis & plenis buccis in clamamus & affirmamus. Hoc ipso certo fundamento sic iacto, & in tota Ecclesia confesso, sic infero, doceo & clamo, atq; uniuersæ Ecclesiæ denuncio: quod quemadmodum uera & stabilis cōcordia, & unitas Ecclesiæ nulla fieri, esse & subsistere potest, sine unitate fidei: sic nulla uera et stabilis concordia, & unitas fidei esse potest, sine unitate uerbi. Illa unitas autem abbreviatū uerbi orbem Christianum hætenus latuit, nec à Romanis et Lutheranis ullo modo animaduersa est; nempe quomodo unitas uerbi sit in trinitate, & trinitas uerbi in unitate, sicuti Dei unitas est in trinitate, & diuina trinitas in unitate. Videtis hoc solo diuino fundamento, Lutheranorum antilogon & antichristum in Microsynodo Norinbergens. potenter & admirabiliter extirpari, interfici & iugulari: quod aliàs nullo modo tam dilucidè, potèter, & irrefragabiliter fieri possit. Quod si hoc cœlestè fundamentū, & uerbū illud abbreviatū, diuinitus nūc reuelatum, cōtra Lutheranorū Antichristū potens & efficax est, nempe uera potentia Dei ad salutem omni credenti; nimirū & contra Romanorum

manorum antilogon, Babel & Antichristum, potens et efficax est, & erit. Nam fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positū est, quod est Christus, uerbū illud ab æterno increatum, in tempore in Christo incarnatum: hoc est, uerbum illud unitrinū, quod caro factū est, & quod habitauit in nobis: quod Deus mirabiliter pro sua prudentia, tanquam faciem suam hætenus abscondit à nobis, donec in tempore suo ad iugulandum antilogon, hoc est, Antichristum, nempe omne uerbum quod Christi uerbo contrarium est, uerum ἀντιλογον, cum totius orbis stupore & admiratione reuelaret, ut omne os obturet, & obnoxius fiat totus mundus Deo. Quia nunc adest tempus, iuxta Esaiā, quo humiliabitur omnis homo, & omnis sublimitas & altitudo hominū & uirorū cadet, & incuruabit, & exaltabitur Dñs solus, κίριος μόνος, & idola penitus conterentur. Hoc aut fieri in æternū non potuit, neq; unquā potest, nisi per uerbum unū solum: quod tamen solum non est, sed trinū, & per consequens unitrinū. Quia κίριος μόνος, Dominus solus exaltari, et omnis sublimitas hominū humiliari nō potest, nisi διὰ τὸν ἑνα μόνον, per uerbum unum solum. Nec unquā possumus fieri unū, & cōsummari in unū, quod quidem Christus toties & tam anxie precatur, Ioan. 17. nisi per unum, & per diuinū illud unitatis & cōcordiæ fundamentū, planè hætenus cæco mundo incognitū. Hæc paulo copiosius & liberalius, quàm pro temporis angustia, & huius epistolæ modo: quæ tamen omnia eò spectāt, & eò referenda sunt, quo certiori fide & fundamento Sacratiss. & pietiss. Regem nostrū, de his max. et sacratissimis rebus, ad Pont. Max. cum incredibili Reipub. utilitate, & cum longè adhuc secretioribus & arcanis magis mysterijs per me, quàm primū fieri potest, referendis, informare possis: quo S. R. Maiestas suos charissimos liberos in regio statu, & opulentissima regna, & tu tuum Episcopatum Viennens. tibi nimirum multis nominibus charum: & ego meum Decanatum Patauiens. à crudelissimo Turcarum Cæsare cōseruare & retinere possimus: quo nihil est facilius, si audire, cognoscere, & liberè confiteri uolueritis, quæ magnalia & mirabilia Deus fecerit & facturus est in Israel, & toto orbe Christiano. Sin minus, omnino & dubio procul futurū est, quemadmodum ego fide nō ficta et simulata, sed cōsciētia bona, et sciētia certa uolēs, nō inuitus, iam ultra bienniū Decanus sum sine Decanatu, Prælatus sine Prælatura: sic tu, uel inuitus etiā, futurus es Episcopus sine Episcopatu, Pastor sine ouib. utinā Rex FERDINAND. nō similiter Rex sine regnis. Cupio his, alijsq; omnib. supra dictis, falsus, ut olim Jonas Niniuitis, esse uates, & propheta. Hæc tam dira & abominanda, tuum erit, tanquā boni & fidelis Ecclesiastæ, & regij cōsiliarij, cui salus atq; ad eò anima Regis in cura pastorali & Episcopali commissā est, auertere & amoliri. Et ne Rex earum

sacratissima

sacratissimarum & arcanarum rerum, prophanis scilicet occupatus, ignarus, me diutius à sese reiciat: sed ut Pont. Maximū quā primum inuisere possim, unā cum alijs Principibus summo studio & zelo Dei promoueat, ipse me (quod Haganoræ magis in tempore opportuno factum oportuit) audiat. Quid enim est non solum ab omni pietate, sed etiam ab ethnica humanitate alienum magis, quā hominē Christianum, Germanum, in prouincijs hæreditarijs Regiæ Maiestatis natū, subditū hæreditariū, seruitorē aulicū, atq; adeo consiliarium, in tam arduo & graui negotio non audiri? Quā horribilis, & planē sanguinaria, nunquā satis deslenda reiecti, proiecti, atq; cōtempti huius uerbi Dei uindicta futura sit, ante oculos uidetis, & paulo post (nisi subito & absq; mora respueritis) uidebitis. Spero, nec ullo modo dubitare soleo, neq; Sacratiss. Regi, neq; tibi pientissimo Pastori deesse bonam uoluntatem: sed deest, ut hæctenus defuit, illius diuini negocij conficiendī consiliū. En adest cœlitus consiliū, modò audiat, & modò ad audiendū coram Pont. Maximo, à quo uel salus, uel ruina totius Reipub. Christianæ, tanquā à capite, ad quod unicū Cæsar & Rex respiciūt, dependet, promoueat. Nosti fidem ex auditu esse, auditū per uerbum Dei. Nosti præterea doctissime Præsul, q; horribiliter Samuel propheta in faciem obiecit inobediētiā & cōtemptū uerbi Dei, Sauli Regi, suo regno iam orbando & pellēdo: ubi ad Saulem inquit: Pro eo ergo, quod abiicisti sermonem Dñi, abiicit te Dñs, ne sis Rex. Dixitq; Saul ad Samuelem: Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Dñi, & uerba tua, timens populū, & obediēs uocorum. Sed nunc porta quæso peccatū meum: & reuertere meū, ut adorem Dominū. Et ait Samuel ad Saul: Nō reuertar tecū, quia proiecisti sermonem Domini, & proiecit te Dominus, ne sis Rex super Israel. Et conuersus est Samuel, ut abiret. Ille autē apprehendit summitatem pallij eius, quæ & scissā est. Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Israel à te hodie, & tradidit illi proximo tuo, meliori te. Porro triumphator in Israel non parceret, & poenitudine non flectetur: neq; enim homo est, ut agat poenitentiam. At ille ait: Peccaui, sed nūc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel, & reuertere mecum, ut adorem Dominū Deum tuum. Reuersus ergo Samuel, secutus est Saulem: & adorauit Saul Dominum. Atq; utinam Serenissimus REX FERDINANDVS, tibi pastori & concionatori suo fideliter monenti, mihiq; salubria suadenti, nunc idem, quod Rex Saul Samueli, responderet, atq; diceret: Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & uerba uestra rēpore toto Regiminis nostri, tolerādo manifestarios & impios abusus Ecclesiæ Romanæ in Regnis & prouincijs nostris, timens & expectans Pontificem Max. & Cæsarē, & obediens uocorū, qui Cōciliū generale uel prouinciale quidē toties miserūt, neq;

neq; hæctenus præstiterunt. Quapropter portate nunc, quæso, peccatum meum, & reuertimini mecum, ut adorem Dominum, iustamq; poenitentiam agam, &c. Reliqua enim huius historię cōferri & inferri faciliē poterint. Hæc atq; huiusmodi te uelim loqui, hortari & arguere, cum omni potentia & imperio, opportunē, impertinē, ad hunc tantum Regem, de tot regnis & amplissimis prouincijs periclitantem: ad quem sanē mihi, tanquam alter Aaron datus, & à Deo constitutus uideris. Hæc sunt, quæ uolui pro rerum omnium summa necessitate & angustia, in qua respub. Christiana nūc constituta est, paulo prolixius, liberius & familiarius scribere. Tuæ pietatis & humanitatis erit, hanc meam uel prolixitatem, uel etiam admonendī libertatem (cogunt enim, uel Tiro Luiuio teste, liberē loqui, ultimæ necessitates) boni consulere: & tanquam bonus animarum medicus, his rectē & opportunē uti. Vale, meq; uicissim arma, & adiuua: & ut Rex cum regnis suis incolumis sit, cura. Quod si sua Maiestas ad proximum conuentum Imp. Spirensē, aut uenire non uelit, quod sanē totis uiribus in Epistola ad regem dissuadeo, aut si (quod Christus Optimus Maximus prohibeat) rerū summa necessitate sic cogente uenire non possit: ut sua Maiestas Regiæ suis saltem Oratoribus ad hunc conuentum mittendis committat, ut de his grauissimis rebus euangelizans audiat, & à Pont. Max. quamprimum & ante initium Concilij futuri audiendus promouear. Vereor enim totus inhorrescens, & planē tremebundus, ne priusquam Concilium iam in extremum dilatū incipiatur, nedum finiatur, quod per furorē & iram Dei actum de nobis sit: nisi consilio pulcherrimo & saluberrimo, non meo quidem, sed Christi nostri, admirabiliter misereri uolentis, subito & absq; mora obtemperetur. Qui enim uenturus est, ueniet, nec tardabit: & lenta nostra consilia & Concilia, atq; impiam & planē sacrilegam tarditatem nostram, supplicij grauitate compensabit. Hodie, ait, si uocem eius audieritis, nolite obturare corda uestra. Hodie, inquit, hodie. nō cras, aut in futuro: utinam non semper, uel nunquam potius futuro Concilio. Iterum uale, doctissime Præsul, mecumque quottidie precare & ora, ut omnis plantatio tam apud Romanos, quā Lutheranos, quam non plantauit Pater cœlestis, eradicetur per Christum Dominum nostrum, Amen. Datæ Spiræ, XIIII Decembris, Anno MDXLI.

Post scripta, adiuro te per Dominum, ut olim Apostolus adiura uit suos Thessalonicē, ut ostendatur & recitetur hæc Epistola non solum Serenissimo Regi, sed et omnibus dignis et sanctis fratribus, qui nos quotidianis precibus adiuuare possunt, ut quāprimum fiamus unum, & consummati in unum, credentium cor unum, & anima una, per uerbum abbreviatum unum. Et quæadmodum Regi,

T t & Regi

& Regi similibus, hoc est, dignis & sanctis hominib. hæc exhiberi cupio: ita ab indignis & prophanis, qui his abuti possint, maximè occultari uolo. Scio enim cui hæc scribo, & committo. Tertio uale, mihi quàm diligentissimè rescribe, &c.

IOANNES ECKIUS REVERENDISSIMO IN CHRISTO Patri ac Domino, Dn. Friderico Naufæ, Episcopo Viennen. Sereniss. Rom. Regis, &c. Consiliario, Patrono suo, S. P. D.

Raratissima obsequia, & foelicia ineuntis anni auspicia, Reuerendissime Pater. Si tragœdiam Ratisbonen. describere uellem, libro opus esset, Granuella, & Comes à Mandraschit, curauerunt, nobis omnibus inscijs, ut Gropperus quendam Librum conscriberet concordig, homo putatis in his rebus tot annis exercitatus. Entia uolunt male disponi. Is miser & infoelix liber obtrusus est Imperatori, cui ego ut indocto cōtradixi. Vnde gratiam omnem perdidi apud Granuellam, et pro tot laboribus meis Vormaciæ habitis, & magnificis promissis, uix reddidit Ble. Et Eckius aulicorum anfractuuum in expertus, nō intellexit, nisi post abitionem Cæsaris. Arbitror te uidisse farraginem Buceri, de Actis Ratisbonæ. Ego ei post eius promulgatum Librum, mox respondi, id quæ primū hac septimana prodibit ex prælo, ubi quidem omnia intelliges. Res sunt in malo statu, nisi quod iam uenere literæ magis propitiæ, subindicantes, & non tantam iacturam passum Cæsarem in mari barbarico, & Hungariam totam inclinatam ad nostrum Clementissimum FERDINANDVM Regem. Ceterum puer meus Eckardus, Ioannes Milleckius, reliquit Viennæ abiens instrumenta quædam & literas, partim à D. Simone fratre meo commissas, apud D. Gaudentium: & quia partim ad me pertinent, egerē istis. Et quia intelligo Ioannem Hildeprandum Meckiū, notarium consistorij Episcopatus tui Viennæ n. fidelissimum, habere ista, cura, si quid potes, ut ad me mittat per istum nuncium. Tu uerò mihi rescribas, sed solum quæ sunt ad honorem et gloriam Regis nostri: cui ita sum adfectus, ut aliàs nemini. Vale, raptim Ingeltadij. x. x. Decemb. Anno, &c. XLI.

LVDOVICVS DEI GRATIA COMES PALATINVS Rheni, Princeps in Bauaria, sacri Rom. Imp. Archidapifer, & Elector, &c. Reuerendo, nobis dilecto, Friderico Naufæ, amico nostro, S. P. D.

Quas dedisti ad nos in causa Præposituræ Ingelheim literas, accepimus, & earum tenorem probè intelleximus. Quum uerò non dubitemus, scire te, quid tibi ac alijs in eiusdem Præposituræ causa æqui responsi dederimus, haud est, ut eius responsi quicquam, ob pregnātes causas, immutare sciamus. Igitur in eo ipso responsio persistimus: alioqui tibi ad omnem

omnem amicabilem & fauorabilem uoluntatem, bene inclinati, id quod te uicissim fauorabiliter latere noluimus. Data Spiræ, feria quarta post Reminiscere, Anno MDXLI.

MARTINVS CVTHENVS, REVERENDISSIMO ATQUE amplissimo Patri, D. D. Friderico Naufæ, Episcopo Viennen. Augustissimi Rom. &c. Regis consiliario, &c. D. & patrono colendiss. S. P. D.

Tsi, Reuerendiss. Domine, multis magnisque beneficijs me tibi antea obæratum esse intelligam, nihilominus tamen fauore tuo fretus, ad te, uelut ad presentaneū quoddam numen, recurrendum censui. Itaque quid uelim, paucis accipias. Audiui nuper, S. R. Maiestatis edicto gentem Iudæorum è ciuitate noſtea omnino eſſiendam eſſe, domosque eorum in fiscum Regium deuoluendas. Quare te summis oro precibus, cum aliter nunc inopiæ meæ succurri nō possit, ut saltem domus eorum aliqua ex liberalitate Sereniss. Regis mihi condonetur. Nam hanc, quam inhabito, creditoribus (ut antea tibi significaueram) obæratam, uix retinere potero. In tuo igitur patrociniō spem fortunamque meas omnes cōstitui. Tu apud Sereniss. Regē in ea re, tuo clientulone dedigneris opitulari. Ea enim est tua apud suā Maiestatem auctoritas, ut nihil frustra ab ea petere uidearis. Quod si tua opera uoti huius compos euasero, me non modò tanti beneficii fore memorem, sed et me meaque omnia tibi debere, hac syngrapha ingenuè attestor. Bene ualeas, Antistes dignissime. Pragæ, pridie feriarum exaltatæ crucis. Anno Christi MDXLI.

IODOCVS GEVTBINVS, REVERENDISSIMO DN. D. Friderico, Episcopo Viennen. &c. Domino suo gratioso, S. P. D.

Literas tuas de Dato VI Decemb. ad finem eiusdem mensis accepi, quibus Lazarum cum resuscitatum, tum unicum cum amicis, uberiori nimirum causæ tuæ spe concepta, iam epulari, & genialiter uiuere intellexi: id quod mihi magnoperè placet. Verum quod indignè feras aduersarios non habentes iustæ contra te actionis, neque loci neque temporis, neque Imperialis salui conductus rationem, te Vormaciæ in Sanctiss. conciliandę pacis & concordie colloquio, satis contumeliosè Romam citasse: id in eorum retundetur caput, adeoque procul dubio id eis usu ueniet, quod passim dici solet, Malum consilium cōsultori pessimum. Non propterea nos oportet despōdere animum, eo quod nihil minus expectemus, quàm lites. Literas ad Summum Pont. ad Senatū Cardinalium, & Grymannum, Farnesium, ipsemet Dominus Brundusinus reddidit. Reliquas singulas, ad quos scriptę erant, illis ego diligenter distribui. Card. Gynutius torus tibi nunquam deerit, eo quod præter cætera Dominus Petrus Aleander senior, cui si

teræ tuæ fuerunt gratissimæ, nunquam cessauerit honestissimis, & meritò quidem, commendationibus te apud eum extollere. Sed uir totus integer, neminem commendabit amplius. Nam in Ianuario grauissima febre correptus, in ædibus siue Curia Reuerendissimi Grymanni Romæ, naturæ debitum Christianissime soluit: cuius anima in pace Deo uiuat quiescēdo. Ludouicus Gomes, auditor tue causæ, exhibet se omnino beneuolū. Iussitq; ut tibi suo nomine rescriberem, se omnia, quæ posset, pro antiqua uestra Paduana cōsuetudine, uelle facere. Mirum dictū, quàm ab eo ameris. Legatus Apostolicus, Reuerendissimus Dominus Contarenus, ex nobilissima Contarenorum familia ortus, Venetus, homo professione Theologus, Græcè & Hebraicè non indoctus, homo mitis, benignus & tractabilis, ad uos uenit: quo cum liberius conferre poteris, quàm cum alijs factum est. Familiam, quam secum ducit, non agnosco. His me tibi totum commendo. Ex Curia nostra consueta, Romæ, v. Augusti, Anno, & c. XLI.

FERDINANDVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA
Rom. etc. Rex, etc. Honorabili, deuoto, dilecto, Friderico Nauseæ Episcopo Viennen. consiliario & concionatori nostro.

Honorabilis, deuote, dilecte, Literas tuas IIII huius datæ accepimus, et ex eisdem intelleximus, Processionem, quã in die S. Stephani celebrandam institueras, dilatam esse: quod quia urgentibus ex causis per consiliarios nostros bellicos factum percipimus, clementer ratificamus. Proinde ad obediētem petitionem tuam, quã tibi pro sanitate recuperanda concedi rogas, ut aliquantisper in monasterium Melicē, uel in alium locum tutum conferre te possis: Nos huiusmodi debilitatis tuæ causa, singulari clementia tibi compatientes, in eandem petitionem clementer annuimus: ea tamen conditione, ut pristina restitutus sanitati, uolentibus nobis, nulla obstante mora, in aulam nostram regiã te conferas. Quod tibi ad dictas literas tuas gratiose responsum uolumus. Datū in Ciuitate nostra Noua, VIII Augusti, Anno, & c. XLI. gnorum nostrorum, Rom. anno XI. aliorum uerò, XVI.

HIERONYMVS VERALLVS EPISCOPVS BRITONEN,
nuncius Apostolicus, etc. Reuerendiss. in Christo patri, D. Friderico Nauseæ,
Episcopo Viennen. Rom. etc. Regiæ M. consiliario, fratri
in Domino chariss. S. P. D.

Reuerendissime Pater, accusabis fortassis me negligentis, quod has Sereniss. D. N. literas citius non reddiderim: et semper profecto omni accusatione dignus, nisi me ratio uigentis, distinuisset. Sperabam enim coram, & enixius, man data sanctitatis suæ exequi me posse, ac te eius ex parte personaliter salutare. Accedit huic non aspernendus (præsertim Italis) pestis timor, qui fuit causa, ut non intrarem Viennam, sequutus consilium ac uestigia R. Maiestatis, & c. Quæ de re crediderim me uenia satis dignum.

dignum. In præsentiarum autem nacta occasione destinati nuncij, mitto has literas S. S. amoris & beneuolentiæ plenas, etsi de successione ad ecclesiã Viennē, humaniter & ex corde gratulentur, sunt tamē eminentioris fortasse gradus, Deo duce, indicatiuæ, quem doctrina tua, bonitas, pietas, prudentia, meritaq; erga Deū sanctamq; sedem Apostolicam promereri uidentur. Sunt enim uero harū uirtutū, omniumq; aliarū hic non scriptarū certissima indicia, ac ueris, testes, labores tui in assiduis uerbi Dei prædicationib; crebriores populis persuasiones de Christianæ religionis ueritate, ne obtenebrati allectiq; hæreticorum technis, à uero religionis Catholicæ tramite aberrare ualeant: immensæ lucubrationes, hætenus actæ uirtutis bonitas, parcitas, modestia, castitas, humanitas, ac boni deniq; mores gregi tuo, populoq; tibi cōmisso exemplares. quò sit, ut nedū teporalium apud summū Pont. uerum etiã spiritualium apud Deū opt. max. remuneratiōes te promereri faciãt. De gratulatione tua de ad uertu meo, deq; lucubrationū tuarū munere, eas, quas referre nō ualeo, gratias & ago & habeo. Eruntq; mihi hi libelli gemis preciosis res: mihiq; pergratū erit, (data ex his causa) fide propria palpabilib; que attestatiōib; cōprobare posse id, qd de tuis uirtutib; pub. uox planè recepit atq; cōfirmat. Vale. ex Ciuitate no. VI Aug. An. XLI.

PAVLVS PAPA III. DILECTO FILIO,
Friderico Episcopo Viennen.

Dilecte fili, salutē et Apostolicā benedictionē. Cū ex obitu bonæ memorię Ioan. Fabri Episcopi Viennē, nobis intemē dilecti plurimū doluerimus: nō minus gauisi sumus, quasi illū opt. uirū nō amiserimus, te ei successisse. Successisse autē nō modo in regēda Viennē. Ecclesia, uerū etiã in doctrina, pietate, meritisq; erga Deū et sanctā ecclesiã: ex quib; te semp amauimus, semp q; amaturi sumus: eo etiã amplius, q te auctū dignitate aucturū etiã merita erga ecclesiã ita cōfidimus, ut te nulla nostra hortatione ad id indigere sciamus. Quæ de re, cum uenerabilē fratrem Hieronymū Verallum, Episcopū Britonoriē. Nuncium nostrū et Apostolicæ sedis istuc ad Maiestatem, serenissimi Romanorū, & c. Regis Ferdinãdi mitteremus, ei ad te has libetec dedimus, iussimusque, ut inuiseret ac salutaret te à nobis, nostraq; erga te propensam uoluntatē, ac de tua singulari uirtute opinionē, spēcq; in te repositā tibi referret. Hortamur, ut eius uerbis fidē habēs, similem te tui prestes & in posterū. Nos erga te non solū conseruabimus paternum et peculiarem amorem: uerum etiã, si fieri poterit, augebimus. Datum Romæ, apud sanctū Marcū, sub annulo piscatoris. Dic XVII Iunij, Anno MDXLI Pontificatus nostri anno septimo.

REUERENDISS. IN CHRISTO PATRI AC D. FRIDERICO Episcopo, Viennen. Domino suo maiorem in modum obseruando, Ottho Truchses
Baro in Vualtpurg, Decanus Tridentinus.

Reuerendiss.

Reuere[n]dissime Domine, mihi maiorem in modum ob-
seruandissime: Conuenit me heri in palatio, Reuerēdis-
simus Episcopus Augustensis, atq; has literas dedit, ut
illas per fidū aliquem hominē ad te Viennam transmit-
terem. Quapropter illas Reuerēdo D. Regio Confessori commisi,
qui recepit illas tutō ad te mittere. His me tibi q̄ officiosissimē com-
mendo: cui omnē meam operā, & quicquid in me est, sine omni ex-
ceptione offero. Deus opt. max. te nobis diu incolumem confer-
uet. Ex Ratisbona, III Iulij, Anno MDXLI.

REVERENDISS. PRINCIPI AC DOMINO, D. FRI-
derico Episcopo Viennen. &c. Ioannes Castilegius, Hispanus, Rom.
&c. Regis Secretarius S.

*Vina, Viennensis Præsul dignissimus ultro,
Limpida cum primum claraq; facta forent,
Abstemio quondam, grato promisit amico,
Ipsum qui merito suspicit atq; colit.
Clarificata satis sunt, seruet Episcopus ergo
Promissum, nostræ prospiciatq; sit.
Sed ne clausa pigros uinaria cella ministros
Tardet, nec sit opus mittere sæpe meos:
Donetur nobis uas unum grande, capaxq;
Multis quod possit noctibus esse satis.
Muneris huius erit fructus (sed dispar) utriq;
Danti laus & honor, gloria uera mihi.*

REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D.
Friderico Episcopo Viennen. M. Nicolaus Polites, S.

*Huc paulisper ades, sonosq; nocte
Dulces, Musa, tuo lubens patrono,
Acceptet decus hoc Episcoporum
Magnus Nausea, cui parent Viennæ
Claræ, sacra cui Fides libellis
Propugnata Dei laboriosis
Debet multa: cui decus & illud,
Quod nunc metra factis, referre debes
Acceptum, nisi enim sua quietem
Quis tibi munificentia tulisset,
Iam nunc Aoniæ tibi sorores,
Et quod Castalis unda dat, perissent.
Hic ad fercula nos uenire iussit.*

Hutus

*Huius prandia, Musa nunc adibis:
Tanto Musa uiro precare faustum
In cunctis Studium, frequentiori
Votorum prece, nuncupatione
Exoptato crebra: simul rogato,
Hunc ne limine peccoris clientem
Extra limina sæpius remotum,
Depellat, moueat, reijciat ue:
Me dignum fore pollicere (totis
Idnitor studijs) patrocinante.*

BALTHASSAR DEI GRATIA EPISCOPVS VRA-
tislauen. supremus utriusq; Slesie Capitaneus, &c. Reuerendissimo
in Christo Patri ac Domino, Domino Friderico Episco-
po Viennen. &c. D. & amico nostro ob-
seruando, S. P. D.

Reuere[n]dis. in Christo Pater, Domine amice obseruan-
de, ut rectissime ualeas, tibi q̄ res omnes ex sententia suc-
cedant, id tibi ex animo optauerim. Apud nos quidem,
Dei gratia, rectè est. Aduenit ad te Nicolaus Kautsche,
ingenuus sanè & integer iuuenis, qui que in uirtutis & literarum stu-
dijs nō poenitenda iam uidetur iecisse fundamēta: ut istic in Acade-
mia, quoad eius per inopiam rei familiaris fieri queat, opus coeptū
perficiat. Id quod se eo facilius consequutur sperat, si tibi per lite-
ras nostras esset commendatus. Quapropter te amicè rogamus, ut
pro singulari fauore & benignitate tua, qua studiosos omnes prose-
queris, iuuenem hunc complectaris, eidemq; in studijs suis absoluē-
dis, consilio & ope tua adesse digneris. Pergratum nobis erit, si ma-
gno sibi usui commendationem hanc nostram apud te fuisse sense-
rit, & se spe sua minimè frustratum esse lætabitur. Deus optimus
maximus te diu seruet incolumem. Datum Nissæ, die Iouis post do-
minicam Oculi, Anno &c. XLII.

CONVENTVS FRATRVM ORDINIS DIUI FRANCISCI,
quos Minores uocant, apud diuum Iacobum Pragæ in antiqua urbe, &c. Reueren-
dissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Friderico Episcopo Vi-
ennen. Inuictissimo Cæsari Ferdinando à consilijs,
&c. Domino & Patrono nostro modis
omnibus colendissimo,
S. P. D.

Ratam & pacē à Christo Iesu, unica spe nostræ salutis,
Reuerendiss. & ampliss. Præsul ac Domine, literas tu-
as amoris & beneuolentiæ plenas, accepimus, quæ nobis
eas ob causas q̄ iucundiss. fuerūt, q̄ ualitudinē tuā signi-
ficarunt, & quod in summa occupatione scriptæ essent. Primō tibi,
ut debe

ut debemus, duplici nomine ea de dignitate Episcopali ac praefectura ecclesiastica, magnopere gratulamur: optamusque ut honor iste tibi salutaris, toti Christianitati usui atque gloriae sit futurus. Quod quidem plane confidimus fore. Munusculum tuum uinarium nobis pergratum fuit, praecipue hoc tempore, quod nobis ieiunio est transigendum, pro quo ingentes & immortales agimus gratias. Et si nos par pari referre non possumus, referat ille, qui est retributor omnium bonorum. De Reuerendo Domino nostro Vicario quod scribis, nobis minime est aduersum: & laetamur, quod eum habeamus uirum, qui et tibi & alijs, re & consilio prodesse possit. Nam nostrae res in optimo sunt statu. Quauis aliae sunt perturbatae, et contractae: tamen si ipse adesset, uix magno negotio his remedium & salutem adferret. Postremo, te nobis et uniuersae reipublicae Christianae quam diutissimè seruet incolumè, semperque foelicibus incrementis in maius prouehat, idem, qui te donat orbi, Christus optimus maximus, Qui & per te & alios proceres Ecclesiasticos, tumultibus pestilentissimis sedatis, ecclesiae suae pacem & tranquillitatem restituere dignetur. Vale in Domino foelicissimè, Datae Pragae, XIII Martij, Anno Domini MDXLII.

ERASMVVS STRENBURGERVS CANONICVS TRIDENTINVS, Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Friderico Episcopo Viennen. sacrae R. M. à consilijs, Domino & patrono colendissimo, S. P. D.



QVod tardius Reuerendissime Pater, & Domine colendissime, quam debitum meum requirit, congratuler tibi de dignitate Episcopali adempta, spero te boni consilii futurum, dum quod tardè rescierim, monitusque à meo singulari & ueteri amico, Domino Nicolao Engelhardo, Canonico ecclesiae tuae Viennen. de tua beneuolentia, apud quem mei memoriam habere dignatus es, non putauimus amplius negligendum: primo, Deo opt. max. gratias agere: deinde, non Viennen. sed toti Ecclesiae, ac nobis congratulari, quod spondae suae de tam digno pastore prouiderè dignatus est: in cuius foelici gubernio eam nobis diu seruare dignetur. Quod autem munusculum ex me pro debito meo tibi offeratur, nullum est mihi, praeter syncerum animum & affectum, quibus elaborabo indignis meis precibus erga diuinam clementiam, ut sicuti ecclesiae suae te praefecit, ita concedat, ut eis frui possis digna praesidentia. Caetera quae apud nos hic & in Italia aguntur, & quanta sit mea erga te obseruantia, ex dicto Domino Engelhardo accipere poteris. Vale, Tridèti, ult. Martij, Anno salutis MDXLII.

IOANNES COCHLAEVVS, REVERENDISSIMO D. D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S. P. D.

Quam



QVamuis tu semper sis salutaribus in uinea Domini laboribus occupatus, nunc tamen te omnium maxime occupatum existimo in tantis belli tam grauis et periculo si curis & molibus, quibus opt. & pientiss. Rex noster premitur. De te uobis Deus Opt. Max. gratiam & fortitudinem, ut ille armis, tu precibus ad Deum, & exhortationibus ad milites, populumque, quibus singulari Dei dono plurimum uales, hostes Ecclesiae Christi profligetis, ut non memoretur nomen Turcarum ultra, sicut in uaticinio quodam promittitur. Cum sis igitur nunc uehementissime pijs mancipatus laboribus, non debeo tibi prolixa epistola molestus esse. Accipe igitur breuiter quid uelim. Quando in proximo procerum conuentu Serenissimus Rex noster Pragae fuit, misi illic nuncium proprium, cui & ad te & ad Reuerendissimum Dominum Episcopum Mutinensem, &c. literas dabam: quas ille retulit, quia neutrum illic inuenit. Caeterum illud pietatis negotium per alios interim expeditum est. Nunc ob id potissimum scribo, ut à te uel breuissimas extorqueam literas, è quibus intelligam quomodo ualeas. In hac enim doctorum Catholicorum paucitate, ad quam per iram Domini redacta est Germania, uehementer de tua sollicitudo incolumitate. De me, si quaeras, non habeo quid scribam. Valeo nunc mediocriter, per hyemem & per quadragesimam uexatus fui graui ter & podagra & calculo. Sunt & alia senij incommoda, quae nunc magis, quam antea, experior. In literarum studio minus serueo, propter uisus imbecillitatem. Sed longior sum, quam occupationes tuae sinant. Ignosce precor, & uale pancreaticè: qui plus quam pancreaticos in tenui corpusculo, Dei benignitate, sufferre potes labores. Ex Vratislauiam, XII lunij, Anno salutis MDXLII.

F. MICHAEL HILTEBRANDVS D. ORDINIS MINORVM, Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino, D. Friderico Nauisae Dei & Apostolicae sedis gratia Episcopo Viennen. Rom. etc. Regis consiliario, D. suo in primis gratioso, atque colendissimo. S. P. D.



QVum nuper libellorum quorundam excudendorum gratia Cracouiam me contulisset, Reuerendiss. Praesul, ac Domine in primis gratiose, commodum, nec absque diuina (uti mihi persuadeo) dispensatione, & alia condicione sese exhibuit: nimirum laurae in sacra Theologia honor, ad cuius fastigium licet à plerisque (potissimum eximio uiro D. I. Cochlaeo eruditissimo) uiris iam pridem fueram extimulatus, erant tamen nonnulla, quae ab eorum sententia dissentire suaserunt. Verum, quod blandi consilij non obtinuit oratio, ugens tandem necessitas impetrauerit. Ad utriusque igitur negotij opus perficiendum, aere alieno me constringi necessum fuit. Quare te enixè oratum uelim, non graueris, modo liceat, non nihil subsidij ad huiusmodi pietatis

Vu officia,

officia, uel tua liberalitate, uel aliorum benignitate conferre, quo facilius debitorum nexibus me elaqueare ualeam. Ego certe fidem, quam haecenus Ecclesiae pro uirili praestiti, praestare studebo & in aeuum, superni numinis fauore fretus. Plura scribere temporis angustia haud sinit. Hoc unum tamen uehementer adgratulor, & mihi gaudeo, te coelesti dignatione ad Episcopatus euectum cathedram. Faxit Deus, ut in omnibus uerum atque germanum Episcopum actitare queas, & Ecclesiam eius salubriter regere. Hisce paucis opto te in Domino Iesu semper bene ualere. Exemplaria, quae mitto, boni consulere digneris, ac iudicij tui censuram adhibere. Cracouiae, Anno salutis MDXLII. Dominica Quasimodo, &c.

IOANNES ECKIUS REVERENDISSIMO IN CHRISTO Patri ac Domino, Dn. Fridrico Nauseae, Episcopo Viennen. &c. Domino & Patrono suo plurimum obseruando, S. P. D.

Reuereatissime Pater, Iuuenis iste, lator praesentium, Ioannes Iselein Geislingen. olim famulus Doctoris Osualdi, plebani Vberlingi, catholici uiri, adeo fideliter ei seruiuit, ut ad studium Louanien. miserit, ubi primam lauream consequutus est. Quantum uero profecerit, facile ex colloquio iudicabis. Verum mortuo patrono, cum nec ipse uelit, nec parentes consentiant, ut stipendium acceptet: petijt, ut eum alicubi Patrono commendare, quo uel stipendium, uel honestum famulatum consequi possit, ut ad Magisterium in artibus ascenderet. Idcirco rogo te pro amore isto, quo studiosis omnibus afficeris, hunc habeas commendatum. De nouitatibus nihil scribo, quod ea habeas comperitiora. Speramus Gallum quiescere hoc anno. Lutherani adeo proficiunt in fide, ut ferme nihil credant. Minabant nescio quale responsum Apologiae meae, & scio cum Groppero aliquos fuisse certis septimanis in arce quadam, in nemoribus, at nihil prodijt. Bucerus Acta Ratisponensia uertit in Germanicum, & in triplo miscet plura, quam fuerunt in Latino. At quod scribit me iste mortuum in Decembri, ego uiuus fortiter nego, & reclamo me adhuc uiuere, & pro uoco ad omnium iudicium. Ex occupationibus. Vale felicissimè, Reuerendiss. Pater. Nihil adhuc intelleximus de consecratione tua. Patauensis est consecratus, Tridētinus & Eystettēsis sunt ordinati sacerdotes. Speramus prope esse, ut consecrentur. Iterum atque iterum uale, & salue. Ingelstadij, XVI die Maij. Anno MDXLII.

IOANNES RODERICVS, MINORIS CIVITATIS Pragen. notarius, &c. Reuerendiss. in Christo Patri ac Domino, D. Fridrico Episcopo Viennen. &c. S. P. D.

Quod haecenus ad te nihil literarum dederim, Amplissime Praesul, Patronè colendissime, agnosco & fateor me peccasse: maxime quod nonnulla extitisse uideantur, quae tu rescire oportere existimares. Sed mihi quoque causae

causae nonnullae datae fuisse uideri possunt, quibus me apud te peccati huius excusari posse sperarem. Verum malo hanc excusationem scribendi in posterum diligentia, quam multa oratione iam refarcire. Attamen est quidam subrusticus in scribendo pudor meus, & parum trita mihi Latinae linguae phrasis, quae cohibent me, ut non quantum uelim, quantumque debeam, tantumdem scribere audeam: quamuis tua humanitate ad hoc sim excitatus. Quare fretus eadem facile humanitate tua, postquam unam hanc noxam dimissam habuero, non committam, ut magis mea rusticitate a linguae huius imperitia a scribendo deterrear, quam humanitate tua adeo fauorabili alliciar, quod aliquid de rebus apud nos agitatis scitu non indignum subinde referrem. Nunc quoniam Reuerendissimo Legato Pontificio diatae proximae consensum Latine reddidi, tibi etiam eiusdem hic copiam transmitto: functurus in posterum, ad omnia obsequia tua promptissimi clientuli officio, studiosissimè. Praesentium latorem tibi mecum humillimè commendatum cupio. Cuius causam ipsemet tibi referet, quam tibi, pro innata bonitate tua, curae fore non diffido. Datum praecipitanter, Pragae, xx Maij. Anno, &c. XLII.

MARINVS CARDINALIS GRIMANNVS, REVERENDISSIMO Domino Fridrico Nauseae, Episcopo Viennen. tanquam fratri amantissimo, S. P. D.

Reuereatissime, tanquam frater charissime. Prodiere nuper in lucem commentaria quaedam, in duas epistolas beati Pauli, ad Romanos & Galatas, quae nonnullorum iudicio non admodum indigna lectione putantur. Ego cum te sacrarum literarum in primis cupidum, & non sine admirabili earum iudicio studiosissimum cognorim, duxi non alienum institutis tuis et amicitia nostra, haec ad te mittere. Itaque feci, & duos eius generis libros cum hac epistola coniunxi. Facies igitur gratissimum mihi, si curaris, ut ex literis tuis intelligam, & libros tibi redditos esse cum fide, & quod nam tuum & aliorum sit de his ipsis commentarijs iudicium. Me spero, Deo uolente, propediem Romae fore. Si qua in re tibi opus erit amore & studio meo, scias nihil tibi esse tam promptum, aut tam paratum, quam omnia, quae a me possint in tuum ornamentum & commodum proficisci. Vale, Venetijs, XIII Apr. Anno, &c. XLII.

HIERONYMVS CASSERTANENSIS, NUNCIVS Apostolicus, &c. Reuerendissimo Domino D. Fridrico Nauseae, Episcopo Viennen. D. meo obseruandissimo, S. P. D.

Reuereatissime Domine, &c. Paucis elapsis diebus, reditae fuerunt mihi literae tuae: quibus eo tunc non curavi dare responsum, quonia erat incertum apud me, num Viennam uel Pragam debuissim mittere, quando quidem tuae ad XVI Ian. ex Praga fuerunt nuncio ad me datae, sciremque te

discessurum uersus Austriam. Nunc autem nolui deesse, quin & te his salutarem, tibiq; gratias agerem, de uino, quod mihi tuo nomine dedit Dominus Ioannes Fridericus Aurinodius, concionator Vormaciens. unã cū Regio Capellano Domino Primo Lacunario, uiro sanẽ & pio & doctissimo. Res Comitiorũ hic sunt in bono statu, quo ad subsidium contra Turcas, quorum exitus propitius Serenissimo Regi nostro breui speratur. Vtinam non peiora ex negotijs Religionis expectari debeant. Petũt enim aliqua Protestantes, quæ si concederẽtur, esset malẽ actum cum Christo & eius religione. faxit omnipotens Deus, ut ea tantum statuatur, quæ ad gloriam ipsius & pro salute animarum, ac totius reipublicæ Christianæ utilitate perspicua futura sint. Vale. Datum Spiræ, xxii Feb. Anno salutis Mundi MDXXXII.

IOANNES EPISCOPVS MISNENSIS, REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, D. FRIDERICO EPISCOPO VIENNEN. AMICO, & DOMINO MIHI OBSERVANDISS. S. P. D.



QVod toto tẽpore à reditu ex Ratisbona, ab officio scribendi cessauerim, Reuerendissime Pater, cupio summo perẽ, ut id temporum iniquitati imputes. Cũ enim uariã curã interea animum meum haberent, & inter eas dubius rerum mearum à me expectaretur euentus, elapsi sunt mihi tot menses, quibus planẽ nihil operæ dedi amicis. Quã ego culpam sarturus sum, ubi Dominus Iesus plus ocij mihi donauerit, & sarcinam mearum sollicitudinum, pro sua immensa clementia, leuiorem reddiderit. De rebus & statu Ecclesiæ meæ, etiã si sint multa, quibus de tecum libenter communicarem, quid tamẽ prius quid uerius scribam, nescio, usq; aded etiã nunc in ambiguo res meæ omnes sunt. Hoc tamen breuiter tibi significare necesse habeo, statum uidelicet religionis ferẽ extinctum esse. Quod malum, etiã etiam si cæteras, & præcipuẽ circumiacentes regiones inuaserit, non tamen eas ita habet infestas, quã totam hanc portionem Episcopatus nostri. Christus faciat, ut in tempore de remedio cogitent & Monarchæ, & Præsules: idq; efficiant, quod est in laudem & gloriam ipsius Dei. Qua in re etiã te, quem & singulari eruditione & autoritate pollere scio, hortor, ut apud Serenissimũ Rom. Regem Ferdinandum, &c. in eam curam incumbas, ut saluæ nobis sint reliquæ Ecclesiæ. Et ne sacratiss. sua Maiestas in partibus Lusaciæ omnia collabi sinat. Melius fortunabit cætera Christus, ubi maiori curæ religio nobis erit. Postremo, cū modò Dux Saxonie Mauricius apud Regẽ Ferdinandũ existit, te uehemẽter oro, ne graueris interpellare suam M. si cõmodẽ id fieri possit, ut Ducem Mauritiũ uelit alloqui, ne me in meis oppidulis & uillis, præsertim in Stolpen & Bischoffauer, & circa (ubi regnum Boemiæ etiã interessẽ habere

habere dicitur) antiquæ religionis gratia perturbet. Nam ipse dux in diebus Pentecostes, in oppido meo Maglen, ubi merum & mixtum imperium ad me spectat, prædicatorem Lutheranum uirum uisitatores suos instituere curauit, & meum ob officio prædicandi reiecit. Si editus est liber de institutione Christiana, summopere peto, ut exemplar ad me mittere uelis. Te in Domino semper bene ualere cupio. Datum in arce nostra Stolpen, xxix Iunij. Anno &c. XLII.

F. MICHAEL HILLEBRANDVS DOCTOR ORDINIS MINORVM, REUERENDISSIMO DOMINO FRIDERICO, EPISCOPO VIENNEN. &c. DOMINO MEO GRATIOSO, S. P. D.



REuerendissime Præsul, domine in primis gratiosè: uigentibus (uti arbitror) & honestis & iustis rationibus, me à Suidnitz subducens, Cracouiã cõtulit, in qua ad hunc usq; diem moratus sum. ab illo autem tempore, nimirum omnium sanctorum (quod uehementer deplorandum) mi ferrimus popellus totius ciuitatis absq; coelestis alimẽti pabulo execranda discruciatum fame, qui & antea per quinquẽnium pastore legitimo caruit. Quid tandem futurum sit, quilibet cordatus diuina re potest. Ego hæctenus iustum desudauit laborem, alij iniustam retulerunt mercedem, nec denarius unicus de omnibus prouentibus ecclesiæ in usum celsit. patienter tuli, sed diutius ferre nequeo. Quũ uerò Reuerendissimus Dominus Episcopus Vratislauen. reuocationem mei apud Regiam Maiest. Dominũ meum clemẽtissimum (cuius autoritate & gratia munus concionis hucusque egĩ) medietur: hinc te, qui apud iam dictam Regiam Maiestatem plurimum uales, haud immeritò quoque appellandum duxi: enixè obsecrans, ne graueris & tu reipublicæ Christianæ zelo, patrociniĩ tui operã adijcere: si quid hac de re coram Regia Maiest. tractari intellexeris, quo salubrius negotio cõsuli possit. Ego certè nihil laboris, nihil studij detrectabo unquam, quicquid prudenter fuerit definitum. Si solum mutare coactus fuero, triumphum iactabunt Lutherani, & plebs fidelis peius uexabitur. Agegitur, Pontifex, Dei officium, atque Episcopi germani. Plura enim, temporis angustia prohibet. Hisce paucis, & tumultuariẽ exaratis, opto te in Iesu semper bene ualere. Cracouiæ, sabbato intra octauam Visitationis Mariæ. Anno, &c. XLII.

NICOLAUS A' RYCZANO IN HORZOVVITZ, REUERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI & DOMINO DOCTORI FRIDERICO EPISCOPO VIENNEN. &c. DOMINO & PATRONO COLENDISSIMO, S. P. D.

Vu 3 Post

Rost assiduam meorum in te seruitiorum commendationem: libellus nomine tuo, quem unà cum Ioannis filij mei literis accepi, loco q̄ gratissimi mihi muneris extitit: tum quia omni euāgelica pietate redundat, tū quod à tanto Presul e ad me citra ullum meum mittatur meritum, quo fit ut tibi duplici nomine adstrictus, ad quoduis obsequij genus sim ad dictissimus. Nam præterquàm quod filium meum pro tua genuina benignitate, qua bonis adficeris omnibus, foues & amas; me quoque uix à prima fronte conspectum non solum tuis è longinquo literis, sed insuper & illo saluberrimo libello dignaris inuisere. Deus optimus maximus te pro illustrandâ gloria sua, & republica Christiana amplificanda saluum, & prosperis successibus indies magis ac magis florentem, quàm diutissimè conseruet. Ego uerò ingenuè fateor, me imparem esse uiribus in referenda tibi pro tuis in me beneficijs gratia: ipsa tamen animi propensitate apud te longè ab omni ingratitude labe me uindicabo: sequens eos qui oppressi àre alieno, cum soluendo esse nequeant, sola professione aeris alieni creditori satisfaciunt. Demum me tibi, ut Domino meo colendissimo, quàm maximè possum commendo. Nec minus Ioannem meum, quem Pragæ in tui tutelam suscipere dignatus es, precor ut tua (quod facis) gratia prosequaris. Quem quoties mihi scribendi ad eum occasio fit, moneo, ne quid præter uoluntatem tuam agat, sed ex nutu tuo pendeat. Nec diffido illum sic facturum, nam antea morigerum eum erga me semper expertus sum, & nunc idem mihi per literas pollicetur. Bene atq; foeliciter ualeas. Ex arce mea Horzouitzij. Die diui Petri, Anno MDXLII.

PAVLVS VVIENERVS CANONICVS LABACEN,
Reuerendissimo Domino Friderico Nauseæ, Episcopo Viennen, &c.
Domino & Patrono obseruandissimo, S. D.

Reuerendissime Antistes, princeps, protector, ac Domine obseruandissime, post humilem ac perpetuam seruitiorum meorum commendationem. Cum intellexissem præsentium latorem Mathiam Klombnerum, familiarem meum, ac quondam huius prouinciæ nostræ cancellarium, ad te propediem peruenturum, uisum fuit, has perbreues ad te dare, quibus te salutarem, ac de mea erga te obseruantia certio rem redderem. Et id tibi ingratum non futurum, minimè dubitabam. Quo autè in statu res nostræ uicinarumq; populorum hic uersentur, tu ex eodem melius cognosces. neq; enim multa breuibus comprehendi, neq; satis tuto literis omnia hoc tempore committi possunt. Flagellat autem hic nos, præter continuos Turcicos terrores, præterq; cōspirationem illam bellicam contra sacram Cæsaream M. atque adeò contra uniuersum reipub. Christianæ statum, etiam lues & pestis ista locusta-

locustarum, quæ iam ad XXII diem per uniuersam regionem peruagata, tanto (ut Plinij uerbis utar) pennarum stridore uolant, ut aliæ alites esse credantur, uidenturq; solem ipsum obumbrare, iamque segetes omnes & prata omnia morsibus actactu contaminauerunt. In summa, ita uidentur esse audaces & temerariæ, ut muros ipsos etiam impunè transiliant. Huiusmodi autem locustarum multitudo non solū in hac Carniolæ prouincia, sed etiam in Carinthia, Foro Iulij, Croacia, Sclauonia, ac in quibusdam Hungariæ partibus uagatur: ut rectè Propheta dixerit, à facie earum populos cruciari, quia multa sunt nimis castra exercitus Domini. Reliquum est, ut nos ad Dominum conuertamur. Quid autem ijs diebus proximis, Venetijs, ex Gallorum Regis technis ac conspirationibus sequutū sit, & qualiter Senatus Venetus in quosdā Patricios animaduertit, ex dicto nostro familiare plenius poteris cognoscere: ad cuius dicta me in præsentia refero. Quem quia in istius nostræ patriæ causa ad S. R. Maiestatem, Principem & Dominum clementissimum mittimus, eundem tibi ea diligentia, quæ maxima esse potest, etiam atque etiā commendo. Plura statim coram. Interim me & res meas omnes tibi anicè commendo. Datæ ex Labaco, XI Septēb. Anno, &c. XLII.

IOANNES CARD. MORONVS, REVERENDISS.
tanquam fratri, D. Friderico Nauseæ, Episcopo Viennen. S.P.D.

Um ego me ipsum penitus intueor, laudes, quibus tu me cumulas, istum mihi gratulans honoris gradum, in quo summus me Pont. collocauit, tuæ eas cogor humanitati ac beneuolentiæ erga me acceptas referre. Quapropter earum laudem, quarū quidem tanto magis tibi me esse debitorem fateor, quanto longius scio ab eisde me abesse, simulq; gratulationis tuæ, maximas tibi gratias & ago, & habeo: summopere optās mihi dari occasionē, ut re ipsa experiaris, me tibi esse amicissimū. de quo tamen uideris tu in epistola tua nō nihil subuereri. Rogas enim ut suspicionem de te, si quam ullo unquam tēpore habuerim, depenam. In quo uelim mihi credas, me non facile duci ad suspicandum, de ijs præsertim, ex quorum numero tu es, qui ceteris debent exemplo esse, ad quorumq; curā pertinet aliorū uitia castigare. Ut autē posses te expurgare, ac nō solum ab ipsa culpa, uerū etiam à suspicionem culpæ abesse, quæ tibi tunc à multis obijciebatur, eadem ego illis referebam, quos & rogabam, & certo sciebam omnia esse ad te perlaturus. Ex quo perspicere potes, tibi nullam reliquam esse causam dubitandi de mea erga te uoluntate. Nam licet de te aliqua suspicatus fuisset, qui ea tibi per tuos significari curarim, beneuolentiæ iudicium præbui, non simultatis. Nunc uerò cum non dubitem, omnem te præteritæ suspicionis materiam radicitus amputasse,

AD D. FRIDERICVM NAVSEAM
amputasse, non possum non bene de te sentire: eiusq; rei nomine, si
ita est, tibi ex animo gratulari, omnemq; meam operam, quæcunq;
est, tibi polliceri. Vale. Datum Mutinæ, XVII Calend. Septemb.
Anno, &c. XLII.

GEORGIVS VICELIVS REVERENDISSIMO PRIN-
cipi ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. &c. Domino &
Patrono suo colendissimo, S. D.

Reverendissime in Christo Pater, & patrone uetus: Iam
annus est, quod tuas literas expecto. Ab ecclesiasteli-
teris crebras, ab Episcopo Nausea nullas unquam acce-
pi: neq; tamen dubito, quin æquè diligit Viceliū tam
præful Nausea, quam dilexit concionator. Ipse certè utrunq; gradū
in una persona ueneror ex æquo: id quod sensisses, si te inuenissem
in conuentu Spirensi. Illic te auide quærebam in Regia aula: sed abe-
rat, quem ueneror. Multos mihi adiūxit amicos aula Regia, uerūm
te frui non contigit. Gaudebam audire super te satis egregia, sed ui-
dere maluissem: quemadmodum in Francica ualle. Quomodo au-
tē ualeat tua pietas? Quid agit excellentia, inter has turbas mundi
huius? Nos hac in patriæ parte pestilentiali febre grauiter adurimur.
Nec ipsi sine bellis sumus: sed ciuilibus, sed exitialibus, sed Sathanicis
impleta est terra malis usq; ad summum. Querelam recito, Deum
imploro, ecclesiam desleo. Tabellio aduenit iam iam abiturus, alio-
qui pro semiuocali loquacissimam epistolam acciperes. Demoror
modo pauculis diebus apud Reuerendissimum Dominum Abba-
tem Fuldensē, Principem Fagonie in Montanis. Hunc ego prima-
tem posteritatis memoria dignum, uel ob id colo, quod unus refor-
mationem meditatatur, & talem, quæ deceat uerum Antistitem. O-
pto illum Regiæ Maiestati quam commendatissimum esse. Vnus
propē in Germaniæ parte hac, Ratisbonē, recessui paret: ad labo-
rās, ut fiat uia synodo. Tu rescribas de gestis Hūgaricis: hic enim om-
nia incerto rumore ferūtur. Bene precor fautoribus, quotquot istic
uiuunt. Vale in Christo Iesu, seruatore nostro. Datum ex arce Bi-
berstein, XXVIII Augusti, Anno Domini MD XLII.

LEOPOLDVS HIMELREICHIVS VIENNEN. SA-
cræ Theologiæ Baccalaureus Colonien. Reuerendissimo in Christo patri
ac D. D. Friderico Nauseæ Episcopo Viennen. &c. D.
ac Meccenati suo colendiss. S. P. D.

Alus & gratia per Iesum. Gaudeo, uerèq; ex animo læ-
tor & exulto, in hodiernū diem, Pater ac Præful dignif-
sime, me quamuis indignum & immeritum, à tuo col-
loquio & aspectu non tantum non repulsum, sed beni-
gnè uocatum & admissum esse. Quid enim, quæso, mihi gratius ac-
ceptiusq; Dei opt. max. pietate præstari potuisset, quam ut is quem
semper

semper toto desiderio uidere & audire cupio, & in quo solo (post
Deum Max.) omnis spes mea sita est, me sponte ad se uocaret, tan-
taq; se mihi præstiturum polliceretur, quanta nunquam ausus fu-
issem sperare? Ago itaq; gratias, quum referre mearum non sit uiri-
um, in primis Deo Opt. Max. qui me sua pietate in hunc diem foeli-
cissimum, & candido notandum lapillo, uiuere permisit, quo te insi-
gnis illa Ecclesia Viennē, (cui ex animo gratulor) uocatum & ele-
ctum pastorem suum agnoscit, & Præsulem. Ac dein gratias ago ei-
dem Reuerendiss. D. meo Præsuli, cum ob sincerum & candidum
erga me animum & paternum affectum, tum ob nunquam non o-
ptata promissa patrocinia. Et quoniam alijs arduis negotijs & cau-
sis occupatus idem Reuerendissimus Dominus meus, ultimò,
quum abeundū esset, ad me dixit, quod modò nō est dictum, scribi-
to, & ego rescripturus sum: Eapropter audacior animosior que fa-
ctus, calamum arripio, & aliàs conceptum sermonem refero. Et in
primis, ut Viennæ habitare possem, ex animo cupio. Nam tunc fu-
turo tempore, proculdubio occasio daret, ut essem assiduus apud
Dominum meum Reuerendissimum, ut pinguiorem sacrarum lite-
rarum studio fructum adferrem, sicq; pastoris & gregis Viennē,
fidelis atq; perpetuus minister fierem. Deus Opt. Max. consiliū su-
um, ac Reuerendissimi Domini Præsulis, quod cœpit ipse, perficiat
ad laudem & gloriam Iesu Christi, Domini ac saluatoris nostri, &
ad Ecclesiæ suæ incrementum & utilitatem. Qui te cum grege tibi
commisso saluum ac sanum seruare dignetur, ad perpetuā nostram
salutem & pacem: Amen, ex Lithopoli, prima Martij. Anno Domi-
ni MDXLII.

PAVLVS VVIENERVS, CANONICVS ET ECCLE-
siastes Labacen. Reuerendiss. & amplissimo Principi & Domino,
Dn. Friderico Episcopo Viennen. Rom. Regiæ M. &c. Con-
siliario, D. & protectori obseruandiss. S. P.

Reuerendissime & amplissime Præful, Domine obser-
uandissime: Cum ijs diebus proximis ex literis & sermo-
ne amicorum meorū intellexissem, te ex tam difficili &
longa peregrinatione Viennam tandem fuisse reuer-
sum, uix dici potest, quanto gaudio fuerim perfusus. Nihil enim
hoc tempore magis in uotis hic habebamus, quam ut Deus Opt.
Max. te saluum nobis & incolumē, ac satis firmū restituisset. Quod
autē ad uina tua tibi mittenda attinebat, ex familiari tuo Ioanne Prasi-
no Halio mentem meam intelligere poteris. Nam propterea quod
longo tempore à Vienna absens eras, tum etiam propter pestis sæ-
uitiam, quæ illic plurimum grassabatur, nihil omnino mittendū fue-
rat. Nunc autem postquam intellexi acrem multo esse mitiorem
& tranquilliolem, si tibi commodum fuerit, quam primum me de
mente tua reddas certiolem. Nam uina, quæ Vuibacēsia uocamus,
X satis

fatis præstantia hoc tēpore inueniunt, dummodò cognouero quot famas (ut uulgo uocant) siue equorum pondera habere uolueris. Interim uerò me & studia mea omnia tibi unice commendo. Data ex Labaco, III Martij, Anno, &c. XLII.

GALLVS MULLERVS DOCTOR, ETC. REVEREN
dissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Friderico Nauſeæ, Episcopo Viennen.
Rom. &c. Ferdinandi Regis Consiliario optimati, suo Præceptori
summè obseruando, S.



Irabar, reuerendiss. & amplissime Præsul, qui sic diuinum numen, quod te in Euangelium Dei segregauerat, ut annunciares mansuetis, & medereris contriti cordis doloribus, prædicares captiuus peccatorum tyranni de pœnitentiam, & cum Christo sepulchro clausis apertione, atq; complantatos in similitudine resurrectionis filij Dei: hoc dico numen mirabar, ita spiritum Domini diffundere super te: donec in tanta celsitudine constitutū, etiam Pannoniorum Episcopum inunctū, nescio quo animi miro motu conspicio. Dignum autem erat, in loco, quo omnes nationes confluunt, ut colant & incolant, talem esse sacerdotem Domini, atq; ministrum Dei nostri. Cuius tam dextra integritas, tam diadema diuina illa & præcella sapietia redundans, in manu altissimi, tam nomen, quod ipsum os Domini loquutum est, nominatum, omnia à Deo, ut cunctæ gentes iustitiam eius prædicent, cuncti Reges inclytum nomen suum ei uendicent, lampadē accensam, saluantem splendore lucentis Euangelij, ab omni malo, quod iram Domini concitet. Cui ego dudum congratulari debui, nisi infirmitates continuæ, mens negotijs priuatis, publicis, domesticis, extraneis, atq; demum multis febrium concussionibus perfusa cohibuisset. Nunc autem, quando non solum magnæ tuæ illius cū sapientia & integritate, atque ingenij acie, & mentis dexteritate prudentiæ coniunctæ magnam uideo accessisse amplitudinem: sed et quem te omnes iudicabant, ita ut magnū illum tuū animū semper re magis quàm uerbo probasti, ita sis post hæc tenus Episcopi officium multo magis exequuturus, horū opinionē nō adæquare modò studeas, sed excedas etiā, ut qui in re Euangelij longè quàm prius, plus proficias super fundamenta ea, quæ tuus antecessor, piæ memoriæ, Ioannes Fabri, summus meus patronus, iecit, firmā Ecclesiā extruas, antecessoris plantationem humectare non cesses, & (quod præter assentationem dictū uelim) uel solus omnium omnia rectè, et quem admodum in Ecclesia addecet, ordine facias: Putaui, nec omittere potui, nunc me rectissimè facturum, si ultro oblatam dignitatem, quæ ita ut difficile munus habet, sic quoque mutuo obstrusa est, nec non & foelix in ea studium, sed & summam in dignitate

dignitate adæquanda contentionem, atq; quod omnium qui (ut semper magnificentia & uirtus habet æmulam inuidiam) tibi contra sunt, uoluntates frangis, conatus uerò tuos ultra, quàm de te speratum est, longe consequeris foelicis, gratuler. Magnum itaque uel accessisse mihi ornamentum puto, cum uideam structuræ domus Domini, in qua & ego quotidie, secundum gratiam quæ data est mihi, laboro, additum tantum robur, ut quod in ea bonum est, confirmetur. Summa hac sapientiæ laude, qua ueluti Salamō, graui quadam intelligentia conspicuus ingrederis, & omnibus omnia faciens egrederis: quæ specimen quoddam præ se fert, tam apud Deum accepti hominis, quàm fuit ille ipse sapiens: ita quoq; ut qui humili illa dioecesi honorari magis, quàm quacunque alia uel opulentissima malueris, quod commodius hoc loco, secundum Deum sapere, et uacare ocio literario, atq; meditationi possis, in reb. exterioribus sis etiam fortunatissimus. Id quod paucis admodum contingere uidi. Sicut nec illi meo discipulo, foelicis recordatoris, D. Gaudentio, qui ad eò cum sua immatura quidem adhuc, & præcoci uarij generis disciplinarum cognitione, non habuit coniunctam in rebus exterioribus rectam rationem, ut optarit acquirere rem potius, quàm sese ex aliorum nominibus atque alieno ære redimere: & eo usque infœlices possederit diuitias, ut nec ab exequutoribus testamenti ipsius debitum, quod ultra alia mille beneficia à me illi & in scholis & in confarcienda supellectile libraria exhibita apud me contraxit, cum Doctoratus insignia peteret, solutum sit. Exequutores me ad relictam D. Gaudentij matrem remittunt: mater ad consanguineum. Ille denuo ad res Gaudentij, quas Viennæ reliquerit: quod illæ sint soluendo. Ego inter sacrum & saxum sto, nec est quod refugiam, nisi ad te, in aduersis tutissimam anchoram. Humillimè itaque supplico, si quid in hac mea re possis, expedias: saltem ut studiosos, quorum te profectum multum curare, et alumnos ipsos propter studia diligere noui, liberalius, quàm hæc tenus, possim sustentare: quibus omnem meam rem post mortem deputaui. Debitum reposcas triginta unius florenorum: aut saltem rescribas quid obftet, ut Testamentarij solutionem differant, uel saltem non rescribant ipsorum de debito soluendo mentem. Ego enim nec unicam literam ab ipsis extorquere possum, quamuis crebrius sollicitando institerim. His me ad omnia obsequia tua promptissimum offero, humillimè tibi me cōmendando subijciens. Quæ iubeo ualere, & secundum Christum uiuere, & Ecclesiæ commodum, ut hæc tenus, promouere. Datum Oeniponti, Nonis Iulij, Anno M. D. XLII.

AMBROSIVS AB OTTERS DORFF, PROTO,
notarius Brunen. Reuerendissimo Principi & Domino, D. Friderico Nauſeæ,
Episcopo Viennen. Domino & Patrono suo modis
omnibus obseruandissimo, S.

Xx 2 Reuerendiss.

Reverendissime Antistes, Domine obseruandiss. Hodie allatae sunt mihi à Praga literae à Domino Iodoco Raufschio, quib. me petijt, ut fasciculū hūc literarū, quē meis incluserat, tibi Viennam transmitterem. Hoc ut facerem quā celerimē, postulabat abs me amor mutuus, & candidus animus hominis: tuaq; erga me summa humanitas et benevolentia, requirebat. Ea igitur hora, qua meas acceperam, nuncium repēri, & ut hunc fasciculum tibi offerret, exorauī. Rogo autem te, uelis id officij à me tanquam paratissimo ad uota ministri, grato suscipere animo. Te nuper, cum Viennae essem, libenter & ex animo conuenissem, nisi tum priuata mea, tum etiam Reipublicae Brunē. negotia prohibuissent. Valeas quā optimē. Me tibi commendatiss. esse cupio. Brunae, III octob. ANNO M D XLII.

ERASMVS STRENBGERVS REVERENDISSIMO Domino, Dn. Friderico Nauseae Episcopo Viennen. Domino suo colendissimo, S. D.

Reuerendiss. in Christo Pater, Domine colendiss. Post humilem commendationem: Quum literas tuas ad me responsuas, tanta humanitate & animi exhibitione refertas acceperim, totus seror in obsequiorum meorum obligationem: & ita obstringor tibi, ut quicquid praestare poterō, minus sit, quā tuae uirtutes & merita expostulent. Percepta igitur tua uoluntate & iussione, utrunq; & nuncium, et Reuerendissimū D. meum Tridentinum, in re huiusmodi accessi, in qua ille generalius, hic particularius se obtulit, designans, quoniam domum Domini Doctoris Stephani Rosini, ipso Domino Rosino adueniente, quasi nimis angustam pro te conducerem: respondit, sibi pro loci istius paruitate acceptum esse, quod esse possit: nempe & dignitate praecellentes, forsā eam commoditatem, quam uellent, non habituros, sanē scio ipsi Domino Rosino gratius nihil accidere posse, quā quod ea hospitalitatis & obsequiorum officia tibi exhiberentur, quae & personae dignitas & uirtutum tuarum merita requirūt. Vbi itaq; istud concilium hic celebrandum, suum habebit progressum, & tu accedere uolueris (de quo, antequam te illinc moueas, certius erit intelligendum) dabo hanc operam, ut tu eam hospitij habeas commoditatem, quam si non pro conditione, saltem pro necessitate locus dabit. Consultum autem mihi uidetur propter expensas euitandas (quae non paruae erunt ob anni sterilitatem) quod tu nō accingeres te itineri, & tam longinquae profectio, donec de aliorum accessione & concilij progressu esses certior. Veniunt quidem tres Legati Cardinales à Beatissimo Pont. designati, ad hoc concilium celebrandum, & sunt in itinere, & propediem hic expectantur: sed stantibus Christianae reipub. maximis perturbationibus, dissidijs, & bellis inter eos, sine quibus quodammodo nihil (nisi adsint)

adsint) fieri ualeat, citius in uanum exibat, quā illud Vincētinum: quando tres Legati illinc quietiori tempore existentes, nemine ueniente, abire infectis rebus coacti fuerunt. Remitto tamen hoc tibi, qui quid tibi pro prudentia tua uidebitur, saltem me antea in tempore admonere dignaberis. Te quicquid euenerit, etiam certiore reddam, & me tui deditissimum & obsequentissimum seruitorem, ad omnia mandata offero & commendo. Tridenti, die VIIII Nouemb. Anno salutis nostrae MDXLII.

ERASMVS STRENBGERVS REVERENDISS.,
D. D. Friderico Nauseae, Episcopo Viennen. S. P. D.

Reuerendissime in Christo Pater & Domine, post humilissimam commē. Hac hora mihi literae tuae redduntur humanissimae, quibus mihi nihil iucundius esse potuit, & quod te tua gratia & benevolentia me tui deditissimū seruitorem prosequi, & quod à Beatiss. Pont. ad concilium uniuersale hic celebrandum te euocatum accipio. In quo nedum reipub. Christianae conuassatae, sed & mihi congratulor, quod mihi te, cui totus addictus sum, complecti derur. Quod autem de domo & habitatione pro te reperienda iniungis, doleo quod in domunculam, quae non minus tua quā Domini Rosini est, à nobis nō suscipi ualeas. Venit enim & ipse D. Rosinus, à Reuerendiss. Domino Episcopo huc uice sua (ut audio) destinatus. Verū omnē operā adhibeo in hoc, ut tibi idoneus locus assignetur. Est autem distribuendorū hospitiorum facultas apud nuncium à summo Pont. hac de causa missum: quem adibo, & nihil praetermittam, ut tibi satisfiat, & quā primū ea de re te admonebo. Interim autem uelim à te intelligere, si coquum tecum adduces, & expensas facies proprias, aut ab hospite tibi & tuis necessaria administrari malis. Caetera à Domino Engelhardo accipies: qui pro te, ut est tui obsequentissimus seruitor, satis negotiū commendañ. callidē scripsit. Tibi me iterum atque iterum commendo, Tridenti, die XI Octob. Anno &c. XLII.

MARINVS CARDINALIS GRIMANNVS, REVERENDISS., D. D. Friderico Nauseae, Episcopo Viennen. S. P. D.

Reuerendissime tanquam frater: Iodocus Geuteinus ad me detulit, te cupere Episcopalem suscipere consecrationē: idēq; optare et rogare, per unū sibi Episcopū, et duos Praelatos, licere cōsequi: quandoquidē plures Episcopi, qui hoc consecrandi munus ex ritu possint obire, tam longē absint, ut magna cum difficultate atque intolerabili serē sumptu sint accersendi. Quocirca uisa est causa digna, ob quam tibi satisfacere conarer. Itaque die XV praesentis mensis Nouemb. S. D. N. in suo secre-

350 AD D. FRIDERICVM NAVSEAM
 to consistorio supplicavi, ut hoc uellet tibi concedere. Cuius sancti-
 tas benignè annuit, & sibi placere respondit. Harum igitur uigore
 & testimonio literarum, poteris, quam supra diximus, consecratio-
 nem suscipere: quod, cum libuerit, facies. cæteris tamē seruatis, de
 iure & ritu seruandis. Bene Vale. Datum Romæ, xxv Nouem-
 bris, Anno salutis MDXLII.

IODOCVS GEVTEINVS, REVERENDIS S. DO-
 mino, D. Friderico Episcopo Viennen. Austria, S. P. D.

Reuereudissime in Christo pater, Domine gratiose, cau-
 sam consecrationis à S. D. N. per me impetrandam, ea
 qua potui diligentia curavi. Et cum apud Reuerendiss.
 Dominos Card. Alexandrū de Farnesio, Marcellum S.
 Crucis in Hierusalem, Marinū Grymannum, eam sollicitus tracta-
 rem, mirum quāta ueneratione, secundū alios, tuas acciperet literas
 Grymannus: congratulando tibi de successu rei in Episcopatu, san-
 ctumq; hoc consecrationis desiderium laudās & exosculans. Actū
 est autem super ea re cum Pontifice maximo in consistorio secreto,
 xx Nouemb. (citius enim fieri non potuit, propter Pontificis pere-
 grinationem) Post cuius finem, cum euentum rei auidè expectarem,
 responsūq; nomine tuo ab eis requirerem, Marinus Grymannus
 Cardinalis tituli Sanctæ Mariæ trans Tyberim, Patriarcha Aquil-
 leieñ. &c. in se solum magno zelo causam hanc transtulit: & respon-
 dit, prout literæ ipsius his adiectæ copiosius habent. Et quum in for-
 ma, ut moris est, eiusmodi consecrationis dispensationem expediri
 cuperem, ipse, mox obstitit, dicens, opus non esse: sufficere suas lite-
 ras, ueluti Iouis tabulas uiuæ uocis oraculo à Sanctissimo Domino
 Nostro acceptas, euidentissimos eius rei & certissimos testes. Id
 quod ego hanc ob causam eum fecisse crediderim, ut tibi manifestè
 ostenderet, quanto studio, amore & reuerentia te prosequatur.
 Quem paratissimum certè ad omnia ea quæ tibi & honori & emo-
 lumento esse possint, quotiescunque tui mentio incidit, experior.
 Fruaris ergo ea facultate & dispensatione & ad honorē Dei & orna-
 mentū ecclesiæ, eiusq; felici successu perpetuoq; incrementō in nomi-
 ne omnipotentis Dei consecreris. Quem sibi, suæq; ecclesiæ, no-
 bisq; omnibus incolumem cōseruet is, qui omnium potestatum et
 sublimitatum uerus est autor, moderator & protector. Datum Ro-
 mæ, in palatio P. M. xxvi Nouemb. Anno &c. MDXLII.

NICOLAUS A' RYCZANO, REVERENDIS S. PRIN-
 cipi & D. D. Friderico Nauſeæ, Episcopo Viennen. S. P. D.

Reuereudissime Princeps, & Domine colēdis, cum pro-
 ximè apud me fuit Ioānes filius, uiso caseolo, assererat,
 te talibus oblectari, per quem, si plurium copia fuisset,
 transmisissem tibi. At nunc ut quantulamcunq; tibi gra-
 tificandi

tificandi ansam nanciscerex, hos domi meæ natos trāsmitto. Et licet
 non sint, qui faciant pro tanti uiri palato: attamen, quæ tua est hu-
 manitas, etiam quātulacunq; ab homine tibi deditis, profecta, boni-
 te consulere non diffido: imò iam spero, te hoc munusculum, nume-
 ro & statura exile, benigna fronte accepturum. Deus te, pro illu-
 stranda nominis sui gloria quā diutissimè saluum & incolumem
 conseruet. Cui me, ut Domino meo colendissimo etiam atq; etiam,
 & Ioānem filiū meum commēdo. Ex Horzouitzio, Dominica Lu-
 cia. Anno Domini MDXLII.

IOANNES RODERICVS, ETC. REVERENDIS S.
 in Christo Patri ac D. D. Friderico, Episcopo Viennen. S. P. D.

Reuereudissime Domine, Patrone humiliter obseruāde,
 literis tuis uehementer sum exhilaratus, quibus primū
 me salutare non es dedignatus. Quāuis id multo, quā
 demeritus sim, honorificentius, præstitum sit. Deinde
 talem erga me dudum speratam beneuolentiam, in fratrem germa-
 nū meum benignissimè collatā, declarare dignatus es, ut nunquam
 tandem de beneuolētia tua erga me dubitaturus sim: imò uerò ope-
 rā daturus, ut omnibus modis hæc & alia mihi oblata beneficia, de-
 mereri possim. Quapropter diligenter oro, ut eundem fratrem me-
 um in tutelam tibi datum accipere, & providere pro sua honestate
 & utilitate gratiose digneris. Hoc mihi dolet, quod ueste nuptiali ca-
 reat: sed impeditus celeritate itineris, id facere coactus sum. Ita enim
 me exorauit, quasi inuitum, ut permitterem illum peregrinationis
 alicuius periculum facere. Quæ prima, ut ex fauore & patrocini-
 o tuo bene illi cedat, uehementer optarim. Cæterum literis, quas fra-
 ter ad me scripsit, ualde nos perturbati sumus, quod charissimum
 D. Ioannē Prasinum Halium, secretarium tuum, morbo decubuisse
 adscripserit. Verum interim nos admonuit, eidem ut salutē deuotè
 precemur. Vtinam tam efficaciter optare hoc contingeret, ut ad uo-
 ta nostra & ad iustas necessitudines tuas conualuisset. Quo factō
 nobis nihil optabilius accidere potuisset. Deus uotis faueat, & te
 diu saluū conseruare, & bene prosperare dignetur foelicissimè. Da-
 tum Praga, Dominica post Lucia, Anno MDXLII.

IODOCVS GEVTEINVS, ETC. REVERENDIS S.
 Patri, opt. Principi D. D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S. P. D.

Reuereudiss. Pater, Domine gratiosiss. Misi xxvi No-
 uemb. huius anni indultū cōsecrationis, præsentia unius
 Episcopi & duorū Prælatorū celebrandæ, firmatū qui-
 dem literis Reuerendiss. D. Card. Marini Grymanni, &
 nō in forma Breuis. Sic enim uoluit fieri Reuerēdiss. D. Grymannus.
 & causam adieci. Sed hæc copiosius tūc scripsi, nescio an literæ meæ
 ad te peruenerint. Nullas em̄ hactenus præter eas quæ xx Aug. p te
 ad me

ad me scriptæ sunt, literas uidi. Si non peruenerunt, redintegrabo negotiū, sed non antea, quam literis tuis admonitus fuero. Cardinales esse Tridenti, te intellexisse scio. Vidi enim Romę literas tuas ad eos scriptas, ex quibus didici, Coloniae feruere sub prælo Catechismum. De profectioe Pontificis hinc ad Bononiam, silent nobiscum nunc omnia, Iubileum tibi intimatum esse non dubito. Regem Franciæ reparare bella etiam in Italia, uidelicet Pedemontis, publica hic est fama. Pontifex fortiter tamen laborat pro concordia horum duorum Principum, uidelicet Imperatoris & Regis, missis multis Breuibus, que uidi. Deus faxit, ne laboret frustra. Hildesheimē & Merseburgen. Episcopos itē hortatur per breuia Pontifex, ad constantiam, & ut suos subditos in uera pietate & religione sustineant, usque ad futuri Concilij determinationem ulteriorem, uti nam possint. De nostris Germanis, ratione belli Hungarici, turpē loquitur uniuersa Italia. Deus largiatur tibi, tuis que subditis, & nobis omnibus, quadragesimum tertium annum foeliciorem, quam elapsum nunc habuimus, & quam reuera imminens nunc lanus multis polliceatur: aut si magis placet, minetur. Datum Romæ in ipsa uigilia Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi, Anni eiusdem MDXLII.

IODOCVS GEVTEINVS, ETC. REVERENDISS.
Præsuli, Domino Friderico Episcopo Viennen. &c. S. D.



Crispi in Ianuario ad Magistrum postarum in Oni ponte, inclusis literis tuis, ut certius & fidelius perferretur ad te, eo quod propter pestem Viennæ sæuientem & diætā Spiren. & nouissimarum tuarū ad me litera tum datum esset, Pragæ II Nouemb. & proin nescirem, quod litere dirigendæ forent. Scripsi item tibi per ueredarium nostrum ordinarium, Februario, sed per paucis: eo quod Reuerendissimus D. meus Cardinalis Brundusinus, uir raræ eruditionis, ante paucos dies naturæ debitum persoluisset: & exequutores, uidelicet Cardinalis Petrus Bembus, Marcellus Cardinalis S. Crucis, Hupertus Gambarus, exequutores testamenti eiusdem Domini mei Reuerendiss. mihi essent primis diebus molestiores, quod librorū habuerim curā, de quib. à me exigunt rationē, tum uel maximē, quasi ego omnium secretorū Reuerendiss. D. mei (bonæ memoriæ) præcipuē ad causam Lutherana pertineñ. sim conscius. Ego hætenus nondum plenē me ex his Labyrinthis exui honestē: conseruaturus honorē meū perinde atq; bonum uirum decet: & ideo prolixius scribere nequiqui. Cardinalis Contarenus, qui literatis Germanis ex animo fauet, v huius discessit, legationem acturus in Bononia. Sadoletus Roma abest, item & Grymannus, fautores tui non postremi. Card. Cesari us, uir integer, prudens, & uerē imperialis, paucis sub diebus post obitum

obitum Reuerendissimi D. mei, & ipse fati concessit. Threnologias distribui inter meū Dominū & Card. S. Crucis, quod ab eis summe commendabatur. Fertur, Turcam & naualem & terrestrem conscribere exercitum. Rumor quoq; est, Turcā Regi Franciæ misisse preciosa munera, & ea Venetijs nūc esse, fortasse neruum belli, pro suppressendo nostro (quod Deus opt. max. clementissimē auertat) Imperatore. Sed an hæc uera sint, nescio. Erit hæc ætas fortasse periculosa & anceps, nisi Deus, & cætera Christianitatis capita provideant. Quid de me futurū sit, adhuc incertus sum. Hætenus aliū Meccenatē Romæ nō quaesitui, eo quod immodestia & furor huius mei defuncti mihi incutiat terrorem, ne faciā Glauci cum Diomede per mutationē. Archiepiscopatum Brundusinū triduo, antequam moretur, resignauit Card. noster, suo ex fratre nepoti, Dn. Francisco Aleandro, qui & nobiscum fuit in legatione Viennæ, consentiente Pont. Max. Mox exactis omnibus seruitoribus, et alijs presentibus, pronunciauit suum, quod fieri cupiebat, Epitaphiū, quod hoc disticho clausit,

Κατανοοῦ ἐν ἀίωνα, παύσομαι ὀρὴ πένθητος
Πολῶν, ὡν περὶ δέμ' ἀλγίων ἦν θανάτος.

Sunt plura eius composita Epitaphia, quæ suo tempore mittam. Datum Romæ, ex curia Brundusina, VI Martij. Anno M D. XLII. D. Simonē Eckiū, cum tota familia tua, saluere cupio, et bene ualere. FRANCISCVS BARO DE TVRRI, ETC.
Reuerendiss. in Christo Patri ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. S. P.



Reuerendissime in Christo Pater ac Domine: Præmissa officiorum meorū paratissimorum cōmendatione. Sacratissima Rom. & c. Regia Maiestas, Dominus meus clementissimus, mihi tanquā indigno suo comitatus Goertzi Capitaneo, aliquot generalia mandata, causā quotidianæ eiusdemq; Christianæ precationis, quam sanē fieri summa necessitas expostulat, mittere dignata est. Quæ proinde quā primū, ut decet, omnib. substitutis superioritatibus, tam spiritualibus quā secularibus, et misi, & aliās publicauit. Quia uerō in dictis Regis mandatis tua de pia precationis Dominicę declaratione mentio fiat, et omnibus legere sciētibus, patribus familias & concionatorib. ut ipsi singulis septimanis ad minus semel eandē piā declarationē legant, & familię uel subditis predicēt, iniungat (quod etiam, ut obedienter exequat, curabimus) et in has nostras partes nulla Germanica impressio uenalis aduehat, etc. te hisce interpellare coactus, summo opere rogo, quatenus unū atq; alterū dictæ declarationis tuæ exemplar, generoso D. Hieronymo de Attimis, Regio Senatori & Consiliario, Viennæ nunc agenti, fauorabiliter per aliquem familiarem exhibere digneris. Is mihi, quicquid huius est rei, cōmodē transmittere poterit.

terit. Id quod omni studio erga te pro uirili mea sum recompenfaturus. Hisce me tibi diligentissimè commendo. Datum Groetz, XI die Septemb. Anno Domini MDXLII.

EPISTOLARVM MISCELLANEA

RVM AD D. FRIDERICVM NAVSEAM BLANCICAM.
pianum, Episcopum Viennensem, singula-
rium personarum, Liber
Nonus.

FERDINANDVS DEI GRATIA ROMANORVM, HUNG.
& Boemiae, &c. Rex, etc. uenerabili Friderico Episcopo Viennen. etc.



ENERABILIS, dilecte deuote: Quamuis tibi ante discessum nostrū e Vienna inuixerimus, tempusque certum statuerimus, quo te ad conciliū Tridenti indictū parare, ibidemque cum cæteris nostris cōsiliarijs, & alijs isthic deputatis, iuxta instructionem à nobis datā agere & tractare deberes: cum uerò in tam breui spacio tēporis tua illic præsentia non opus sit, suademus, ut te, donec aliam nostram mentē audiueris, domi cōtineas. Hæc pro temporis exostulatione tibi significare uoluimus. Datæ Norinbergæ, in nostra Imperiali ciuitate, x x Ianuarij. Anno Domini MD XLII. Imperij nostri, Rom. XIII, aliorum uerò XVII.

VRBANVS TEXTORIS REVERENDISS. IN CHRISTO
patri et D. D. Friderico Episcopo Viennen. dignissimo, etc. S. P. D.



REuerendiss. in Christo Pater & Domine, D. obseruatiua dis. tibi ex humili & debita mei cōmendatione diuinæ gratiæ & salutis incrementum, nec non Episcopalis muneris iam cōsequutæ dignitatis deuotissimū ministeriū & foelicissimā cōsummatōnē precor ex animo. Literas XVII Ianuarij per te datas accepi, easque iuxta superscriptionem earundē distribuēdas curauit: præter illas quæ D. Matthiæ pertinent. Nam triduo antequā eas accepissem, utpote secunda Februarij (nam antea non licuit illi abesse) hinc ob cōmissum negotium tuum abscesserat: tamē & illas aperiens perlegi, prout ipse in recessu cōmiserat. Postremò mihi iniungis, quum aliquid rescribendū esset, ut Tridentum ad hospitem tuū mitterem. Attamen cum adhuc in dubio est, nū sis tam breuiter illuc profecturus, nec ne: uisum mihi est, ut Viennam potius mitterem, sperans te adhuc ibidem existentem. Quem in longa tempora foeliciter uicturū, & subditum gregem uigilantissimè & pientissimè pasturum, cordintimè optarim. Quod & annuat & promoueat largissimā diuinæ clementiæ munificentia. His me tibi quam subditissimè commendo. Ex Norinberga, IIII Feb. Anno, &c. XLIII.

Paulus

PAVLVS PAPA TERTIVS, VENERA-
bili fratri Friderico Episcopo Viennen. etc.



ENERABILIS frater, salutem et Apostolicam benedictionē. Cum mittamus ad Prelatos & Principes Germaniæ, pro negocio pacis ac fidei catholicæ, uenerabilem fratrem Ioannē Thomam Episcopū Cauensem, nuncium nostrū, præsentium exhibitorē, iniunximus ei ut te quoque adiret, & super utraq; re tecum loqueretur. Ideo fraternitatem tuam in Domino hortamur, ut ipsi Ioanni Thomæ Episcopo, Nuncio, plenā & indubiam fidem adhibeas: & talem te in utraq; re præstes, qualem tuum officium, uirtus & probitas à te exigunt, & nobis pollicentur. Datum Romæ, apud S. Marcum, sub annulo Piscatoris, die XXVI Augusti. Anno MD XLIII. Pontificatus nostri anno IX

FERDINANDVS DIVINA FAVENTE CLEMEN-
tia Rom. Hungariae, Boemiae, &c. Rex, &c. Venerabili Friderico Nauseæ
Episcopo Viennen. etc.



ENERABILIS, deuote, fidelis, dilecte: Redditæ sunt nobis literæ tuæ XXII mensis Ianuarij proximè præteriti ad nos datæ, quibus tibi de expensis in legatione ad conciliū necessariò faciendis, à nobis prouideri petiisti. Nō dubitamus autē, te iam nūc accepisse literas nostras, quibus tibi permittimus, ut te Viennæ contineas, & ad concilij celebrationem non proficiscaris, nisi denuò id tibi à nobis iniunctum fuerit. Quamobrem pro nunc, neque expensarum curationē necessariam esse duximus. In casu uerò, quo te eò proficisci uoluerimus, clementer memores erimus, tum etiam de expensis necessarijs tibi prouidere, ut eo legationis munere cum dignitate fungi possis. Datum in nostra & Imperiali ciuitate Norinberga, die XI mensis Feb. Anno Dn. MDXLIII. Regnorum nostrorum, Romani XIII, aliorum uerò XVIII anno.

PAVLVS PAPA TERTIVS, VENERA-
bili fratri Friderico Nauseæ, Episcopo Viennen, etc.



ENERABILIS frater, salutem & Apostolicam benedictionē. Non possumus non ualde mirari, quòd, licet Oecomenicum uniuersale conciliū tantopere ab omnibus, precipueque à cuncta Germania, exoptatum, in ciuitate Tridenti, uobis commodo & desiderato loco indixerimus, indictione eius in superiore dicta Norinbergen, per nuncios nostros publicè ac generaliter intimata, tribus quoque Legatis à nostro latere Tridentum missis ad illud præparandum, teque & alios conuenientes excipiendum: tamen tua fraternitas, quamuis iussa à nobis, & suo etiam astricta officio, nec ad ipsum conciliū profecta est, nec curauit ut Abates & alij Prelati tuæ diocesis proficiscerentur. Quamuis autē ad tuum Metropolitanum super hoc scripserimus, tamē cum rem tam

Yy 2 salutarem

salutare omnino aggredi, nec ulterius prorogare uelimus, cum praesertim tua tarditas alios retardet ad ueniendum, uideamusque quotidie pericula Christianae Reipublicae impendenda fieri & maiora, & propinquiora, nisi mature occurratur: ad tua quoque fraternitatem scribendum duximus, tibi distincte praecipiendo mandantes, ut sicut ex debito teneris, quam primum ad ipsum conciliū cum Abbatibus, & alijs Prelatis tuae dioecesis conuenias, omni dilatioe cessante, ne praeter offensam etiam poenas contra tales promulgatas incurras. Vt autem studium huius rei nostrum tibi esset manifestius, misimus dedita opera, dilectum filium Othonem Truchses Baronem, Camerarium & nuncium nostrum, haec eadem plenius explicaturum. Cuius uerbis aut literis plena tua fraternitas fide habebit. Datū Ro, apud S. Petrum, sub annulo piscatoris. Die XVIII Feb. Anno XLIII. Pontificatus nostri anno X.

ANDREAS DEI GRATIA ABBAS LUCEN. REVERENDISS. in Christo patri et Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. etc. S.



Reuerendiss. Praesul, Quod ad culmen pontificiae dignitatis, sis gratia Spiritus sancti sublimatus, gaudeo ex animo, et Deo opt. max. gratias ago. Non ambigo, talem nobis Deum dedisse Antistitem, qui nobis spiritualibus et plebi uigilans pastor et patronus, exhibiturus sit suam operam ac diligentiam, &c. Proinde, quia te accepi sacros Clericorum ordines publice celebrare, rogo te, & humiliter peto, hos meos praesentes fratres in altiores ordinis gradus ordinandos promouere digneris. Tibi me, meosque omnes commendatos offero, in Christo addicissimos. Datū in Lucen. coenobio, VIII Martij, Anno XLIII.

PAVLVS NEYDECKER PRAEPOSITVS S. GAN-
golphi Bambergae, etc. Reuerendissimo in Christo patri et Domino, Domino
Friderico Episcopo Viennen. S. P. D.



Libenter intellexi ex litteris tuis, te pro sereniss. D. N. Rege concessurum Tridentum ad conciliū. Egoque effeci apud Reuerendiss. D. meum Bambergensem, ut ipse emittat ad idem conciliū Reuerendiss. D. Ioannem Grae. Eckelsheimium, qui pulpitum praedicationis in cathedrali Bamberg. Ecclesia per annos XII, uel ultra, integerrime tenuit, bonae literaturae, atque uitae. Qui in itinere Ingolstadtij assumet gradum doctoratus Theologiae, atque cum D. Io. Eccio Theologo, cum primum ab eodem euocatus fuerit, pariter Tridentum concedet, abinde a facie tibi notior futurus. In praesens, multis in locis nobiscum per Germaniam, pro Caesare magnis numeris conscribunt milites, pro grauius bellis futuris: in Italia alij, alij ad Belgas ducendi. Nec dormiunt Gallici, occulte & ipsi milites medicantes. Deus stare dignetur propitius a parte nostra. His scelicis ualeas. Datum Bambergae, die III Feb. anno Domini MDXLIII.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC
Domino, Domino Friderico Episcopo Viennen. etc. Otho Truchses Baro
in Vudpurg, Nuncius Apostolicus, S.

Reuerendiss.



Reuerendiss. Domine, Domine obseruandissime, cum sanctissimus D. N. Paulus Pont. max. pro suo summo in rempublicam Christianam amore & officio, conciliū superiori anno Tridenti indixisset, spem non dubiam conceperat, posteaquam tot tantosque ea in re labores subiisset, cunctos Christiani orbis principes, uolentes lubentesque Tridentum uenturos, maxime cum eisdem & locum & indictionem concilij uotis suffragijsque suis comprobassent. Sed quia praeter spem & opinionem suam animaduertit, omnes ferè status Ecclesiasticos tardiores esse, muneris sui pastoralis arbitratus est, nulla ratione deserere imperfectum, nec relinquere opus tam piū, sanctum & necessarium, tantisque laboribus atque altercatione partium, uix tandem aliquando institutum. Itaque me rursus cum mandatis ad Imperatorem Norimbergam ablegauit, ut congregatos ibidem Archiepiscopos, Episcopos & Praelatos, moneat, hortaret, iuberet, ut sine longiore mora, aut cunctatione ulla ad conciliū Tridentum proficiscerent. Huic conuentui te quoque interfuturum speraueram, quo casu data mihi esset, quod quidem imprimis optarem, coram conueniendi ac colloquendi occasio: sed cum id & secus acciderit, & ego tantis curis atque occupationibus Pont. distringar, ut nulla omnino mihi quietis pars, nedum tempus & spatium ad te ueniendum concedat, Breue S. D. N. mittendum duxi, simulque litteras dandas, ex quibus uoluntatem eius ac mentem plenius perspiceres. Nam quanto animi dolore ecclesiae discordias ac schismata S. D. N. & tulerit & ferat: quanta item uigilantia, cura, assiduitate mederi illis atque opitulari cupiat, tametsi ex plurimis S. eius sermonibus atque tractatibus, perspectum omnibus esse arbitror, tamē in hoc concilij negotio praclarum pietatis, studij & amoris sui erga ecclesiam Catholicam, ac inclitam Germaniae nationem, quam singulari animi sui affectu, propensaque uoluntate professum, testimonium exhibuit. Quanquam enim tam praecipites ac periculosi bellorum motus nuper in Imperio et ubique subito concitatis, itaque a ueritate utriusque ferè partium a pace concordiaque uoluntates, immutatae etiam Pont. propositum, aut certe quod minus institutum perageret conciliū praepedire poterat: tamen hic omnibus malis adeo non concedit Pont. animus, ut etiam magis confirmatus esse uideatur. Quippe qui non modo spem coepti operis absoluendi deposuerit, uerum quae plura obstant, seseque in uoluit, eo maiori alacritate contentioneque eundem censeat. Quae de re iam pridem tres Card. de latere suo legatos, uiros doctrina, integritate, uirtute morumque sanctimonia praestantes Tridentum misit: quibus eadem die in die Episcopos, Praelatosque alios Italiae addit, quo eorum exemplo Germaniae Principes & status excitent. Quin et ipse Pont. max. tam graui iam in eitate positus, nulla commodorum, nulla ualitudinis ratione habita, ipsa hyeme ac tempore asperrimo iam Ro. profectus est, sequenti Pont. noniam, locum uidelicet concilio proximū, recepit. Quamobrem S. D. N. nomine ac loco te moneo, hortor ac iubeo, primum ut summam ac constantem, Post, uoluntatem, cum erga conciliū, tum erga publicam et ecclesiam et Imperatorem.

Yy 3 tranquill

tranquillitatem diligenter consideres: deinde grauissima ac difficillima pericula quæ imminent, quæq; nulla alia ratione, ope ue, nisi habito celebratoq; generali cōcilio, propulsari poterint, piè ad animū recipiat. Deniq; ut Episcopalis tuæ dignitatis munera, partesq; pro eo ac par est, perpēdas. Quo factō, nequaquam ambigo quin perlectis Pont. Max. literis, et iustam illius ac debitam obedientiam, reuenter exhibiturus sis, & confestim ad concilium profecturus Tridentinum. Ad quod te pellicere ac commonere debent, non modò iam positæ rationes, grauissimæ ille quidem, maximeq; necessariæ, uerum multo magis etiam ira diuina, censuraq; Pontificia. Neque enim dubitandum est, quin si uocem pastoris tui audire neglexeris, pœnas & Deo & Pontifici, qui eas tenetur officij sui ratione exigere, daturus sis. Quapropter non puto necessariū te pluribus commonefacere, quando te, qua es pietate ac mansuetudine, omnes muneris tui partes hac in re diligenter ac sedulò effecturum confidam: maximè si perpenderis, suæ quemq; oportere uillicationis rationē reddere. Tibi omnia mea studia, obsequia & officia, prōpta atq; parata polliceor ac defero. Datum Norinbergæ, xviii Aprilis, Anno Domini MDXLIII.

IODOCVS GEVTEINVS, ETC. REVERENDISS.

D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S. P. D.



Reuerendissime Princeps, Domine gratiosiss. Literas tuas xv Augusti, Anno XLII ad me datas accepi, unā cum libellis, oratione uidelicet cōtra Turcas: & nūc per quatuor ueredarios, siue postas, ut uocant, ordinarias, ad omnia satis copiose respondi: eadem ferè repetens, cum alia in cominissis à te non haberem, neq; hic aliquid occurreret ad te scriptu dignum. Misi etiam ante aliquot menses literas Reuerendiss. Patriarchæ Aquilegiens. D. Marini Grymanni, super consecratione, quam ipse personaliter unā cum alijs Cardinalibus Pontifici max. procurauit, & cur literas eas sufficere uoluerit, causas adieci. De consecrandis quoq; alijs sacerdotib. rationē & mentē Pont. satis superq; scripsi. Nihilominus ab eo die, uidelicet xv Augusti, nihil amplius uidi literarū tuarū. Vnde id procedat, nō intelligo. An tibi eiusmodi meis responsis non satisfiat, aut sint emuli, qui literas intercipiāt: aut certè in his bellorū & heresum (quā p̄cipuā causam iudico) motib. ita urgearis, ut maiorib. intentus horū faciliè oblitiscaris, &c. Respōsa mea toties missa nunc iterū repetere nō est consiliū, eo q̄ crediderim, nō esse possibile, quin aliqua saltē ad te peruenerint. Ne tamen omnino uanę nunc sint literæ, hæc subijcere placuit, quæ per Romā passim iactant, neq; palatū Pont. aliud personat. Conciliū omnes loquunt et intonāt. Legatos tres esse Tridentum missos, et q̄s antea sepe scripsi. Nunc publicū est per urbē, in capite quadragesimæ Bononiam uelle proficisci Pontificem max. ut ibidē propior existens, rebus

rebus concilio necessarijs, cōmodius & presentius consulere & providere possit. Imperatoris quoq; aduentus ad idem tempus expectatur, & quasi pro certo habetur. Granduellā apud uos esse in Germania, & nos scimus. Hæc te latere nolui: neque aliud nunc habeo, quod scribam, quā quod hisce te ex animo bene ualere optem. Ex palatio summi Pont. in cubiculo D. Bernhardini Masæi, xxviii Ianuarij, Anno M. D. XLIII.

HIERONYMVS VERALLVS EPISCOPVS CAS.
sertanus, Nuncius Apostolicus, &c. Reuerendissimo in Christo patri & Domino, Domino Friderico Nauseæ Episcopo Viennen.
&c. S. P. D.



Reuerendissime & obseruadissime Domine, &c. Tempus est iam, ut scribēdi contumaciā purgem, silentiūq; dicacitate compensem: & nisi timerē tibi molestiæ esse magis quā solatij, crebriores darē literas, utpotē qui studendi assiduitate implicitus, laboribusq; uerbi Dei animabus illis tibi concreditis concionandi, nauseam & amarulentiam quandā potius, quā solatium ex ipsis literis sis recepturus: malui tamē hac uice mihi ipsi satisfacere, quā respectum aliquem ad eas molestias habere, quas literæ allaturæ fuissent. Quoniā ob uirtutum tuarū merita, tanta est mea erga te obseruantia, tuorūq; erga me meritorū magnitudo, ut nulla sit unquā obliuio eorū memoriā deletura. Tamen si uires non suppetant, ut animi tui magnitudinis meis cum seruitijs particulā quidē pertingere ualeam. Ille uerò est in me animi candor, ac perfecta uoluntatis propensio, ut nulla seruitiorū erga te præstandorū tepiditas, nulla penitus frigiditas, negligentia ue reperiri possit. Bonoq; sis animo, quoniam ultra ea quæ apud sanctiss. D. N. in uirtutum tuarū commendationem hætenus effeci, indies magis (data temporis & rei opportunitate) efficiam: nec desistam, donec fructum aliquem mearum cōmendationum sis cōsequuturus, illumq; non equidē leuem. Et si (quod absit) omnia mihi deessent, illud unū à me auferrī nō posse probè scio, ut præco uirtutū tuarū publicus futurus nō sim. Addo, quod etsi me indigniss. Christi Iesu seruū iudicē, ero nihilominus in orationib. meis tui, tuorūq; omnium semper memor. Proinde nudius tertius cum essem cū Regia Maestate, Domino nostro clementiss. incidissetq; de cōcilio uniuersali sermo, inde capta occasione, dixi te esse promptiss. accingendi te ad iter Tridentū uersus, ea præcipuè ratione, quod particularib. literis, etiā in forma breuis nūc recētus à S. D. N. summa cum instantia fueris accersitus, maximè cum contuenerint iam multi Episcopi ex Italia, et ex Germania aliqui partim applicuerint, ut Reuerendissimus Hildesheimen. & Suffraganeus alter Reuerendissimi Cardinalis Maguntin. partim uerò, ut Eystetten. Chiemen. & nonnulli alij sint in itinere: reliqui uerò uel infirmi, uel aliàs ualeudinarij & senes, decreuerūt suos nuncios

nuncios siue commissarios ablegare. Et in reditu S. D. N. uersus Bononiam, mittentur reliqui Episcopi, qui curiam sanctitatis suae sequuntur. Procurabitq; S. sua cum S. Caes. Maiestate, ut Hispani etiam conueniant. Itaque res esset & dignissima, & admodum necessaria, quod sua Maieestas suos etiam Episcopos ablegaret: inter quos quia promptissimus es tu, sed tamen pauper, cui debent expensae per Regiam S. Maiestatem subministrari: non debet sua Maieestas tam diu tardare, quin te mittat. Respondit se ignorasse conuentum illum Episcoporum, sed bene recepisse literas a te, quibus insinuabas te a Sanctissimo D. N. denuo uocatum: & quod sua Maieestas fuerit in causa, quod te non iuuerit hactenus: tamen quod non negligeret in futurum, & daret omnino omnem operam, ut expensae ipsae subministrarentur, & concessa licentia te ablegaret. Vellem Reuerendiss. Domine, quod eo tempore, quo S. Dominus N. degit in partibus illis, ires Tridentum: & deinde, si daretur commoditas, Bononiam, uel Placentiam usque. Ego autem apud suam Maiestatem nunquam defestam, usq; quod fias uoti compos. Valeas, & me sedulo comendatum uolo. Ex Praga, die XI Maij, Anno salutis MDXLIII.

IOANNES HASENBERGIUS REGIORVM LIBERORVM
ILLVSTRIVM, Praeceptor, &c. Reuerendiss. in Christo patri & D.
D. Friderico Naufae, &c. Episcopo Viennen. &c. S. P. D.

Reuerendissime atq; pietissime Domine Praesul, & Patrone obseruadissime: Felicem tibi precor uiam, ut aliquid tandem pro facienda disruptissima (liceat sic scribere) Germania, & ipsa adeo religione constituitur. Rogo te mi Domine Naufae, Episcope doctis, simul & disertissime, ut Italici & Hispanici rerum Germanicarum statum aperte patefacias, ut quid sit opus factum, et uniuersali decreto semel tandem constituent. Ignorat enim (& ignorari uult) hoc hominum genus, quae nam & quam dura, imo Diomedea, ut dicitur, sit necessitas in Germanis. Multa etenim facile est nobis tolli possunt: plurima alteri parti concedi, si animum saltem ad pacificandam rempub. Christianam aduersus. Ecquis enim clausit manum ecclesiae Dei? Ecquis Spiritui sancto conclusit dexteram, in componendis talibus dissidijs? Age itaq; S. pacem, concordiam que summis, quibus potes, uiribus & conatibus urge. Hec generatim, si adfuisssem, speciatim multa dixissem. Sed interim satis cito. Serenissimi Archiduces nostri munus reces charitaceum oblatum alacri & gratiose animo acceperunt, & Dominum Naufeam commendatissimum habet. Sed male habet praecceptorem, D. Naufeam neq; sibi scribere, neq; alioqui scribere: qui hoc fiat, sese ignorare. Rogo ut aliquando ex concilio mihi duo scribas uerba, si uacauerit. Bene uale, optime Praesul & patrone, citissime. Lincij, uigesimo tertio Maij, Anno, &c. XLIII.

Ioannes

IOANNES A RIZANO, &c. REVERENDISSIMO
in Christo patri & Domino, D. Friderico Naufae, Episcopo
Viennen. &c. S. P. D.

Reuerendissime Princeps, Domine gratiose, Etsi ad tempus praefinitum Viennam non redeam, non est quod uel mireris, uel (quod ego te maxime oraui habeo) egeres, cum certe id non data opera, nec (ut aliquis obijcere posset) eius gratia, quod hic adeo amicorum conuersatione delecter, faciam. Nam, ut ingenuè fatear, malim apud te, uacua & gratiosissima praesentia frui. Tempus enim id quo hucusq; a te abfui, omnino mihi longum & tediosum interim uidei existere. Cui etiam infelicissimè accedit charis. Domini patris mei aegritudo, qui admodum grauiter nunc decumbit, meq; penes se se paulo diutius detinet, donec malum aliquanto remiserit, ubi tandem sine ulla mora te sum reuisurus, Deo fortunante. Spero enim malum id non diu duraturum. Is itaq; cum imbecillitatis gratia proprijs literis te salutare non potuerit, orat, ne sibi uitio imputetur: mihiq; id muneris in te salutando dedit, ut eius ego nomine te salutem quam officiosissimè. Què ut nobis Deus opt. max. in multos (uti uerè mereris) annos feliciter superstitè seruare dignetur, optat, seq; tibi humillimè comendat. Hucusq; adhuc mihi omnia satis feliciter cessere. Pragam saluus ac incolumis, Deo sit laus, perueni: & literas omnes, quas recepi, cuilibet, prout mihi committere dignaberis, reddidi. Quam autem clementer Serenissimus Rex noster eandem receperit, ubi uenero, indicabo. Nunc autem, ne per me possis in aliquo remorari, uel etiam damnum incidere, Pragam (ut cunq; tamen malè habente D. patre) redij, ut eos saltem, quibus literas a te detuli, ad scribendum iterum, cum iam Reuerendo doctissimoq; Domino Primo Lacunario, Regio Sacellano, &c. dignis. hinc Viennam uersus soluendum esset, excitarè, perq; eum transmitti eas ad te curarem. Noui nihil est quod scribam, nisi Boemos iam aliquam partem exercitus congregasse, ut arcere possint hostes a limitibus huius regni. Cum reliqua uerò parte ita paratos esse, ut omni etiam tempore ita sint instructi, ut si necessitas exposceret, hosti obuiare possint intrepidi. Dijs coepta fortunè. Quod reliquum est, opto te pro uoto tuo meliori ualere, mei gratiosè memorem. Cui me tanquam famulum tibi deditis, humillimè commendando, oroq; has meas ut cunq; incultas literas, nec tanto uiro lectu dignas, boni pro tua innata humanitate & incomparabili beneuolentia consulere digneris. Datae Pragae, III Augusti, Anno Domini M. D. XLIII.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET
Domino, D. Friderico Episc. Viennen. &c. Vuolfgangus Abbas Viennae
apud Scotos, & Franciscus Praepositus apud S. Dorotheam
ibidem, S. P. D.

Zz Reueren.

Reuērendissime Præful, Domine gratiosiss. Debitæ nostræ obseruationis reuerentia præhabita, deuotam nostram erga Deum precationem tibi præferimus. Sanctissimi Domini nostri Pauli diuina prouidentia Papæ tertij, collapsæ ac labefactæ Ecclesiæ Christianæ religionis, iam inde iterum in omnipotentis Dei laudem restaurandæ institutū atq; propositum, satis à te intelleximus. Cæterum ex quo ad indictum salutare concilium uisitandum, uel celebrandum tibi, sub cuius tutelari ditione atq; cura, nos tanquam subditi merito optimoq; iure degimus, maior tum intellectus, tum etiam eruditionis gratia data, splendidiusq; scientiæ lumen præ alijs à Deo optimo maximo sit concessum: nos equidem summam spem atq; refugij fiduciam in te, tanquam ordinarium nostrum, planè ponimus, fixeq; locamus. Interim maximè petentes, quò tu nostræ emanationis, siue absentia gratia, quod minus unam aut plures personas idoneas loco nostro, unà cum pleno mandato, sufficientiq; instructione ad iam iam imminens, & exordium sumens conciliū, ad monitionem tuam literis factam, remittimus ac subdelegamus: si res ipsa requirat, nos gratiose atq; benignè dignetur defendere & excusare, causis præsertim ob oculos uersantibus, periculosis temporibus, actotius Christianitatis hostibus in nostros fines apparentibus incursionibus: quæ quidem incursiones ac hostium inuasiones, singulis diebus, sicuti communis ad nos ex omnibus terrarum partibus, perfertur fama, summè, proh Deum fidem, pertimescendæ ueniant. Iamq; extrema quasi necessitas atq; calamitas nobis, nostrisq; capitibus imminet. Atq; huius quidè rei gratia abito hinc, reiq; nostræ domesticæ curandæ desertio, nobis periculosa admodum, uti etiam tu longè melius, atq; nos, dispicere poteris, atq; ponderare, esset futura. Ad hæc etiam, quod nunc tēporis idoneus quispiam, & ad rem aptus mandatarius loco nostro compariturus, non ita facile inueniri possit. Cuilibet namque hisce dubijs & periculosis temporibus, sua impedimento sunt negocia. Quum itaque tu, cui peculiariter gratia à Deo concessa, dictum, atq; adeò diuinum animi institutum in opus conferre (ut aiunt) atq; deducere semel decreueris: Nos iterum atq; iterum tibi humillimè supplicamus, quo tu totius Christianæ religionis nuncius (ubi nō dubium quin Deo opt. max. rem admodum placabilem præstiturus, & ad omnes Christianæ religionis amatores perpetuam nominis memoriam transmissurus, laudem etiam ac gloriam nunquam interituram sis consequuturus) hoc etiā onus nostri causa dignere suscipere. quo imperato, nos uicissim, ubi diuina gratia sanctiq; Spiritus infusione, religionis causæ fuerint compositæ, tranquillitati atq; paci data, truculentusq; Christianitatis, atq; adeò omniū hostis fractus, & à nostris regionibus fuerit depulsus: equidè pro rerum nostrarum

nostrarum tenuitate erga te nō ingratos, nec beneficiorum immemores futuros pollicemur. Interim, si quid reliquū est, nos tibi, sicuti & alij prælati erga suos ordinarios, in omnibus de meliori nota, modo, uia & forma tanquam deditis, commendantes. Datum Viennæ, xx mens. Junij. Anno, &c. XLIII.

IOANNES EPISC. MISENEN. REUERENDISSIMO

Principi ac Domino, D. Friderico Nauseæ Episc. Viennen. &c. S. P. D.

Binas à te literas, Reuerēdissime Pater, accepi, mihi sanè gratissimas, tum quòd tuæ erāt, tum quòd amorem erga me tuum mihi abundè satis declararent. Habeo igitur & ago tibi gratias quas possum max. pro tanta, qua immerentem me cōplecteris, animi tui beneuolentia. Et Christum precor, ut mutuam dilectionem hanc nostram, Spiritus sui afflatu prouehere, & usq; ad extremā horā perpetuā esse uelit. Ad literas uerò tuas respondissem sanè iam dudū, si modo ulla mihi fuisset aut tabellionum copia: aut si existimassem, in Episcopatus tui limitibus te reperiri posse. Te em̄ ad conciliū hoc Tridentinū à Serenissimo Rege Ferdinando propediem mittendū esse, affirmabāt apud nos multi: idq; fermè significabant literæ tuæ posteriores. Utinā uerò Dominus IESVS pro sua bonitate effecisset, ut siue per hanc professionē tuā, siue per aliā quamuis occasionē, me inuisere potuisses, aut posses: nihil erat, aut etiam in posterū erit, mihi futurum iucundius. Sunt enim permulta, quibus de libenter tecum communicarem, hoc præsertim tempore, quo sub grauissimo iugo laborat & sudat Ecclesia Christi, ita ut spirare uix possit, aut etiā audeat. Pro libellis tuis gratias tibi ago. Video em̄ te sanctū operari opus, atq; in instauranda Domini domo, sicut sapientē decet architectum, te occupatis, esse. Pro quo tam pio conatu & labore, Dominus Iesus retributionis suæ tempore, uberem tibi mercedē est repositurus. Offert se tamē exiguum aliquid, in quo nō per omnia tecū sentio. Sentis enim, indicti concilij locum mutandum, atq; Ratisbonam usq; transferendum esse. Ego uerò existimo, non admodū in tempore hæc à te moneri. Neq; enim uideo tam urgentes causas, propter quas Tridentina ciuitas non possit non haberi pro loco commodissimo, in quem multi sancti & boni uiri de fide & religione Christiana, deq; instaurandis pijs ritibus consulturi confluant. Poterit fortassis iter hoc remotioribus Germaniæ partibus uideri aliquanto durius, quam quòd pleriq; citra laboris molestiam uel ingredi, uel conficere possint. At reliquis nationibus. Hispanis uidelicet, Gallis, & partim Italis, qui pro gloria Christi (ad cuius corpus & ipsi pertinent) sua nobiscum uota & consilia conferre obstringuntur, altius Germaniam ingredi, multo fortassis erit molestius, quam nobis Tridentū usq; proficisci: Id quòd ego ex aliquot Episcoporum & fratrum nostrorum ad me literis intellexi. Illorū autem qui linguas callent, poterit etiā Tridenti haberi copia: atq; ita for-

rafsis, ut ciuitas ea in hoc Ratisbonæ nõ sit cessura. Hic quoq; mecum cõtemplor & reputo, quot nobis interea depereũt, & ab Ecclesiæ sinu abripiuntur animæ: dum uel per hãc, uel per alias huiusmodi, ut mihi uidetur, curiosas satis deliberationes, protrahit negocium tam necessariũ, tamq; salutare. Quod sanè iam dudum, & antequã tam latè serperet cancer ille, nunc fermè incurabilis, maturatum esse oportuit. Sed hæc, doctissimè Præsul, nõ ideo ad te scribo, ut nõ existimem te accurato in hoc esse iudicio, sed ut saltè animi quoq; mei sententiã tibi, fratri mihi in Domino obseruãdis, explicatã & declaratã hac in re esse cupiã. Cuncta aut, quæ in suã futura sunt gloriã, pro clemẽtia sua moderabit & disponet D. IESVS ouilis sui custos, et pastorũ princeps. Nouarũ rerũ, etsi nemo mihi quicquã in angulo hoc cõmunicet: fama tamen ad nos delatũ est, ualidam equitum & peditum manũ iam in Boemia collectã, eamq; in tres cuneos partiendã esse. Quorsum uerò tendat tantus ille apparatus, declarabit tempus. Ego te in tanto nunc rerum motu sub umbra alarum Christi saluũ esse, & semper bene ualere cupio. Datum in arce mea Stolpen, IIII. Octob. Anno, &c. XLIII.

FERDINANDVS DEI GRATIA ROM. &c. REX,
Friderico Nausee Episcopo Viennen. S. P. D.



Onorabilis, dilecte, deuote: scripta tua XVIII. & XIX. dieb. nuper elapsi mensis Augusti data, unã cũ introducta supplicatione accepimus, & intelleximus. Excusationem absentia tuæ humilè clemẽter admittimus, singulari etenim & gratiosissimo nobis est beneplacito, quod te hisce grauissimis & formidãdis bellorũ casibus Vienna apud plebeculam tibi concreditam contineas, illiq; in summa hac calamitate, uerbi diuini prædicatione solatio sis, & cohabites. Ad grauamina tua, quæ prius etiam nobis ob oculos posuisti, posthac tibi respondimus: te & Episcopatũ tuum, nunquam non commendatos habituri. Quod te, ad memorata scripta tua, gratiosum responsum nostrum latere nolimus. Datum in ciuitate nostra Znoima, V. mensis Septemb. die. Anno, &c. XLIII. Regnorum nostrorum, Ro. anno XIII. aliorum uerò XVII.

FERDINANDVS DIVINA FAVENTE CLEMEN-
tia Rom. Hungaria, Boemia, &c. Rex, Friderico Episc. Viennen, &c.



Enerabilis, deuote, nobis dilecte: redditæ sunt nobis ternæ literæ tuæ, ad nos, VI. XXI. & XXIII. Aprilis mensis proximè præteriti datæ: ad quas hisce unis respondimus. Et quantum ad profectiõnem tuam ad Conciliũ attinet, quia tu à nobis pro Oratore nostro ad illud cum nonnullis alijs deputatus es, & tamen nondum necessariũ esse uidemus, ut tu nomine nostro eò proficiscaris, consultum nobis uidetur, ut istic Viennæ maneas, & Episcopali tuo munere officioq; quemad-

quemadmodũ tibi Praga discedẽti deliberatũ fuisse, ad nos perscripsisti, id quod nos sanè clemẽter et magnopere pbamus, fungaris. Quãdo aut operæ precii esse cognosceremus, te à nobis ad Conciliũ mitti debere: nos tunc te in tempore de eo nõ solũ admonebimus, uerũ etiam de uiatico & expensis necessarijs tibi prouideri clementer curabimus. Quod si uerò tu nunc à summo Pont. uocatus, te ad Conciliũ, priusquam alij magni Archiepiscopi, Episcopi, & Prælati tam Germaniæ quàm Italiæ conueniant, conferre uelis, nos id tuo arbitrio & uoluntati gratiosè relinquimus. Quod uerò nos admones, ut abstineamus ab intrusione in Prælaturas Ecclesiasticas, personarum quæ indignæ & inhabiles sint: nos huiusmodi admonitionem à te clementi animo suscipimus. Non enim ea unquam mente fuimus, neq; etiam hoc tempore sumus, ut Prælaturas & dignitates Ecclesiasticas ulla ratione neque in spiritalibus neq; in temporalibus comminuerè, quantum quidem à nobis fieri potuit, pateremur: sed potius earum augmento & conseruationi pro æquitate semper studuimus. Id quod nobis etiam posthac curæ erit. Quod autem de filio Marscalchi nostri, Prouinciarum istarum nostrarum Austria, in Prælatura Gotuiceñ. permisimus (id enim te innuere, facile intelleximus) ad id nos multæ honestæ & rationabiles causæ permouerunt. Et quanquam conuentuales præter ipsorum iam præstitũ consensum ad electionem processerant: tamen postq; cognouimus eam electionem de persona idonea fuisse factam, ita à nobis prouisum est, ut conseruandæ illius Præiaturæ potissimam rationem & curam habuerimus. Insuper quod ad exactiõnem impositionum seu steurarũ attinet, quia etiam antea huiusmodi querimonias audiueramus, ob id, priusquam nouissimè Viennã discessissemus, Regimini istic nostro in mandatis dedimus, ut ordinationem facere & exequi in eo nomine nostro deberent, ne Ecclesiastici ultra modũ grauaretur: sicut iam prouisum fuisse existimamus. Postremò, uidimus Libellum tuum, uice Epithalamij serenissimæ filia: nostræ Regina: Elizabethæ dicatum. Quam tuam operam, studium & diligentiam, ueluti nobis admodũ gratã, nos à te omni clementia suscipimus & probamus, quandoq; etiam re ipsa erga te gratiosè recognituri. Datũ in arce nostra regia, Pragæ, die XII. mensis Maij, Anno Domini M. D. XLIII. Regnorũ nostrorũ, Ro. XIII. aliorum uerò XVII.

FERDINANDVS D. F. C. ROM. HVNG. BOE-
mia, &c. Rex, infans Hispaniarum, Archidux Austria, &c.
Friderico Nausee, Episcopo Vienn.



Enerabilis, Deuote, fidelis, dilecte: Redditæ sunt nobis literæ tuæ XXII. mensis Ianuarij proximè præteriti, ad nos datæ, quibus tibi de expensis in legatione ad Conciliũ necessario faciendis à nobis prouideri petijsti.

Non dubitamus aut, te iam nunc accepisse literas nostras, quibus tibi permittimus, ut te Viennæ contineas, & ad Concilij celebrationem non proficiscaris, nisi denuo id tibi à nobis iniunctum fuerit. Quamobrem pro nunc, neq; expensarū curationem necessariā esse duximus. In casu uerò quo te eò proficisci uoluerimus, clementer memores erimus, tum etiā de expensis necessarijs tibi provide-
re, ut eo legationis munere cū dignitate fungi possis. Datū in no-
stra & Imperiali ciuitate Nurenberga, die XI. mensis Februarij.
Anno Dñi M. D. XLIII. Regnorū nostrorū, Ro. XIII. aliorū XVII.

PAVLVS NEYDECKER, &c. REVEREN-
dissimo in Christo Patri & Domino, D. Friderico Nauſea, Episcopo
Viennæ. &c. S. P. D.

Reuereudissime in Christo pater & Domine, nouissi-
mas tuas literas sub datū ultima Februarij, XII April.
depost accepi. Quibus designas in reditu familiaris tui
Bernhardi à Schamburg, nullas à me nec literas, neq;
pecunias accepisse. Quantū ad literas attinet dum idem Bernhar-
dus uesperī mecum esset, percontareturq; à me de suo recessu, &
usq; meridiem insequentis diei mansurum promittendo responde-
ret, eidē dixi, me eo mane literas ad te exaturū, & ei ad hospitium
ipsius missurū: quod equidē ita effeci. Sed ipse mane summo abie-
rat, sicq; meae literae mecum usq; modo mansere, quas in testimoniū
nunc trāsmitto. Ex quibus cognosces, nihil in me officij desideran-
dum: quin quae gerere potui, ex affectu praestiti. Quod uerò ad pe-
cunias: Procurator tuus D. Bartholomeus Hoffman, eas, quas ha-
bere potuit, tūc quoq; ad te transmisit. De successū rerū pub. aliud
ex comitijs Imperialib. haecenus intelligere certi non potui, nisi qd
status Imperij pro anno praesenti Rom. Imperatori, atq; Regi seu
Caesari, nostris Dñis & Principib. clementis. cōferunt, auxilia
praestanda in pecunia pro XXIII millibus uelutim, & quatuor
millibus equitū ad sex menses, stipendijs soluēdis, in usum uel con-
tra Turcum, uel contra Gallū, ex arbitrio ipsorum diuidendis, uel
utendis. Et si Imperator alio anno contra Turcas ire uelit, de mi-
nistrando auxilio maiore & continuo, & iam ubiq; milites parant,
breui coituri. Deus omnia bene uertat, et uos Turco uiciniores o-
mnes clementissimē tueri & conseruare dignetur. Datum Bam-
bergae, die prima Maij. Anno M. D. XLIII.

PAVLVS NEYDECKER, &c. REVERENDIS. DO-
mino D. Friderico, Episcopo Viennæ. &c. S. P. D.

Reuereudissime in Christo Pater & Dñe, literas tuas sub
datum earū ult. Octob. à familiare tuo nobile Bernhar-
do à Schomburg heri tandē accepi. Quib. labores tuos
immensos, quib. p. uniuersā repub. Christiana incessan-
ter uacas, simul & pergraua tempora intellexi: illisq; facilē fidem
praebere, atq; re uera compatiore. Etsi nobis hic haud parum cum
uersutijs

uersutijs & odijs haereticorum atq; aliorum negocij indies emer-
gat: atq; in clementissimorum Dominorum & Principum nostro-
rum Imp. & Caesaris felicitatibus post Deum haud paruam spem
collocemus, de proximo futurū meliorem rerum statum. Id etiam
diuina exigēte iustitia, quod optimus Deus citius donare dignet.
Procurator tuus Bartholomæus Hofmannus, percepta sua ipsi
Bernhardo familiari tuo contradidit, prout ex eodem de omnib.
edoceberis. Quin & tibi referet praeparatoria comitorū Spireñ.
Tu felicissimē ualeas, & me tibi cōmendatū habeas. Datum Bam-
bergae, die XVI Januarij. Anno M. D. XLIII.

IOAN. MARTINVS STELLA, I. V. DOCTOR,
&c. Reuerendissimo Domino Ioanni Morono Episcopo Mu-
tinenſi, S. P. D.

Reuereudissime in Christo Pater, Dñe obseruandis. su-
periorib. diebus priuato officio meo inductus, & quia
id à me petierat Reuerendissimus D. Viennē, transcri-
psi, & in latinū uerti omnia, quae ad illam diem, in con-
trouersia hac personarū Ecclesiast. acta fuerant, ut scilicet tu digna-
reris inclināti, imò prope collapsae causae iurisdictionis Ecclesiasti-
cae, succurrere, ac subuenire. De quo nō dubito, quin facturus sis,
quod in rem esse cognosces. Sed haec mora tam longa est, ut nobis
optandum sit, ut ad illud tempus spiritū ducere liceat. Quare nūc
nō priuato ullo officio aut studio erga tam ipsum Episcopū Vien-
nē. quod sanē ipsius liberalitas praclarissima merita est, sed pro
meo erga orthodoxā & Apostolicā religionem animo & fide tibi
scribere & rogare coactus sum: imò liberius, si per te licebit, admo-
nere, ut etiā atq; etiam dispicias, quibus modis aut artibus non iu-
risdictionem Ecclesiasticā, de qua non magnopere cōtendendum
putarem, si propter se retinenda esset, sed ut ipsam religionem &
antiquam fidem hic retineamus. Nolo enim ut erres, in specie qui-
dem exercitium Iurisdictionis, sed in recessu longē aliud oppugna-
tū. Tentatur fortassis hac uia eadem hic, quae alijs in regionib. ab
huiusmodi initijs in quem statū sunt adducta. Nō quod mihi tan-
tum prouidentie sumā, aut malē ominari uelim: sed quod, ut synce-
riter dicā, istud accessorium tale sit, ut sine illo principale retineri nō
possit. Quid em̄ ibi satis firmū esse queat, ubi Episcopo sub poena
prohibet, ne inquirat in haeticū: ne excōmunicatum Sacris arce-
at, &c. Quae sanē ideo tibi scribenda putauī, quod non solū huius
regionis, sed uniuersae Germanie putem interessē. Episcopus em̄,
quantū ego ex illius & uerbis & dolore, quē ex indignitate rei con-
cepit, intellexi, secū consilia inire coepit, sui Episcopatus derelin-
quendi: qd sanē nescio an religionis nostrae auitē amatorib. an ipsi
Regi maiori incōmodo sit cessurū. Equidem quod ad Regem atti-
net, possum hoc pro certo cōfirmare, superiore anno, cū uniuersa
Austria fremeret, supra duo milia hominum urbe hac excessisse,
qui

qui nullis periculis commoueri potuissent, si hic adfuisset Episcopus, & suis concionibus, ut semper solet, in tantis calamitatibus miseris consolatus fuisset. Quorū uel maxima pars etiam in summa rerum trepidatione reuerſa est, cum illum à Pont. rediſſe intelligeret. De Religionis uerò negotio, tu nō es tam peregrinus in his regionibus, ut nescias quanta inopia hic sit, non dico talium Episcoporum, sed uel mediocrium hominum. Ego certè nescio, quid hic futurum eſſet, nisi Episcopus concionibus & scriptis suis pro aris, pro religione & legibus maiorum pugnaret. Hoc unū dico, quod scio tota hac prouincia, imò aliquot his regnis neminem eſſe, si in concilium aut Synodum aliquā ire neceſſum eſſet, qui uel uerbum loqui, nedum cauſam religionis pro ſua dignitate tractare poſſet. Exemplo ſanè eſt Austria ſuper Onaſum, quæ nunc aliquot in locis, extinctis ueterum non ſine grauiffima cauſa inſtitutis cæremonijs, nouum ritum induxit. Velim ſanè, ut falſo ſim uaticinatus. Sed metuo ne olim pœnitent, non fuiſſe & hic ſopitos adnaſcentes ignes. In ſumma, quanquam mihi nulla tecum conſtituta ſit priuata familiaritatis amicitia, tamen ſatis mihi cauſæ eſſe putauit religionem ipſam, cur ſcribere poſſem, ac orare, ut ſi aliud in deſperatis uel exulceratis maleuolentia inuidorū rebus, facere nō poſſes, ne tamen grauareris ſaltem ipſum Episcopum propè iacentem erigere, ac literis conſolari: neq; permittere, ut ille ſibi inimicis aut inuidiæ cedendum putet. Turcæ nunciant indies aduentare. Vuyzegradum ſeptimum iam diē obſidetur, muri XI bombardis quatuntur: quæ reliqua ſuccedent, uel tibi, uel D. Io. Pogio, quibus me ex animo commendatum cupio, latiſſimè tranſcribam. Viennæ, tertio nonas April. Anno Salutis noſtræ M. D. XLIIII.

IOANNES EPISCOPVS MISNEN. REVERENDISSIMO in Christo Patri & Domino, D. Friderico Nauſæ, Episcopo Viennen. &c. S. P. D.



Reuerendiſſimè pater, Salutē. Fecit locorū hæc diſtantia, & tabellionum raritas, ut longo iam tempore ad te nihil ſcripſerim. Id quod proſectō non ſine animi mei dolore prætermittere coactus ſum. Utinam uerò mihi melior foret commoditas literarum ad te mittendarum: non proſectō committerem, quin frequentius tecum per ſcripta de calamitoſo hoc temporū ſtatu loquerer, & conſilia conferrem, quibus tandem modis fulcienda, ſeu reſtauranda foret Eccleſiæ tanta ruina: id quod & ipſum tempus, & ea neceſſitudo, quæ uterq; noſtrum ſponſæ Chriſti ſumus obſtricti, uident exigere. Verū quandoquidem ea nobis præcluſa eſt ratio, ſuper eſt ſaltem, ut mutua nos conſolet charitas, quæ nulla locorū interualla excludere poſſunt. Quæ faciet, ut Dñs Ieſus (cuius ſuauiſſima fragrantia à fine & uſq; ad fines huius orbis pertingit) medius ſit noſtrum: qui & promiſericordia

mifericordia ſua tuebitur nos, ambulantes cum conſenſu in domo Dei, ut cunq; mundus iſte in diuerſa ſcindatur, ſuorumq; flagitiorū ruat pondere. Quid enim maius nobis ab ipſo æterno Deo donari poſſet hoc tempore, quo uidemus mundi huius proceres, mutuis inter ſe flagrare odijs, omniq; luxu diffluere: atque in tanta reipub. calamitate, quaſi, per ocium cū Chriſto & de religione iocari, quæ omnia iram Dei non dubiam arguunt. Itaq; uehementer metuo, ne tandem uniuerſa hæc mala, quibus afflicta ſuit & afflictaur Eccleſia, uel etiam multo peiora, ad monarchas ipſos & principes ſint migratura. Nobis uerò, Reuerendiſſime Pater, continuis & ardentiffimis precibus excitandus eſt (qui in nauī S. Petri dormit) Dominus Ieſus, ut euigilet, ſcedamq; hanc tempeſtatem, quæ propter ſcelera noſtra exorta eſt, compeſcat: ita, ut Eccleſia in ipſo qui firmam ſe uoluit petram nominari, ſecura tãdem recumbat, & quietſcat. Ut uerò in eam curam communi uoto nobiſcum incumbat populus, apud tuos efficies: tu, cuius in reipub. Chriſtiana plurimum ualeat autoritas. Ego quoq; ad id hortari nō deſinam illos, qui hic uocem meam audiunt, quorum perexiguus eſt numerus. De ſtatu eccleſiæ meæ, et quàm male hic habeat religio, etſi per multa ſint, quibus de libenter ad te ſcriberem, tanta tamen eſt iſtorū temporū iniuria, ut nemo literis etiam clauſis, libenter multa committat. Accepi iam ante aliquot meſes, Catechiſmum catholicum à te deſcriptum, munus præclarum: Et ſummas tibi ago gratias, tam pro munere ipſo, quàm pro ſancto tuo labore, quo tanquam ſapiens architectus, domum Domini inſtaurare ſatagis, pro quo & Dominus Ieſus abundantè tibi rependet mercedem. In quo & te ſemper bene ualere cupio. Datum in arce noſtra Stolpen, XXI Aug. Anno &c. XLIIII.

HIERONYMVS RORARIVS, ETC. REVERENDISSIMO Domino Friderico Episcopo Viennen. &c. S.



Reuerendiſſimè & obſeruandiſſimè Domine, mihi uilum ſuit neceſſariū, adiungere tibi uice cancellariū D. Ionā, quo pariter ad ſit apud Maieſt. Regiā, quando illa propoſuero, quæ proponenda ſunt. Et ita curauit, per Dominū Guzmannū Maieſtati ſuæ referre: quæ rem Maieſtas ſua gratiſſimo animo accepit. Videretur modò cōſultum, ut pro eo mitteres, & poſtulata mea ei oſtenderentur, ut ſubſcribi & ſigillari faceret, quæ his inſerta uidebit, cui me humillimè commendo. &c.

NICOLAUS BOBADILLA REVERENDISSIMO Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S. D. P.



Gratiſſimè Ratiæ & pax Chriſti ſit ſemper nobiſcum, Amen. Cum eſſem hodiè apud S. R. Maieſta. et inter cætera egiſſem de libro noſtro, quem tu pro tua humanitate ſcripſiſti, interpretando: nescirem uerbis exprimere, quantū ſua Maieſtas laudauerit laborem tuū, quem ſperat optimū et fructuoſiſſimum.

sisimum. Quod opus, ut breui perficias, sua Maieft. commendatur est tibi. Interim uelim mitteres ad me unum ex quaternionibus, quem noster Guzmanus uidere defyderat: & statim tibi remittet. Rectissimè ualeas. XXII. octob. Anno &c. XLIIII.

IDEM, EIDEM REVERENDISSIMO D.

Viennen. &c.



Ratia & pax Christi sit semper nobiscum, amen. Ante discessum Reuerendissimi Domini, nūcij Apostolici in Pragam, miserā ad te quosdam articulos cuiusdam canonici, & ligatos & sigillatos, oro te, ut iam ad me remittas, facturus in hoc mihi rem longè gratissimā. Bene ualeas in Christo semper. ex hospitio nostro, XXX. Nouemb. Anno, &c. XLIIII.

IOANNES FABER ENSE SHEIMEN. REVERENDISS.

Principi ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S.



Reuerendiss. Presul, et patrone colendissime, quā mihi superioribus diebus, secretarij tui, Iacobi Taurelli, cōterranci mei, aggressus Spiræ in comitiorum Imperialiū celebratione, iucundus fuerit, quantāq; animum meum leticia recreauerit, mille linguis cōsequi haud possim. Quippe cuius relatione tum modesta, tum fide digna, te & bene ualere, & breui huc in regionem nostram longinquam ad nos uenturum percipi. Id quod & Henricus noster Glareanus, confessor tuus ubiq; à Vicelio & Spiegelio ad me ueniens, hisce adfirmavit: Ioannes Nausea noster exiguo temporis spacio in Brysgaudiam ad nos est uenturus. Quam obrē domum reuertendo, Argentine, Selesstadij, Colmaria, quibusdam amicis commisi, ut quamprimum te uiderint, uel adesse intellexerint, proprijs me nuncijs certiozem redderent. In Valdkirch, et Friburgi apud D. Steinheuser, et uniuersum Capitulū Basiliense aduentus tuus dudū in expectatione fuit, & adhuc est. Quem Deus opt. max. foelicissimè maturare, & nobis te incolu mem seruare dignetur. Hisce me tibi humillimè commendo. Datū festinanter in Enseshaim, v. Aug. Anno, &c. XLIIII.

FERDINANDVS DEI GRATIA ROM. ETC.

Rex, &c. D. Friderico Nausea Episcopo Viennen.



Monorabilis, deuote, nobis syncerè dilecte: Etsi ad subiectam petitionem tuam, qua tibi protectionem aliquam ad patriam concedi defyderas, gratiose annuere propensū essemus; quia tamen animo reuoluimus, respectu periculorum & grauisimorum casuum praesentium, factū commodum integrum & perneccesarium esse, ut te hisce temporib. penes Episcopalem Ecclesiam tuam contineas, & eidem, ut hactenus, uerbi diuini praedicatione, alijsq; officijs Episcopalis. (quod uniuerso populo, nostra ut fert gratiosa mens, haud uulgarem generaret consolationem) fideliter praesias. Quare clementer à te defyderamus, ut horum

horum periculosisimorum temporum & casuū ratione habita, considerare uelis, tua te personali praesentia & praedicatione illic locorum, nunc temporis multo plus afferre fructus posse, quā fortassis aliās; & idē protectionem tuam institutam, ad tempus magis integrum differas; & subditis tuis ouibus cohabites. Sin uerò dictam protectionem tuam citra damnum intermittere non posses, eādem tibi gratiosè concedimus; ea tamen conditione, ut tempore primo, nulla etiā impediēte mora, rursus ad Ecclesiam tuam & officium te conferas, & eodem ad populi solatium fungaris, prout non diffidimus. Facturus in hoc es nobis rem gratiosam, acceptam, & beneplacitā, omni erga te & Episcopatū tuū gratia memorandā. Quod tibi ad dicta tua scripta gratiosè respondere dignati sumus. Datum in ciuitate nostra Imperiali Spira. i. Maij. Anno, &c. XLIIII, Reg. nostrorum, Romani anno XIII, aliorum uerò XVIII.

HIERONIMVS VERALLVS EPISCOPVS CASSERTA.

Nuncius, Nuncius Apostolicus, &c. Reuerendiss. in Christo patri, D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S. D.



Reuerendissime & obseruandissime Domine, Nunc nūc in occasu solis redditæ fuerūt mihi literæ tuæ, quib. me certiorē reddis de improbitate, & malignitate, & inobedientia quorundā; quæ omnia nō sine magna animi molestia audiui. Attamen quoniā cras, in aurora, Deo dante, sum discessurus hinc, nō superest mihi tēpus, necq; modus, quibus possim omnibus petitionib. tuis cumulatè satisfacere. Sed ea hora, qua abiturus sum, siue paulo antè, mittā secretarium meum ad S. Regiam M. ut meo nomine rem omnem aperiat, rogetq; ne prouisionē aliquā opportunā facere negligat. Scio enim Maiestatem suam nō defecturam. Quamprimū ego Spiram, Deo dante, applicuero, mittam sufficientē literarum omniū necessariarū prouisionem: curaboq; diligenter apud Maieft. Serenissimi Regis nostri, ut mandet regimini laico, ne se intromittat, ne ue te uolentē tua iurisdictione uti in subditos tuos, impediāt, quo reus cū iudicari, tum etiā debitis poenis pro cōmissis facinoribus & delictis plecti possit, ab eius legitimo iudice Episcopo. Quapropter omni conatu efficere ac curare debes, ut, cū literis & prouisione Regia mediantibus, tum etiā ingenio & diligentia tua, causa tantū in lōgum protrahatur, quo ego possim sedulo prouidere. Et certè, Reuerendissime Domine, nisi misissem bona mea omnia, quo possē differre meū discessum, haud discederem. Sed res eō deducta est, ut non possim mutare sententiam. Valeas in utroq; homine. Datum Pragæ, XXII Feb. hora III noctis, Anno Salutis nostræ M. D. XLIIII.

NICOLAUS BOBADILLA REVERENDISS.

Simo in Christo Patri & Domino, Dn. Friderico Episcopo Viennen, &c. S.

Ratia & pax Christi Domini sit semper nobiscum, amē. Peruenimus Vormaciam XXIII. Ian. qui, cum intelligeremus Cæs. Maiestatē detineri Bruxellis, propter morbum podagricum, cogimur illuc ire. Vt video, omnia frigidissimè procedunt. Reuerendissimus nuncius Apostolicus te plurimū salutat, et optimè ualere cupit. Rogatū te uelim, ut mei ac nostri libri recorderis, et ualitudinis tuę curam habeas, etc. Ex Vormacia, XXVI Ian. Anno, &c. XLV.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI D. FRIDERICO Nauseæ, &c. M. Gabriel Graulus Olomucen. Canonicus, &c. S.

Reuerendissime Præful, cum superiorib. diebus, uidelicet Christi parę uirginis Marię annunciationis ferijs, literas, & eas quidē iucundis. à te pauide acceptas, oculis perlustrassem, attonitus & quasi herens, non potui non satis admirari, unde tua tam subita erga me beneuolentia; atq; altius mecū cogitare cœpi, uenerabilē uirū M. Danielē, fortassis me indignum, literis suis coram te, immoderatis extulisse præconijs, quæ tamen nec unquā de me prædicari possent. Vtinam cognomen meū non solū & nomini & generi responderet, uerū etiam & doctrinæ & sanctis morib. tuis: tunc nihil mihi iucundius fuerit auditu. Sum etenim nec tam magnę eruditionis homo, nec eloquentiæ, quo tibi forsitan inferuire ualeam: sicuti etiam hisce meis exaratis literis facile contingere possis, siquidē ex nimia rerū mearum pauperie, agrè poteram ad tantę eruditionis fastigiū peruenire: licet satis superq; diurnis et nocturnis sudauerim lucubratiunculis. Qua de re sanè hoc arduo adagio me defendere, aut potius expurgare possum, nō cuiuslibet esse adire Corinthū. Parrochiā autē, quam nunc à festo sancti Ioan. Bap. quāuis inuitus suscepi, simplici cōcione usq; ad hoc breue tēpus utcūq; curauī. Propterea nō magna ex me expectāda æstimo, quò magnis insignibusq; uiris uerbū diuinū promulgare præsumā, ut ne sus quasi Mineruā docere uidear: sed tamē simplicib. idiotis, humilib. in oppidulis, titubanti ore meo uix audeo sermonē quem piam in uulgus effundere. Cæterū cum ab ineunte etate precipuè omnibus superiorib. erga me beneuolis, & quid boni mihi persuadentibus, hætenus morem gesserim: quidni & profectō tibi morem gesturus sim? Præterea polliceor, me uita comite ad diui Georgij ferias, aut citius te inuisurum, ea tamen lege, ut etiam quibuscūq; ministris meis dummodò fata secūdet, et tibi et toti gregi tibi subiecto pro uirili mea perpetuò ministrare et inferuire ualeā, promittis, me præstabo. Proinde te per immortalē oro Deū, ut me deo tuum ministrū commendatum habere uelis, et Nestoreos annos uiuas et ualeas. Olomucij, XXVII Mar. An. XLV.

IOANNES HOFFMEISTERVS, AVGVSTINEN. PER SV. periozem Germaniam Prouincialis, Reuerendiss. in Christo Patri, &c.

D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S. P. D.

Reueren-



Reuerēdissime Domine, in Christo pater, iā olim gratus sum et ecclesię et tibi episcopatū tuū, ut iam nō necesse sit rursus de integro illud instituere. Nec ausim iam pias tuas occupationes nugis meis inturbare: & tamē nō possum non aliquid ad te scribere, tū quod sciam quā me ames: tū etiam quòd uir doctus & humanus, tuus secretarius, hoc tū sedulo à me petierit. Nec est quòd amplius scribā, nisi ut humiliter rogē te, quò suffuratus tantū temporis, lucubratiunculā meam de sacrificio Missę (quam ad te misi) perlegere, & dein quid super hoc iudices, diligenter & candidè ad me scribere uelis: ut ex te harū rerū peritis, intelligā, nū in scriptis meis aliquid mutādū, uel porrò à scribendo mihi cessandū sit. Nescio enim quis Deus mihi persuaserit, ut tam male armatus, cōtra tam potentes hostes in hęc arenam cōscenderim. Sed fortè tūc canent cygni, quū tacuerint graculi. Quæ porrò noua apud nos sint Vormacię, nil attinet scribere: quū hæc omnia secretarius tuus, præsentū lator, melius me exponere possit. In alijs Dietis relegatus fuit Christus cum suo Christianismo: si in hac reuocabitur, quòd uix sperare ausim, est quòd nobis meritò gratulemur. Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ sunt Christi. Et nostri Principes malunt multis, q̄ pijs imperare. Nec defunt, qui cupiant regna sua propagari, etiā si in contēptissimū angulū reiciantur. Verū Christus ita consilia ipsoꝝ destruit, ut & presentē & futuram uitam perdāt, id quòd uel Iudęorū exemplo discere possent. Sed de sinā. Si tu quid certi habes de Cōcilio Tridentino, cupio scire, Deus Opt. Max. te in cōmodū Ecclesię suę, nobis in multos annos seruet incolumem. Vormacię, die XXIII Aprilis. Anno, &c. XLV.

Eruditione ac pietate tibi notissimus, M. Prothasius Gebuilerus Hagnouiens. iam olim missis ad me literis cultis, rogauit, ut suo nomine plurimam tibi precarer salutem.

PETRVS KANISIVS NOVIOMAGVS REVERENDISSIMO in Christo Patri ac Domino, D. Friderico Nauseæ Episcopo Viennen. &c. S. P. D.



Gratia Domini nostri Iesu Christi, & pax, quæ exuperat omnē sensum, custodiat te. Equidē scio parū ciuile uideri, quòd homo peregrinus, obscurus, & ignotus ego, tantū Episcopum cōpellare instituerim. Est quidē apud me et equi et honesti ratio, sed fortè nō tam anxia, ut amplius. Præsumem, sed eundē humanissimū uirū, interpellare, semper alicui uicio uertendū putē. Iam dudū nosti fidedignos illos homines, ac perinde amicos tuos, meos uerò dominos iugiter obseruādos, D. Nicolaū de Bobadilla, Reuerendissimi Domini nunciij Apostolici planè colendū illū Theologū: simul et D. Ioannē Hasenbergiū, qui diuino munere datus est maximorū in Germania principū (siquidē de iuuenibus agatur) dexterrimus institutor. Ab hisce tam præclaris uiris tua uirtus multis hic mihi nominibus commendata fuit, per se alioqui nulli non probata: ut nihil iam dubitarem, quin si quid

AA 3 posthac

posthac uti nominis tui studiosiss. istuc mittere curarem, gratiosè admitteres, fauorabiliter exciperes, & quoties filiorū clientulorumq; tuorum albū introspiceres, me uel in postremis haberes, amaresq;. Non meriti, sed clementiæ fuit officium, quòd me non repulit R. D. Card. idemq; Augustamus episcopus. Non me repulit, quem dixi, digniss. ille nuncius Verallus. non Poggius: non repulit etiam doctissimus D. Cochlaeus, & integerrimus D. Hezius. Quos, ut mittā ceteros, ego singulatim omnes, reuereor tanquam Patres, audio ut Dominos, & sentio uti Meccenates. Fœlicior ero, si tantis uiris tantus Episcopus accedet, idemq; Viennen. ac etiā Nausea, doctis iuxta & pijs ubiq; gratus: qui me honorum omnium præsidjs egentem, in suam quoq; tutelam & fidem beneuolè recipiat. Non quod honores ullo ambitu appetam Viennæ, qui summam gloriam in ferenda mihi cruce, licet oppr. obrosiss. pro Christo collocaui. Non quòd munera etiā tua uener, aut lucrū spectē: qui, Deo iuuante, sarcinas opum abijcere malui, quàm ut hisce degrauiatus, ad obēdam crucis Christi maliciā fegnior esē. ut enim Christo Domino, qui seruos petit alacres & expeditos, toto pectore militare, & si quid in me uirū est, proximos ex professo lucrificerē, in illud militiæ genus me libenter transtuli, quod nō sine fructū colit pater meus D. Bobadilla, et à Iesu nomen habet, iam innotuit in orbe noster conatus, iam in India nostrorum opera, Christi religio latissimè propagatur. Iam ita probatū tibi puto nostrū institutum, ut licet ardua, pia tamen: licet molesta, nō tamen infalubria meditari nos in uinea Christi, facile perspicias. Verūm idcirco me honorū præsidjs egentem appellaram, quod ueluti tenella in Christo plantula, ut fœliciter conualescā, multis multorum precib. & doctrinis firmari, foueriq; opus habeā miser. Quare nec tu mihi prætereundns eras, quo minus ueluti pro Christo stipem emendicaturus, tuæ pietatis orationib. me totū (ut quàm maximè cupio & obsecro) sollicitè cōmendarem. Feceris aut proculdubio rē ut à meis meritis alienissimā, ita profersionē clementiæq; tua dignissimā, si tuis aliquando me fortè labantē scriptis sustinere, cadentē subleuare, respirantē erigere, dubiū cōfirmare, et ad pietatē omnē cohortari dignaberis. Nō senior certè sum, sed iunior, annos natus uixdū XXIII. Argue igit cū omni imperio, qui reuera senior existis. Argue, increpa, minare, et castiga. Insta opportunè, in portune: nimirū sequutus illius opt. max. parentis exēplū, qui quē diligit, castigat; flagellat aut omnē filiū quē recepit, ut cū tēratione faciat prouentū. Habes (quod uelim de me certò tibi pollicearis) habes inquam Kanisiū nō modò filiū, sed seruū, sed clientulū, sed mancipiū pro tua uolūtate. Si quid nouarū hic rerū emergeret, uoluit pater ac D. Bobadilla te facerē certiorē. eo fidentius hæc mitto, quæ Colonien. cleri tot modis afflictī causam explicāt. neq; cessant enim quidā omnē mouere lapidē, ut pro luce ueritatis caliginem hæresis

nobis

nobis offundant. Sed omnē profectò laudem superat cleri fortitudo. Quas hic uias, & artes non tentauit, ut corruptos semel animos ad pietatem reuocaret: taceo laborum magnitudinē, & sumptuū non æstimandorum copiam. Plurimorum iam animi desperauerāt de continenda hic religione: sic sæuebant, immisis undiq; lupis, si quæ omnia quæ mitto annuens confirmauit, in optimam certè spem erecti sumus, fore ut dissimulata nimirum impietas, & quorundam proteruia sic insolescens, cohibeatur tandem, retineatur autem pietas. Clariss. uir D. Ioannes Gropperus, v. l. Doctor, quo fruor perquam familiariter, breui suam edet responsionē in Bucerū. Prouincialis Carmelitarū, qui nundinis exactis maximā de se fecit expectationē in eo opere, quo Philippos, Buceros, Oidendorpios refellit: modò secundā parat respōsionis partē. Ego, quia Mathæū Euāgelistā enarro, & qualis qualis Diaconus sum, perpetuò cōcionādī munus obeo, uix possum esse longior, nisi tamē omnē epistolæ modū excessi, tuūq; animū æquo longius à curis Ecclesiæ tuæ auocaui. Vale in Christo, Reuerendiss. Pater, & hanc interpellandī scribendiq; meam libertatē, ni malè consulis, nouū quæso clientulū assume. Coloniam, apud S. Gerionem. XVIII die Maij, Anno salutis M. D. XLV.

MARCELLVS CERVINVS CARDINALIS SANCÆ

Cruis. etc. Reuerendiss. Domino Friderico Nauseæ Episcopo Viennen. etc. S. D.



Reuerendissime Domine tanquam frater, &c. Cum iam Tridentum peruenissem, redditæ mihi fuerunt literæ tuæ. XV. Maij datæ: quibus conquereris, nullum responsum iam diu tibi à me esse datum. Quod ego certe ualde miratus sum, cum nullis tuis literis aut non rescripserim: aut Iodoco, qui eas ad me perfererebat, & tibi se omnia significaturum reciperebat, non prolixè & amanter responderim. Quod scribis de reb. à te gestis in Boemia, quodq; in magnam spem sis crectus, eius prouinciæ reducendæ ad ecclesiæ unitatem, mirum in modum lætor: omniaq; ista secundum diuinam gratiam merito euenire tuo arbitror. De concilio autem uniuersali, ad quod maturè celebrandum nos excitas, existimo ad uos iam pridem esse allatum, qua charitate & animi propensione Sanctissimus D. N. hanc rem urgeat. De nobis uerò hoc adfirmare possum, nihil aliud tertiu iam mensē hic expectari, quàm ut si qui eius celebrationi interesse debent, cōuenirent. Quorū hic locus quoniā frequentior iā esse incipiat, speramus breui rem aggredi ipsam posse. Quod de Cardinalibus scribis, cū id concise admodū obscureq; positū sit, nō potui sanè omnia intelligere. Itaq; hæc, & multa alia corā. Quod superest, Iodocum tuū procuratorē uidere non licuit: qui si tua ad me mādāta detulisset, ostendisset illi profectò, quàm negocia tua omnia mihi sunt cordi. Bene uale. Tridenti, XIII Maij. Anno Domini M. D. XLV.

F. Ioan.

AD D. FRIDERICVM NAVSEAM
F. IOANNES HOFFMEISTERVS PROVINCIALIS, ETC.
*Reuerendissimo in Christo patri ac Domino, Domino Friderico
Nauseae, Episcopo Viennen. &c.*



Nihil est, optime Praeful, quod iam te magnopere scire cupiam ex comitijs hisce nostris, nisi quod ueremur, rempub. Christianam paulo melius, si non durius, habituram, finitis comitijs, quam ante hunc conuentum initu. Instituetur de nouo colloquiū. ad hoc ego illud Pauli obijcio: Corrupti bonos mores colloquia mala. Ex praeteritis male auspiciatis, & pessime finitis colloquijs, coniecturam capimus, fore, ut nos non minus poenitere debeat postremi, quam prioru. Sunt qui consolantur me, & optima quaeque pollicentur: sed uestigia me terrent. Caeterum si libellus meus pro sacrosanctae Missae sacrificio tibi placeat, spero eundem etiam alijs Catholicis & optimis uiris, quorum tu Nausea antesignanus es, placiturum. Haereticorum censuras nec curo, nec timeo. De aduentu meo ad uos, nihil certi polliceor. Spero tamen fore, ut non ita multo post conueniamus. Quentellius nondum absoluit Homelias meas in utramque ad Corinthios: alias ad te iam mitterem exemplar. Audio te scripsisse in quatuor Euangelistas, & haec omnia breui publicaturum. Ego tres priores homeliaticae interpretatus sum, & hos editioni parabo: sed forte tuos praemitteri sinam. Bene ualeas, & me licet indignum, amare & fouere pergas. Vormaciae, xxv Iulij, Anno, &c. XLV.

IOANNES HASENBERGIUS HORATIUS,
*Praepositus Lithomericenf. &c. Reuerendissimo Domino, Dn.
Friderico Episcopo Viennen. &c.*



Reuerendissime atque obseruandis, Domine, Patrone claris. Reddite sunt illustris. Archiducibus literae, una cum libris tuis de locustis, & ratione orandi. Et profectio, tum gratissimis, tum gratiosis animis ambos acceperunt, & perlegerunt: & adeo tuam in sese propensam obseruantiam & pietatis studia clementer agnoscunt: hinc etiam paucis, in symbolum gratiosi amoris erga te, rescribunt. neque potuerunt antea scribere, cum propter aduersam ualeitudinem, qua tenebatur a Paschate ad medium ferè Iulij, D. Maximilianus: tum etiam ob profectioem nostram ex inferiori Germania ad superiorem, quae nostras profectioes plurimum turbauit. Ego uero etsi antea potuerim rescribere, tamen sine Sereniss. Archiducum scriptis, mea nolebam ad te accedere. Negligentiam uero scribendi, recipio me summa repositurum diligentia posthac. Et habeo summas gratias tibi, pro tam incredibili & excellenti amore, cum in me, tum uero praecipue in discipulos meos Regulos, qui priuatim & gratiose te amplectuntur: quod ut ardentius faciant, frequenti tui mentione in schola nostra sedulo habitata efficio, efficiamque quoad sub ferula mea sint futuri. Hoc enim

unum

unum in primis ago, ut spirituales & doctissimos quosque praecipue, qui Apostolico funguntur officio, ament & omni gratia prosequantur. Ex hoc enim salus Christianae reipub. non ita parum dependebit. Transmitto tibi librum Domini Gropperi, mihi in hoc datum, ut curarem mitti Viennam. Videbis in eo D. Gropperum agere Herculem, qui mediū Antaeum capiat, teneat, & toti mundo impotentiam ipsius ostendat. Cui uiro multum tribuo, nam is praeter alios, Coloniae sanctam in sanctitate & officio Catholico detinet. Ego timeo ualde Coloniae, propter Bucerum & Bucerianos, qui bonum illum uenatorem Esau aduersus Clerum & Scholam Coloniaensem quotidianis conuicijs incitant: qui parum aberit, quin armis rem aggrediatur, nisi Imperator certum modum inuenerit retinendi Coloniae. Res hic parum foeliciter succedunt, nam Protestantes in nihil ferè consentire uoluerunt. Concilium Tridentinum detrectant prorsus. Pontificem uel nominare piaculum habent, nisi in malam partem. Ego, cum uidi omnem salutem Germaniae pendere ex circumstantijs modi & loci, conscripsi obiter rationes, & dedi maioribus nostris, uti hic uidebis. Video rem redituram ad colloquium Ratisboneum, nam in hoc consentiunt Lutherani, qui sex homines doctissimos dabunt, nostri etiam sex: ex quibus Imperator sex eliget, & dabit commissarios ut praesint colloquio. O nos infelices homines, qui concilij Oecumenici uniuersalitatem ad sex hominum colloquium reijciamus. Praeter colloquium confirmabit Imperator recessus duos, Spirensis & Ratisboneum, quibus tollet materiam dissidiorum, & rerum innouatarum, & tandem pax confirmabitur ad finem usque comitiorum futurorum. Ducatus Brunswicensis, & Episcopus Hildesheimens. x Iulij Imperatori ad sequestrum sunt dati. Haec est summa rerum hic tractatarum. Reliqua secretarius tuus, uia tibi epistola, copiose & affatim exponet. Valeas, & me totum tuum semper putes. Datae Vormaciae, in ipso die Diui Iacobi apostoli.

Anno, &c. XLV.

BB Epistola

EPISTOLARVM MISCELLANEA

RVM AD D. FRIDERICVM NAVSEAM BLANCICAM,

pianum, Episcopum Viennensem, singula-

rium personarum, Liber

Decimus.

MAXIMILIANVS ET FERDINANDVS ARCHIDV.

*ces Austriae, &c. Reuerendo Patri, ac sincere nobis dilecto, Friderico**Nauseae, Episcopo & Domino Viennen. Salutem & gratiam**nostram priuatim propensam D.*

Vas nobis, Reuerendissime, sincerius nobis dilecte Praesul, uigilias & labores misisti, gratissimo profecto accepimus animo, atque adeo, ut nos lectione lucubrationum tuarum ornatissimarum suauissimè affecti sumus. Siquidem ut libellus iste de locustis est longè eruditissimus, pariter & utilissimus: ita etiam Methodus illa orandi, multo omnium piensissima, non à nobis tantum, sed ab omnibus doctis & pijs est commendata. Pergas ita (ut facis) Spartam Ecclesiae tuae scriptis ornare, & te ad posteros consecrare. Nos semper ita habebis ex animo tibi gratiose & propensos & affectos, ut ubicunq; poterimus apud Serenissimum & honoratiss. D. Genitorem nostrum te decorare, hoc lubentissimè faciemus. Datae Vormaciae, XIX. Iulij, Anno D. M. XLV.

GERVICVS PLARERVS ABBAS DE VI.

*neis, &c. Reuerendissimo in Christo Patri & Domino, D. Fri-**derico Episcopo Viennen. digniss. &c.*

Salutem, cum diligentissima sui commendatione, & animimum ad quiduis obsequij paratiss. Reuerendissime in Christo pater, Domine & patrone ampliss. dici uix potest, quantis gaudijs fuerim affectus, ubi literas tuas per tuum Secretarium accepi, ea potissimum causa, quod existis satis sufficienterq; intellexi, animimum tuum adhuc erga me propensum: & quidem ideo, quod antehac binas te ad me misisse literas intelligo, & quod talibus literis adiunctum fuerit opus tui Catholici Catechismi, in quo quidem opere mei etiam fueris memor: Similiter etiã ad Campidoneñ. scripsisse. Verum, & testis sit mihi Deus, quod non constat, neque recordari possum, unquam aliàs abs te accepisse neq; literas, neq; Catechismi opus. Vereor etiã, ne Campidoneñ. nihil acceperit: aliàs ab utrisq; proculdubio gratiarum actionum dudum accepisses literas. Attamen nihilominus, & non obstante quod hactenus nec literas, nec Catechismum me unquam uidisse mihi costet, enitar pro uiribus, ut si grati nomen non possum assequi, saltem ingrati hominis notã uidear effugisse. Nunc plura scribere non uacat, sic me totum molesta quaedam negocia possi-

possident, ut uix ipsi mihi sit copia mei, Reliqua tuus Secretarius ad longum referre in commissis habet. Rogo etiam ualeitudinis tuae rationem habeas: per thermas & diætã, cõsilio fidorum medicorum recuperare uires, ut ad plures annos te fidelissimũ catholicæ religionis ppugnatores superstitẽ habere ualeamus. Quod ut praestet Deus, deprecabor ex corde quottidie, Orationem funebrem, de qua Secretarius meo nomine loquutus est, impensius expecto. His me tibi humillimè cõmendo. Raptim, Vormaciae plus quàm festinanter. Ipsa die Iacobi Apostoli, Anno, &c. XLV.

FRANCISCVS ABSTEMIUS TIRNSTANII PRAEPO.

*situs, Regius elemosynarius, Reuerendissimo in Christo patri & Domino,**D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S. P. D.*

Eueredissime Domine, nudius tertius uenerabilis frater Ioannes Augustinianorum primas, mihi cum occurrisset, multa ulro citroq; (ut fieri inter eos solet, qui istidem obnoxij periculis fuere) de rebus Albensibus, de obsidione, de hostili rabie, agitata inter nos sunt. Et quia fugam fratres ipsius sub ipsam ferè obsidionem, cum rebus Ecclesiasticis parabant: decreto cõmuni omnia ea adempta illis fuerunt, magistratusq; custodiae demandata. Ita enim sanè institueramus, & coniuaramus etiam, ut nemo rerum suarũ quippiam asportare ad imminentem obsidionem auderet. Opibus enim aliõ translatis, in cõ locum tutum collocatis, ubi feliciter uiolentiusq; urgere hostis cepisset, facili opera, desperatio animis suborta, à constantia ad pusillanimitatem auertere posset. Verum ea omnia Ecclesiae bona, postquam capta Alba esset, restituta ipsis fuere, maximè cum singulari is frater Ioannes gratiam apud senatum haberet. Rogare ergo coepi, quid Viennae ageret: num ea etiam bona Ecclesiae adhuc haberet? Longa ille quidem dissimulatione usus, tandem quod res erat, tacite in sinus meos effudit. Vt aut id quod uerũ est, fatear: Albenis totus Senatus, & Capitulum quoque, fratris huius Ioannis militarem uirtutem in tota obsidione perspectam habuit: adeo, ut pia memoriae supremus Capitaneus Dominus Varkoch, Centurionem eũ in altera suburbij parte instituerit. Quin ubi hostis iam Alba potiretur, fidemq; adhuc nostrã erga Regiam M. declarare uellemus, uiamq; capiendã rursus urbis commonstrarem, bis hunc fratrem Ioannem (cum nemo ciuium periculo obijcere caput auderet) legatione occulta ad Regiam M. misimus. Nunc quo in statu causa ipsius coram te agitur, tibi perspectum est. Vt autem ratio aliqua ipsius habeatur, hoc est, mitius res tota transigat, ne destitutus ipse planè, neglectusq; sit, te unice rogo. Multa uerò hic in rem praesentem serio conferre, tractareq; possem, si onerare te oratione prolixiori uellẽ. Vt autẽ rẽ in pauca conferã, quorsum res hæc emergat, uelut oculis cõtueor: quã tragœdiã parat, animo

metior: quid in utramq; partem peccetur, uideo. Satius ergo fuerit principijs occurrere, quam post festum, ut in prouerbio est, uenire, ubi sero tandem medicina paretur. Id ita fiet, si æquabilitati consulatur, necq; contemptui obijciatur. Multum ego in tua mansuetudine confisus, hæc scribo: speras æqui, te boniq; consulturū. Quod reliquū est, me meamq; operā tibi cōmendo. Valere te felicem ex animo cupio. Viennæ, IIII. Nouemb. Anno salutis M. D. XLV.

F. MATTHIAS PETREVIUS DOCTOR, ORDINIS
Diui Benedicti, &c. Reuerendiss. in Christo patri, Domino D. Friderico
Nauseæ, Episcopo Viennen. S. P. D.



Tū, Præsul dignissime, ego tantillus apud te, nullius meriti gratias agere uelim, pro tam paterna intercessione tua, quā ad uenerabilem Patrem, D. Abbatem Monasterij nuncupati Beatæ Mariæ Deiparæ ad Scotos, facere dignatus es, ut scilicet me susciperet in Monasterium suum, id quod fecit: profectò dignas gratiarum actiones efferre, & lingua & calamus uix sufficerent. Nihilominus tamen tantas, si non quas debeo, tamen quas possum, ago gratias: agere que & habere, donec superstes ero, non desinam, Dominumq; Deum exorare indies satagam. Atque utinam Altissimus te plurimos in annos incolumem & felicem seruet, meam & omnium studiosorum, imò totius Ecclesiæ orthodoxæ & Catholicæ ad sublimationem & consolationem, quam die nocteq; celeberrimis, doctissimis, ornatissimis, adeoq; utilissimis lucubrationibus tuis illustras, tū ab æmulis tueris & uindicas. O quam felicem me existimarem, si unicum Catechismi è tam Christiano pectore Nauseæ diuinitus emanati exemplar (si quod adhuc superest) assequi possem: super aurī quippe & argenti pondus quantūuis, plus momenti apud me semper habiturum. Ego etenim magno studio complector orthodoxam, Catholicam & summariam doctrinam, mihi, imò reipublicæ Christianæ profuturam. Cum mei tandem & orationū mearum indignarū commendatione, te benedictus Deus in longæua tempora conseruet, ex animo opto. Ex monasterio Scotorum, xxx Julij, Anno Domini nostri Iesu Christi M. D. XLV.

FERDINANDVS DEI GRATIA, ROM. REX, &c.
Domino Friderico Nauseæ Episc. Viennen. S. D.



Onorabilis, eximie, deuote, dilecte, literas tuas xxiiii. iam præteriti mensis Aprilis datas, unā cum orationibus libellis transmissis accepimus. Labores proinde tuos, quib. in negocijs antiquæ & ueræ Christianæ religionis indies sudas, singulari à te clemētia suscipimus, quos omni gratia recompensare propensi sumus. Quod ad duos libros acta Concilij concernentes attinet, informationem à nostri regiminis inferioris Austriæ consiliarijs recepimus, qua gratiosè & bene contenti sumus. Porro negocium libri Ferdinandi Cortesij, ad felicem ad-

uentum

tuentum nostrū Viennam cōmodè differri potest. Datū in ciuitate nostra imperiali Norinberga, viii. Maij. Anno, &c. XLV. Regnorum nostrorum, Rom. xv. anno, aliorum xix.

VVOLFANGVS DEI GRATIA EPISC. PATAVIEN.
Reuerendiss. in Christo Principi, ac D. Friderico Episc. Viennen. &c. S. D.



Ræmissa obsequiorū nostrorum amicorū cōmendatione: Reuerende in Christo, singulariter dilecte Dñe & amice: libellū, quē nobis hic ex hospitio tuo per Secretarium tuū misisti, & legendū mutuo reliquisti, cū gratiarum actione hisce remittimus. Cuius qualitate facile coniscere possumus, cum qui Lutheri scripta prius legerit, nihil in eo ipso libello rari, uel à Luthero alieni uisurū, nec oportuna se nobis offert occasio, qua cōmodè & citra scandalū idem libellus oppugnari debeat. Qui quanto uilius boni responso est indignior, tanto melius & utilius uideet eo ipsum priuari. Id quod hisce tibi significare uoluimus. Cui nos amicè cōmendamus. Datum in nostra ciuitate Patuieñ. xvii. Maij. Anno, &c. XLV.

NICOLAVS BOBADILLA REVERENDISSIMO
Principi ac Domino D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S. D.



Reuerendissime Princeps, xxv. Martij recepi literas tuas, ex Praga ad me missas, quibus intellexi Christianam nostram amicitia in absentia per amplius confirmatam: nec dubito, quin portæ inferi minimè præualebunt ad uersus eam, Agnosco beneficiū singulare mihi à Deo opt. max. & à te donatū, quod me ita synceriter amas: ac mei libri, imò tui, seu potius, si mauis, Reginæ, adeo memineris. Sed cum non sit à me ab solutus (sunt enim aliqua addenda, partim corrigenda) uelim non continuare, donec aliqua ex me reciperes, quæ modo pluribus occupatus negotijs mittere nō ualeo: sed breui missurus, & pluribus quæ non præter causas hisce inferere nequiuī, tecum acturus. Interim Christo commendatus, optimè ualeas. Datum raptim Bruxellis, xx. Maij. Anno, &c. M. D. XLV.

IODOCVS GEVTEINVS REVERENDISSIMO
Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S. D.



Literas tuas, Reuerendissime Dñe, iii. Martij ad me datas, pridie Calend. Maij à uiro sene, ob tuā cōmendationem mihi charo, accepi. Nostri Primates absent. Grymannus in legatione apud Parmenses & Placentinos: S. Crucis, in Concilio Tridentino: Farnesius in Dieta Vormaciē. aut apud Imperatorē in Germania inferiori. Nihilominus omnem mouebo lapidē, ut ad proximā postam aliqua sint expedita, prout manus propria D. Bernhardini Masæi, his introclusa, latius exponit. Cui etiam ostendi mentem tuam: & honorificā sui in libro tuo de Antichristo fieri mentionem, perplacuit illi: per quem etiam tua, maiori ex parte absentibus alijs expedientur. Bonus ille senex

BB 3 Ioannes

Ioannes Posthneberus infelici ad me uenit tēpore, eo nimirū, quo Archiepiscopus Colonien. cum sua reformatione, Bucerus cum tribus longissimis de Concilio libris, multum mihi facebant negotij in transferendo. Tamen integrum ei in societatem donati, more Germanico, diem. Bene ualeas, & boni consulas pronūc literas meas præcipites, quas reuera relegere non potui, negotijs ita urgentib. Romæ, x. Maij. Anno salutis M. D. XLV.

BERNHARDINVS MAFÆVS, &c. REVEREN. DOMINO,
D. Friderico Nauſæa Episc. Viennen. D. colendiss. &c. S. P. D.



Reuerendissime in Christo pater & Dñe colendissimū D. ditæ mihi sunt literæ tuæ, quas ad Reuerendissimū D. meum Card. Farnesium dedisti x v Martij, p̄sentas illas quidem amoris atq̄ obseruantie erga sedem Apostolicam, & S. D. N. cui quidem fuerūt pergratæ. Quod uerò quereris, te per bienniū literas ex urbe non accepisse, non nostra culpa, sed tabellariorum negligentia factum esse, firmiter & indubitatè tibi persuadeas. Cum ego singulis tuis epistolis, Cardinalis mei nomine responderim. Atq̄ efficiã, ne nostram operam, aut inferuendi studium desideres: uerūm hæc per alterū curforem expectes, propterea quod tempus non habeam in præsens. Ecce nunc tempus acceptabile. Oecumenica synodus Tridenti indicta est. Conueniunt illic legati Apostolicæ sedis, Reuerendissimus de monte Episcopus Prænestinus, S. Crucis tibi deditiss. & Polus Anglus, religione doctrinaq̄ omnes pariter præstātes. Confluunt eò iam oēs Italiæ Episcopi. Expectantur Hispani, quos in itinere esse accepimus. Nonnulli ex Gallis iam aduenerunt. Germani uestri desiderantur, quorum gratia Concilium indictum est. Que uerò de Pontifice & Cæsare scribis, tibi persuadeas, nihil tam exulceratū esse, quod non curari facillimè possit. Temporumq̄ uitia fuerunt, que ita tulere: non dissimilitudo uoluntatum: Id quod omnibus planè iam constat, quando Reuerendissimus D. meus tanquam angelus pacis, certissimumq̄ cōcordiæ inter eos pignus, ad Cæsaream M. profectus est. Iamq̄ illum Vormacię esse existimamus, nō parua Catholicis uniuersis cōsolatioem allaturum autoritate & gratia, quibus apud Cæsarem ualeat. Sed de his alijsq̄ plurib. aliās. Tu interea bene uale, & me ama. Romæ, ix. Maij. Anno M. D. XLV.

CLAUDIUS CANTIVNCVLA, &c. REVEREND. IN
Christo patri ac D. Friderico Nauſæa Episc. Viennen. &c. S. D.



Ost humilem sui cōmendationem: Reuerendiss. Princeps, Domine gratiose: Clarissimus ac uenerabilis Dominus Doctor Ioan. Steinhēuser, &c. scribit tibi super quodam negotio, affinium meorum omnium mihi charissimum Dominū Henrichum ab Iestetten, Abbatem Hugonis Curia & Capitularem Murbacē. cōcernente. In quo tu utramq̄ (quod dicis) paginam facere potes. Itaq̄ per ueterem meā erga te humilem

humilem obseruantiam, per si quid unquam feci aut facturus sum, quod tibi uel gratum fuit, uel erit, oro, precor, & obsecro, efficere digneris, ne uanam aut irritam de tua erga me & meos beneuolentia singulari, uelut certam concepisse spem, mihiq̄ persuasisse uidear. Equidem quicquid beneficii & benignitatis in dictum Dominum affinem meum collatum fuerit, id mihi collatum esse existimabo. daboq̄ operam, ne hæc tua benignitas in parū dignos impensa uideatur. Vormaciæ, die xiiii Aprilis, Anno, &c. XLV.

IOANNES LEANDER SILESIVS, REVEREN.
dissimo in Christo Principi ac Domino, D. Friderico Nauſæa,
Episcopo Viennen. &c. S. P. D.



Vt ad umbriferas cum nos deduxerit auras,
Dotibus exponit non reticenda suis.
Amphora nulla latet, dulci cellaria uino
Rident, dat gratas hospes amicus opes.


Vt sibi lætitiæ generoso nomine uitis,
Sic etiam uisa luxuriantur humo.
Hospitibus facilem præbet, nec dedecet, hospes,
Et iubet ad genium iubila ferre suum.
Annua uenerunt Viti sacra, thura, precesq̄,
Ponitur & magnis in chlyta præda dijs.
Ipsa sacerdotes cum Vito festa frequentant,
Concelebrant ritu numina celsa pio.
Indigenamq̄ bouem statuunt, solennia tractant,
Dum niuea est Vito cæsa iuuenca deo.
Quin uituli, Viti, nec acuta fronte minaces
Concurrunt, laxa porcus oberrat hara.
Arbor & omnis adest, & fructus quilibet, omne
Quicquid inest rebus, gaudet, ouatq̄, canit.
Annua sic Viti peraguntur uota benigni:
Hic, qui nos hilares iussit adesse uiros.
Ergo leuem uiridi captamus in arbore Vitum,
Dicimus & laudes laudis honore suas.
Munera suscipimus coelo uenientia summo,
Et inuat ex illa sumere læta dic.
Anxia mens nulli, funduntur pectora dictis,
Lusibus intentant carmina multa sales.
Iam uelut Alcino discesserat hospes Vlysses,
Ducimur à tectis, Vite beate, tuis.
Et Domini uultus generoso stemmate claros,
Nemo non memori mente tenere cupit.

Gratia

Gratia succedit uotis, pauperq; uoluntas:
 Hæc sunt quæ Domino contribuenda manent.
 Ut sincera uenit sincero pectore fama,
 Officijs minimis fama perennis erit.
 Ritibus antiquis est mos seruatus, ut istis
 Diuorum festis annua iura forent.
 Scilicet ex aliquo donatus munere abiret
 Quilibet, ut ducat pignoris esse loco.
 Poma, pyris, alter melymela, sed ille coronam,
 Pro grato Nymphæ ferret amore suæ.
 Annue Vite precor, Dominum nunc alloquor istum,
 Qui dedit ad proprios gaudia certa Deos.
 Iusta precor: iustum, Præsul dignissime munus,
 A larga ueniet, te tribuente, manu.
 Parce precor Præsul, me sic inuitat honoris
 Gratia, quæ menti sancta columna tuæ.
 Pauperies cogit socias odisse sorores,
 Quærere uult celebri mitia iura foro.
 Hoc quoq; non possum, prohibet res arcta paterni
 Limitis, & fundi iugera parua mei.
 Ad tua confugiens, Præsul, pia numina testor,
 Accedet studijs aura petita meis.
 Instrumenta dato, quæ sacra uolumina iuris
 Principio cupiunt, atq; tenere uolunt.
 Ius ciuile scio superesse, fer illud amore
 Innato nostris mens celebranda iocis.
 Et tibi restituum, studiumq; parabitur omne,
 Quod manet, officijs sedulitate tuis.
 Annue conanti, Vitum sine pondus habere,
 Atq; preces miseri suscipe quæso uiri.
 Ille tuæ laudis uocali murmure, rebus
 Tibia præteritis & reuocanda manet.
 Te dabit ille suum Dominum, Dominoq; parentem
 Perpetuis dicet, uir uenerande, modis.
 Et uitulum statuæ, Vito cum laude patrono,
 Nec poterit meritis immemor esse tuis.

SEBASTIANVS SOLIDVS GUNTIANVS RE.
 uerendissimo in Christo Patri ac Domino, D. Friderico Nauisæ,
 Viennen, Episcopo, &c. S. P. D.

Muse


 Vsa, noster amor, dulces ante omnia Muse,
 Siue animo letor, languero siue miser.
 Vos semper promptæ mecum tolerare labores,
 Et uarios casus spe meliore pati.
 Ecquæ de uobis iam nunc uolet ire per auras,
 Quæ libet, & clasas ferre referre notas?
 Rursus enim lux, mœsta dies, lacrymabile tempus,
 Tristia fortunæ dicere damna iubent.
 Illi, qui fautor sacrum nunc esse sororum
 Fertur, & Aoniæ pars studiosa lyrae,
 Quem siquidem potius peterem, quàm Nauisam illum,
 Qui fuit exilij sola columna mei?
 Quo dicto, stupuere omnes: captaq; furore,
 Plus nimium uisæ sunt mihi difficiles.
 Non, ut tam sancti nostra uice uisere nolint
 Tecta patris, quo nil dulcius esse potest:
 Sed nimum misero, quò nos, languore tacentes,
 Gressu difficiles pertremuere uias.
 Nomine cunctarum sic tandem reddidit una,
 Ut reor à facie, Calliopea fuit.
 Quò nos ire uoles, miseræ quò pellis, & inde
 Distrabis imbelles anxietate deas?
 Scis nos immensi cruciatas clade doloris,
 Et morbum longas sustinuisse dies.
 Atq; adeo adfixas miser è decumbere lecto,
 Ut desperemus penè salutis opem.
 Tam feruet calidis mens flagrantissima flammis,
 Ut magis haud rapido feruerat Aetna foco.
 Adde quod hoc rerum discrimine nemo mouetur,
 Occupat & iustum raro querela locum.
 Plura loquutura disrupti uerba Thalia,
 Voce miser tremula talia dicta dedi:
 Ab quid opus multis uerborum ambagibus, illis
 Desine nunc uatem sollicitare tuum.
 Quod tantum quereris, maiori pondere dudum
 Compator, totus factus & ipse miser.
 Qui nisi, quem nunc Musa petes, Antistita haberem,
 In medijs pariter concideremus aquis:
 Præsulis accedas igitur bene limina noti,
 Suppliciter clades & numerato tuas.

CC Taha

Talia suscipiens Dea, lento reperegressu
 Nititur, & iussas ire redire vias.
 Heus age tum dixi, nondum tibi cuncta recluisti
 Plurima sunt quæ nunc significanda putem.
 Si uenias tandem, quò te uenisse proopto:
 Neu nimium temerè progreddare caue.
 Sedula curabis, mitissima tempora fandi,
 Haud potior uoto res erit apta tuo.
 Aut ipsum inuenies meditantem oracula Phœbi,
 Aut exponentem uiuida uerba Dei.
 Siue etiam cernes per mille uolumina euntem,
 Commiscens Latijs Attica mella fanis.
 Si quando uenies Antistitis huius ad ædes,
 Dicendi & coràm copia facta tibi.
 Submissam exornet præclara modestia frontem,
 Talia & inflexo poplite uerba refer:
 Regis honos, uenerande senex, ter candido Præsul,
 Vnica sollicitis pectoribus requies.
 Quos tibi magne leues Mecœnas adfero uersus,
 Inuenies plenos questibus esse meis.
 Quamlibet indignum est lachrymis turbare beatos,
 Nempe quibus solum mittere læta decet:
 Quis tamen in tantis fortunæ fluctibus uti
 Posset plausibili carmine, uoce, stylo?
 Ille tuus languet, moeret, tristatur alumnus,
 Frangitur & totus penè dolore graui.
 Heu mihi, quàm uarios peperit fortuna dolores,
 Quàm leuis instabili uertitur illa gradu?
 Nuper flauentes lætus resonabat ad undas,
 Tacta sub Aonio carmina læta chely.
 Nunc subito oppressus morbo, nil exprimit ipse
 Quàm curas trepidi pectoris innumeras.
 Ni ergo respicias miserum, patrone, clientem,
 Actum est de Musis, quas colit usq; suis.
 Nam meditatatur opus, non forsàn Apolline dignum,
 Sed tamen Aonidum non reprobante choro,
 Hoc inimica teret nobis Rhamnusia, seruet
 Ni tua languentem gratia larga uirum.
 Quamlibet haud minimo medicus nos adiuuet usu:
 Me mihi tum Vati reddat, ut ante, meo.

Et spes

Et spes magna subest rursus nos rite ualere,
 Et colere ingenuas, ceu prius, arte deas.
 Sed te uno reuocante tuum, Patrone, clientem,
 E Phlegethontæis est reuocatus aquis.
 Hacubi submisso recitasti pectore, rursus
 Ad me seu terra, seu remeabis aqua.
 Hinc iterum nostros repetemus corde dolores,
 Dum nobis placidus spiraret utrisq; notus.

WOLFGANGVS ABBAS CAMPIDONENSIS, REVE-
 rendissimo in Christo patri ac Domino, D. Friderico Nauseæ, Niennen. Ecclesia
 Episcopo digniss. etc. S. P. D.



Non multos ante dies, quàm Catechismus tuus mihi præ-
 sentatus est, prius nō uisus, Friderice Episcope dignissi-
 me, nunciabant amici quidam, eius partem aliquā mihi
 abs te nuncupatam esse: sed fidem illis nō habebā, non-
 dum uiderāt enim, sed ab alijs audierāt editū Catechismū: quē tuo
 nomine à Secretario illo tuo Iacobo Taurello Selestatino, mihi fi-
 deliter oblatum, obuijs (ut aiunt) ulnis atq; animo beneneuolen-
 tissimo suscepī. Mihi que tardius allatum esse uehementer doleo.
 Posses enim, nullo hactenus dato gratitudinis qualicumq; indicio,
 me id muneris aut non dignè agnoscere, aut ingrātè contemnere,
 sinistrè suspicari. Atqui ego sanctè iurauerim, nihil mihi huius an-
 te Secretarij tui aduentū à quoquam esse cōmunicatum, nec editū
 certò constituisse. Quare si audis meam iustam purgationem, abij-
 ce, si quā de me sinistra cōcepisti suspicionē, nec quicquā de me si-
 nistri tibi persuaderi sinas. Semper gratū, semper ad obsequia tua
 paratum: inconstantem aut, & beneficiorū immemorem, me nun-
 quam inuenies. Porro gratias tibi ago ingentes, quòd me multo
 inferiorem & indignum tantis honoribus, iam auctus & euectus
 tuis lucubrationibus, quibus Ecclesiam Dei non parum illustras,
 & iuuas maximè, iam malè afflictā, uel etiā inter magnates, præter
 meum ullum meritum, idq; pluribus nominibus, quàm ego agno-
 scere, nisi impudentissimus sim, aut possim, aut debeam, celebras:
 nec dedignaris primorum tuorum amicorum loco, & numero.
 Quod quia maius est, quàm ut unquam par referre queam: cura-
 bo tamen, ut quòd facultates denegant, resarciat animus gratus,
 semperq; in tua seruitia promptissimus. Cæterum, Epistolam tuā
 nuncupatoriam, qua de silentio diuturno, & quòd crebris literis
 tuis hactenus ne semel quidem responderim, mecum acerbius ex-
 postulas, & sic me tui non amantem esse suspicaris, grauato animo
 legi. Mihi quidem unas à te literas Ratisbonam missas esse (quas,
 nec plures, accepi) non inficias eo. Quibus sanè statim, ut petebas,
 respondere per negotia, quibus tum eo loci arctius detinebar, in-
 tegrum non erat. Sed Campidonū inde reuersus, per mercatores

CC 2 rescriptis

rescripsi: nolens committere, ut amicitia nostra non vulgariter
 coepta, mea culpa interiret, aut silentio, quod saepe fit, dirimere-
 tur. Sed interceptas esse meas, iam ex tuis intelligo, & grauate fe-
 ro. Non est igitur, dignissime Episcopo, quod me uulgarem ami-
 cum, qui non semper diligit, existimes, aut suspiceris: imo animum
 erga te meum eundem nunc esse, & fore semper, quem olim expertus
 es, tibi certo persuasum uelim. Non enim ideo te minus diligo, si ra-
 rius scribo. Non sinunt semper negocia, quibus crebro molestissi-
 me obruor: aut scribere uolenti non suppetit materia, qua scribam.
 Pudet etiam, quae causa mei silentii potissima est, meis ineptijs, subiri
 de tuis doctis, auribus, importune obstrepere. Habes iam mei diu-
 turnioris silentii causas, non iniustas credo. Te, ut me uel aliqua parte
 amicitiae tuae haerere sinas, & inferiori non dedigneris, obnixè rogo.
 Quo impetrato, beatum me putauero. Quod equus, quem olim tibi
 donauit, tibi placuerit, gaudeo. Nouarum rerum hic nihil est te dignum.
 Nec de Concilio, & futuris comitijs, hic quicquam habemus certum.
 Dominus IESVS conseruet te Ecclesiae suae (cui praesens Episcopali hono-
 re) & communibus amicis in multos annos incolumem: fiat, fiat.
 Raptim, inter negocia, ut ex Secretario tuo intelliges. Campido-
 ni, XX Decemb. Anno M. D. XLV.

BALTHASAR EPISCOPVS VRATISLAVIEN. SUPRE-
 mus per utramq; Silesiam Capitaneus, &c. Reuerendissimo Principi ac Domino
 D. Friderico Nausea, Episcopo Vienn. S. P. D.



Reuerendissime Princeps & Domine, D. & amice obseruan-
 dis. Si prospera fruereris ualetudine, ac omnia tibi ex
 animi tui sententia succederent, faueremus id equidem tibi
 ex animo. Teque latere nolumus, nos quum per Sacrosan-
 ctam sedem Apostolicam ad generale Concilium in urbe Triden-
 tina celebrandum euocati simus, ac eiusmodi Concilio propter im-
 positam nobis per Sacram Rom. regiam M. Dominum meum gratiosiss.
 huius Ducatus supremi Capitaneatus administrationem, a qua pro-
 pter imminetia pericula in hac rerum turbatione, ob uicinitatem
 regni Hungariae, & crebras incursiones Turcicas nobis abesse, &
 in dicto Concilio personaliter comparere (quantum uis summa ala-
 critate id praestare cupiamus, statusque Dioecesis & Ecclesiae nostrae
 afflictus, summopere illud exigere uideat) integrum non sit, pro offi-
 cio obedientiae nostrae erga sacrosanctam sedem Apostolicam, procura-
 ratorem & mandatariū loco & nomine nostro & Ecclesiae nostrae,
 uenerabilem & eximium uirum D. Ioannem Cochlaeum, Sacrae Theolo-
 giae doctorem, Canonicum ecclesiae nostrae Cathedralis Vratislauen-
 in Christo fratrem sincerè dilectum, ad celebrationem & progressum
 eiusdem generalis Concilii deputasse atque constituisse. Verum enim uero
 quum idem D. Cochlaeus alijs grauis. occupationibus sacrae Ro-
 m. regiae M. Domini mei gratiosiss. eam legationem obire impediatur, non du-
 bitauimus, pro nostra erga te obseruantia & amicitia, te implo-
 rare,

rare, quod non graueris loco & nomine nostro, Ecclesiaeque nostrae,
 dicto Concilio generali, quum alioqui ibidem praesto futurus sis,
 interesse, ac omnia iuxta adiunctum praesens mandatum exequi.
 Nec est, quod longam & accuratam informationem hac in re a nobis
 expectes: nam in eadem uari status Ecclesiae nostrae, cum reliquorum
 Ecclesiasticorum & religiosorum in Germania est. Nulla enim haer-
 esis uel secta est, quae unquam hisce annis in Germania pullulauit, quae
 in hac dioecesi mea etiam non increuisset: adeo, ut omnes ferè hic,
 non solum seculares, sed etiam Ecclesiastici, paucissimis exceptis,
 obedientiae nostrae se subtraxerint. Inter quas tamen nonnullos su-
 spicor esse, qui aliud simulant, aliud in corde gerunt. Quod super-
 est, faxit omnipotens Deus, ut tanta res in hoc instituto Concilio
 ad gloriam nominis sui, Ecclesiae sanctae meliorationem, restaura-
 tionem, ac pium & felicem finem deducatur. Quicquid uero hac
 in re nobis & Ecclesiae nostrae, in suscipienda hac prouincia, bene-
 uolentiae & beneficii praestiteris, id per quaecumque occasionem nos
 de te omni officiorum genere promerituros offerimus. Cui tamquam
 Domino & amico nos amice commendamus. Datum Nyssae, XXVII
 Ian. Anno, &c. XLVI.

CAPITVLVM ECCLESIAE COLLEGIATAE B. MA-
 riae uirginis maioris Glogoniae, Reuerendissimo in Christo Principi,
 & Domino, D. Friderico Episcopo Viennen-
 si, &c. S. P. D.



Reuerendissime in Christo Princeps & Domine, D. gra-
 tiosiss, humillima orationum nostrarum commenda-
 tione praemissa. Ex literis tuis, nuper ministerio uenera-
 bilis & nobilis Domini IOACHIMI A' LIDLAVV, ad
 nos perlatis, cooperimus, qua animi pietate, & summis conatibus, ui-
 gilanter egeris, deprehendendis capitibus nostris paratis insidijs,
 illis ac caeteris iniurijs prudenter amouendis, mera gratia te submi-
 seris, nec quieueris ueri et fidelis Praesulis munia exercere, quousque
 Sacratiss. Maiestatis regiae infensus animus sit redditus clemen-
 tior. Quod meditates, plane deficiamus, dignam tibi pro tantis in
 nos collatis beneficijs reddere compensam. Non cessabimus tamen
 unquam pro illis, tibi, quem proculdubio a Deo opt. max. Sacrae reli-
 gioni desolatorum & insontium patrocinio unice natum destinatumque
 censemus, iugiter gratificari. Concipimus nanque optimam de te
 spem, ut labentis Ecclesiae negotia inter aduersa, tanto feliciores
 sint habitura processus, quanto diligentius tuis praesidijs, & auto-
 ritate fuerint adiuta: quod opportunè fieri poterit, si tu in Curia
 Romana, quod nunc profecturus es, a Sanctiss. Domino N. gratiam,
 quam Expectatiam uocant, ad consequendam circa Glogoniae
 maioris & Vratislauen. Ecclesias, quocumque modo uacantem.
 (quam duceres acceptare) dignitatem uel praebendam, in forma me-
 liore, cum processu fulminato, in camera Apostolica, cum annexis

poenis, & omnium aliarum gratiarum reuocatione ad dioeces. & Ecclesias Vratislauen. emanatarum, cum speciali mandato Apostolico gratificandi & admittendi talem gratiā per Episcopum Vratislauen. impetraueris. Persuademus etiam nobis pie & firmiter, de summo, Christi uicario, S. D. N. quod nos omniaque nostra tanquam ad tutissimā anchorā referimus, suā sanctitatem ab hoc tuo nostroque instituto in animarū salutem, desolataram Ecclesiarum & religionis leuamen suscepto, non clementis. animū, nec faciem & aures auerfurā. Deinde & tibi deuotissimē supplicamus, licet praepositura Glogouien. quod ardentissimis uotis flagitamus, ob non admissionē N. non potiaris: non desistas tamen, nec dedigneris & in Ecclesia Vratislauen. aliquo dignitatis honore, sacra Apostolica autoritate, gratia atque prouisione, uigore expectatiuae pmoueri. Est profectō hoc factū tibi immortale decus & dictis Ecclesijs allaturum, Christiano & fidei populo in pristinae religionis obseruantia constantiam, Schismaticis terrorem, perfidis autem ad fidei synceritatem redeundi occasionem praestitūrū. Et si nulla alia commoda inde (quae tamen plurima sperantur) essent euentura, certē praecipuum diuini cultus releuandi bona darent initia. Fuerē simili ratione Ecclesie praefatae à Reuerendissimo D. Ioanne Fabri, sanctae recordationis, praedecessore tuo (ut nosti) qui unius Archidiaconatus, alterius Decanatus munia gessit, candida doctrina illustratae. Hisce nos tibi humilimē commendamus. Datum Glogouiae, die Solis, XXI Martij, Anno salutis, &c. M. D. XLVI.

FRATER IOANNES FABRI AB HAILBRVN. *etc.*
apud Selestadium Prior, & Ecclesiastes, ordinis Praedicatorū, &c.
 Reuerendissimo in Christo patri ac Domino, D. Friderico
 Nauseae Episcopo Viennen. S. D.



Committere non poteram, Praesul sacratissime, & Meccenas colendiss. cum Secretarius ille tuus D. Iacobus Taurellus, uir profectō multis nominibus & clarus & integer, orationē illam funebrem, quam in obitū Sereniss. Reginae Poloniae iam pridem peroraueras, legendā offerret, quin animi mei in te flagrantiss. anioem uno aut altero uerbo declararem. Legi quidem, Praesul ornatissime, illam tuam orationem satis piā, eruditam atque elegantem; illumque in ea deprehendi animum, quem plurimis iam olim monumentis syncerum, piū, integrum ac candidissimum, multo sudore mundo declarabas. Nihil nanque exploratius mihi esse potest, atque animus ille tuus candidus, qui uerē in sanctae Ecclesiae salutem & multis ornatus es donis: Christi que gloriam, ac fidei Catholicae candorem; nec corpori nec uitae parcens, summa cum nominis tui gloria & honore propugnare, dilatarēque non cessas. Iam dudum plurimi mecum experti sunt, qua fide, qua industria, quo candore, quibus sudoribus sanctae

sanctae catholicae Ecclesiae negotia tractaris. Testatur id Centuriae illae tuae doctissimae (multa sileo) qua dexteritate, quam acere & fideliter haereticorum crucis Christi inimicorum imposturas, techinas, fallacias que detexeris, conuiceris, atque confuderis. Quam enim uirtutem Centuriae ille tuus non docent? quid uirum non taxant? Quis unquam fidei articulos tam pure, tam orthodoxe interpretatus est, atque tu, integerrime Praesul, in illa tua Catholica? Non me in me legisse (parcius nomen tuum praedicare non possum) qui Sacratissimae uirginis Mariae laudes, uirtutes, &c. qui ue fidei catholicae fundamenta puriori doctrinae integritate descripsit, docueritque, atque tu, doctorum doctissime. Non enim solum omnem impendis operam, quod te saluum facias: sed & nihil non facis, ut & qui te audiunt, salui fiant. Vnde uerbi purioris praecones plurimum tibi debent, quod lucubrationibus illis tuis & sacratissimis & eruditiss. salubri sanctaeque metamorphosi in sanctae Ecclesiae negocijs timidos, animosos, atque in negotijs Domini fortes: amulos, doctos atque eruditos: elingues, facundos disertosque summa prudentia feceris. Ob id eruditionem illam tuam, linguam, mores, integritatem, sudores, fideles uerbi Christi admirantur, suspiciunt, uenerantur, colunt, exosculanturque, dignumque te tanto honoris munere passim depraedican: Dei opt. max. bonitatem atque clementiam commendantes, qui in suae sponsae amoris argumentum doctores pios, ueritate Spiritus sancti eruditos, dare non cessat, quo haereticorum malitia pijs fidelibusque minus noceat. Haeretici quidem illi improbi, semper aliqua comminiscunt, quod fidei catholice candorem uel extinguant, uel diminuant. At tu, integerrime Praesul, in illorum albo diuina gratia relatus es, qui scriptis uere sanctis atque orthodoxis periclitanti succurrunt Ecclesiae quod ferox ille populus, rebellis, inobediens, durae ceruicis, a puritate Ecclesiae Matris misere degenerans, inuidiosa discordia, maliciaque ardore deseruescat: nihilque non facientes, quo ad pietatem, iusticiam, Ecclesiaeque sanctae obedientiam erudiantur multi. Vnde ornatissime Antistes, duplici honore dignus, nomen tuum in benedictione perpetua, memoriaque aeternam, uita & purioris doctrinae integritate pulcherrime adornasti. Caeterum, quid apud nostrates agat, quatenus periculo agitentur clerici, quid mali maneat monachos, quid calumnie patiantur sacrae uirgines, quanto ludibrio exponantur sacra quaeque, quid ue desolationis nequissimi illi haeretici, quod res mortalium sursum deorsumque misceant, meditent, proba fide D. Iacobus Taurellus, uir sane multorum testimonio celebris, doctus ac candidus, subindicabit secretius. Is quoque alia, quae per otium scribere non poteram, coram fideliter enarrabit. Dominus te saluum seruet, atque incolumem, Praesulum sacratissime, doctorumque doctissime, Fabrique filij tui memor. Selestadij, VI Aprilis. Anno, &c. XLVI.



Vantæ nobis uoluptati fuerit, Jacobi Taurelli, Secretarij tui ad nos reditus, paucis dici nequit, Reuerendissime Pater. Quis enim suauissimis elegantissimisque moribus ingenui iuuenis non delectetur? Quis facundiam non laudet? Prudentiam singularem in omnibus rebus non exosculetur? Denique non gratuletur fortunæ? Vulgo iactatur uetus illud dictum à Plauto relatum: Proba est materia, si probum adhibeas artificem. Ingenium in puello adhuc elucebat indicijs minime obscuris. Id tu cura tua formasti, institutione expoliuisti, diligentia absoluisti. Quæ res ostendit, quàm rectè gubernes aulam tuam, quæ uirtutum schola quædam dici possit, & bonorum morum seminarium certissimum. Vnde factum est, ut haud fallente in optimo iuuenis successu, è multis eum tu delegeris, cui castissimam modestissimamque illam neptem tuam Elizabetham, puellarum decus, in matrimonium dares: quod felix sit ac faustum, toti familiæ uestræ. Hic uerò quis non laudibus prudentiam tuam uehat, Reuerendissime pater? cum tu non modò tibi compararis affinem honestum, uerum etiam ministrum fidelioem sis habiturus. Et profectò rerum tuarum conditio, si unquam, nunc maxime tale subsidium exposcebat. Nam, ut tu sanctissimis studijs melius incumbere possis (quæ nunquam à te relinqui, uel Funeris illa oratio in parentalibus Reginae Poloniae, à te in Ecclesia tua dicta, satis testat) Secretario idoneo opus habes, qui te in negocijs prophanis subleuet: ut omittam prouinciæ istius iam à multis annis incertum statum, propter imminentes Turcas, qui Hungariam semel occupatam relinquere nolunt. Quos etiam quorundam societatis, Cæsari nostro, Ferdinandoque Regi minus quàm par est fauentium (ut ciuilitè dicam) ad quiduis audendum exstimular: præsertim cum Germaniam factionibus dissectam uideant. Pontifex nepotem suum Horatium in Galliam misit, in aula Regis uersaturum annuo stipendio quatuor millium coronatorum. Scribitur è Tridento, sibi illum à Concilio metuere, propter reformationem: à qua summorum Pont. animi, pro dolor, diutissimè fuerunt alienissimi. Sed metu liberabitur, si ea pars adulatorum uicerit, quæ Papam supra Concilium statuit: qua de re nunc aiant agi, summa animorum concertatione. Et miramur fatalem istam in Ecclesia dissensionem, quæ se magis atque magis indes propagat, & munit armis, etiam inuitis Principibus à Deo immisam, ut de emendatione tandem ordo sacerdotum cogitet, luxum superbiamque fugiat, frugalitatem ac sobrietatem amplectetur. Sane colloquium illud Ratisbonense, ita abruptum esse doleo, nisi

nisi forte Cæsar, Princeps sapientissimus, meliorem aliquam componendi negotij rationem demonstrabit. Sed ut ad Taurellum nostrum reuertar, omnes ipsius parentes, cognati, alijque necessarj me plurimum obsecrarunt, ut totius cognationis nomine tibi summas gratias agerem, quod iuuenem tali matrimonio honestandum duxeris. Proinde ipsos, seque suaque omnia tibi offerre. Quòd si locorū distantia non obstaret, uideres omnes certatim accurrere, & genibus tuis aduolui, incredibilem lætitiā prolixo sermone declaraturos. Ex ea affinitate Florentius Gebuilerus, Hieronymi illius antiquarj, qui Haganoæ ludum literarium diu moderatus est, filius, inter Decuriones huius ciuitatis minime postremus, & usus forensis haud expers, in proximo oppidulo Berkhèhaim, ditiōis Austriacæ in prefecturæ officio Michaeli Schirm nunc uiuēti, idque administrati, cupit autoritate Regia successor destinari, si forte eum contingat illi superesse. Rogo habeas hominem commendatum. De quo Iacobus plura suggeret. Deus optimus maximus te semper tueatur, & euehat ad maiora. Bene uale, Antistes dignissime. Datum Selestadij, postridie Calend. Aprileis, Anno, &c. XLVI.

IACOBVS SPIEGELIUS I. V. DOCTOR, REGIS ROM. CONSILIARIUS, &c. REUERENDISSIMO PRINCIPI & EPISCOPO VIENNEN. DOMINO FRIDERICO NAVSEAE, S.



Reuerendissime Princeps, & Præsul digniss. ac Domine obseruandissime: qua in dispositione, uale tudineque, me Taurellus noster superioribus Ianuarij diebus reperit, ipse tibi indicare poterit. Is mihi tuas literas plenas humanitatis tuæ, atque amoris, in me immeritum, miserante Deo, sub id temporis, quo maximo dolore angebar, reddidit: quibus lectis cor meum dilatatum est. Nunc autem nihil mihi magis dolet, quàm quod non possum tibi manu mea propria scribere, ob pertinaciam chiragræ. propter quam ipsi nostro Taurello, affini meo, quædam credidi, uti fidelissimo tuo Secretario, tibi communicanda: ex quibus cognosces (quem prius nouisti intus & in cute) Spiegelium tuum clientulum, nihil remisisse pristinae obseruantia, studij atque obsequij in te: rogans te enixe, ut ipsi Taurello in his quæ nomine meo referet, eam adhibere fidem uelis, quæ mihi, si coram essem, haberes: me que (ut haftenus) patrociniò & fauore tuo compecti & prosequi digneris: atque simul ipsi in Taurellum, quem paterna ego affectione diligo: cui uerbosiore commendatione mea minime opus esse apud te, ipsæ literæ tuæ satis testantur atque pollicentur. id quod me summoperè recreat. Cæterum, ego orando Deum optimum maximum, ut te utrisque nobis diu incolumem seruare uelit, ad consolationem, conseruationem que, cum Sanctæ ecclesiæ tuæ Viennensi, tum Orthodoxæ fidei instauracionem & tranquillitatem

DD tatem

tatem prouehendam, me tibi studiosissimè commendo. Ex Selesta-
dio, VII Aprilis. Anno, &c. XLVI.

IOANNES COCHLAEVUS REVERENDISS. IN CHRIS-
to Patri ac Domino D. Friderico Episcopo Viennen. etc. S. P. D.



Reuerendissime D. Præsul ornatiss, literas tuas nouissi-
mas, ad S. Vitum in arce tua datas, per Ioan. Gurtnerū
cubiculariū tuū, egregium sanè ac splendide, ut Astriace
Curia mos est, uel titum iuuenē, hodie à prandio (quod
mihi fuit cum Reuerendiss. Domino Episcopo Labaceñ. tui aman-
tissimo) cum gaudio recepi. pro quibus, etsi illæ me multæ negli-
gentiæ incularent, plurimas tibi gratias ago. Quoniam uerò Cubi-
cularius tuus constāter adserit, te breuī, utpote intra XIII dierū spa-
cium huc uenturū, non arbitror opus esse nūc proluxa excusatione.
Spero namq; accepisse te post datas literas mox, aut paucis post die-
bus, literas meas, quas mihi, respōdendo ad eas literas tuas, quas III
Nouemb. (si nō fallit memoria) datas, hic in Ianuario à Regijs uere-
darijs (ut ais) aut potius ab hospitiorū metatorib. recepi. Tradidi nā
que eas cuidā Lipsēñ. qui & isthuc fratrem habet ciuē: & in Eystat ali-
um fratrem, magistrū Hieronymum Ottonem, concionatorē noui-
tū in Cathedrali ecclesia, uirū piū & eloquentem. Malo tamen a-
pud te agnoscere quamlibet negligentia culpā, quā proluxè excu-
sare, dūmodo liber fiam à suspitione, nescio cuius iræ in te cōceptę.
Bone Deus, quæ mea foret impudentia, irasci ei Episcopo sine cau-
sa, qui mihi etiā in minorib. constitutus, perpetuò charus & uenera-
bilis fuit: Non est igitur, Reuerendiss. D. ulla causa iusta, quæ uel te
in me, uel me in te iustè cōmouere possit. Tuus sum hodie & pepe-
tuò, sicut fui annis iam XXIII, quando primum sub Card. Campe-
gio foelicis record. in mutuā familiaritatē & amicitia conuenimus.
Nolo nūc plurib. tibi molestus esse: quando quidē breuī aduēturus
esse diceris. De colloquio hic habito nihil scriptū dignū habeo. Vbi
adueneris, ore ad os fustius, securiusq; de omnib. colloquemur. Me-
mor enim sæpe sum uerborū tuorū, quæ Haganoæ & Vormaciae
de statu Reipub. mihi ceu uates quispiam prouidentiss. cōmemora-
sti. Pro libello ad me dato & nūc, & in priorib. literis, gratias habeo
& ago max. Meis ineptijs cubicularium tuū onerare nunc, non est
consilij. Vbi adueneris, confidentissimè de omnibus colloquemur,
uti spero. Bene ualeas: & prospero itinere huc citò, precor, uenias.
Ex Ratisbona, die VIII Iunij, Anno Christi MDXLVI.

NICOLAUS BOBADILLA DOCTOR THEOLOGVS
Reuerendiss. Domino D. Friderico Nauſeæ, Episcopo Viennen. etc. S.



Ratia & pax Christi Domini sit semper nobiscū, Amen.
Hactenus Reuerendiss. Domine, tibi non scripsi, quia te
quotidie ad futurum sperabam. Id quod initio comitio-
rum rumor, domus, insignia, & id genus alia signa con-
firmabant.

firmabant. Sed iam despondi animum de aduentu huc tuo, quum
principes ferè omnes & commissarij discesserint. Finis comitiorum
bellum est: eritq; talis ac tantus Cæsaris exercitus, ut parem similē
que Cæsar ab eo tempore, quo regnare cœpit, habuerit nunquari.
Christus bene fortunet, ut ego optimè spero. Nam causa iusta est, et
necessaria, & intentio planè Christiana: nec deerit Christus auxilia-
tor, quū Cæsar prælietur prælia Domini exercitiū. Doleo, quia tāt
dè adsint milites Itali & Hispani: sed aderunt tamē, ut audio, propē-
diem. Magister noster Kannissus, mittit modò literas tibi. Est ille
certè iuuenis optimæ spei, legit, concionatur Colonie, et laborat uti
bonus Iesu Christi miles. Mitto ultimā sessionē cōcilij, quod quoti-
die progreditur, & augetur numero multorū Episcoporū ex alijs
nationibus, præter Germaniā, quæ sibi sapit. Plura scribere non ua-
cat, hæc raptim scripsi. Velis igitur boni consulere meas ineptias in
scribendo. Bene ualeas opto: cui me plurimum commendo. Ex
Ratisbona, X Iulij, à nato Christo Salvatore MDXLVI. Intra pau-
cos dies ad te mittam historiam rerum in Germania hoc anno gesta-
rum per Cæsarem, per doctum quendā doctorem. Placet mihi ual-
de, quod semper laboras in docendo & scribendo. Impensè optarem
te hic adesse. Iterum uale. Et facito, ut in concilio adsis.

NICOLAUS BOBADILLA REVERENDISS. D.
Friderico Nauſeæ Episcopo Viennen. doctissimo, S. D.



Ratia & pax Christi D. sit semper nobiscum, Amē. Diū
desideraui intelligere ex te, Præsul dignissime, an rece-
peris quosdā doctoris Gropperi libellos, quos meus Pe-
trus Kānissus miserat ex Colonia tibi, quos ego ex Ratis-
bona unā cum actis Colloquiū Ratisboneñ. Viennā misi. Libenter
audiā, si tuas illi ad manus peruenerint. Ego ex castris Cæsaris disces-
si peste usq; adeò infectus, ut pleriq; omnes me mortuum arbitrati
sint. Sed Christus Dominus ab infirmitate pestifera me liberauit, et
à militibus quoq; & equitibus Landgrauij eripuit me, in quos inci-
di in itinere. Iam uerò tum propter debilitatem, tum propter uaria
pericula itineris, ad castra non redeo, nec tempus permittit. Decre-
ui hyemare apud Reuerendissimū D. Episcopum Patauiēñ. usq; ad
futura comitia. De rebus Cæsaris nouisti satis. Ambo exercitus mā-
nēt, sed fortior est & robustior Cæsaris exercitus. Landgrauij quo-
tidie dissoluitur, fame perit, ac pecunia caret. Dissidia non desunt.
Mauritius cum Rege Romanorum triumphat in Saxonia. Conci-
lium interim habet progressum. Vellem literas hęc introclusas mi-
sum iri ad Dominum Labaceñ. Plura scribere nō uacat, nec raptim.
Bonī consulas obsecro: cui me plurimum commēdo, peroptans te
foeliciter ualere. Ex Patauia, Calendis Nouembris. Anno Domini
nostri MDXLVI.

Reuerendissime in Christo pater ac D. literæ, quas cum libro per Ioannem Gurtnerum, cubicularium tuum, ad nos præteritis ijsce diebus transmisisti, dici profectò nō potest, quàm nobis gratæ fuerint, cum ob benevolentiam quam ex ijs erga nos magnam, nostra (ut ingenue fateamur) ex parte immeritam perspexerimus: tum uerò maximè, quod à te, tanto uiro, nomen nostrū posteritati innotescere, non inter minima fortunæ dona putemus. Nam quod tu nostram erga te beneuolentiam & beneficentiam tantum prædicas, hoc uel solum nobis certissimum beneuoli tui erga nos animi signum est. Quum enim nihil tale unquam de te meriti simus, cuius nomine quidquam nobis à te debeatur: tu uerò que pro me hospitalitatis officio tibi, quum nuper hæc trāsires, fecimus, & omnibus ferè, quorum aliqua est autoritas, facimus, tantum efferas: quis non uideret nostram apud te amicitiam magni fieri? Deinde uerò, quod maius tui erga nos animi specimèn edere potuisses, quàm quod lucubrationē tuam tam celebrem nomini nostro nuncupasti: Id quod quum plerunq; ijs tantum, qui ex illustrioribus orti sunt, uel singulari uirtute præstant, contingat, ut eorum nomina posteritati innotescant, non possumus non magni beneficii loco ponere: quod & nos per te, cuius multas ob causas celeberrima erit apud posteros autoritas, cum decora nominis nostri cōmemoratione ad posterorum noticiā perueniamus. Quo nomine agimus tibi immortales gratias, habituri quoad uixerimus: referre quum nō possimus, præstābimus certè, ut nos ter erga te animus posthac omnibus, cum laudum tuarū quanto fieri poterit encomio innotescat. De libro tuo nihil prædicābimus. Is enim est, qui nec nostra, nec aliorū commendatione egeat. Optarem profectò Christiano orbi, atq; in primis Germaniæ nostræ afflicte, plures tui similes Episcopos. Fieret haud dubiè, ut p̄ tales res ecclesię perturbatissimè facilius quàm ulla alia ratione cōponerentur. Iam rari cum sint qui afflictæ rei Christianæ consulere possint, hortamur te in Domino, ut quemadmodū fecisti hætenus, prædices uerbum, in spes oportune, importune: arguas, obsecres, increpes in omni patientia & uirtute. Hoc si feceris, ministerium tuum implebis, & accipies coronam uitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Cum ijs Reuerendissimæ D. T. nos nostraq; officia dedicamus. Ex Patauia, XXI Nouembris, Anno Iesu Christi MDXLVI.

NICOLAUS BOBADILLA DOCTOR REVEREN
 disimo Domino Friderico Nauseæ Episcopo Viennen, Domino meo
 obseruandissimo. S.

Gratia &



Ratia & pax Christi D. sit semper uobiscū: Amē. Misissimè historiā, quam promiserā tibi, sed reuera nō est scriba mihi: sed hodie dedi illā transcribendā in præsentia laetoris, qui has ad te defert. Te rogatū magnopere habeo, quatenus illū cōmendatū habeas. Vadit enim Viennā studiorū gratia. Videt iuuenis boni ingenij, & spei. Tales sunt fouendi, qui literis plura p̄stare possunt, quàm principes armis. Nō est aut, qd ego multis tibi persuadēā uerbis, hoc ipsum: qui nihil magis optas, quàm ut studia et studiosi semper et uibque promoueantur, ad gloriam Dei, et eius Ecclesiæ sanctæ exaltationē. De Cesare iuuenis ipse satis significabit. Landtgrauius cum toto suo exercitu fugiēs discessit, qui dissolutus est. Vbi uerò Cæsar maneat, nescitur. Quidam dicunt ipsum esse apud Norlingam. Rex Romanorum Viennam descendet, statim post Domini natalicium. Fortassis Episcopus Patauien. unā cū illo (& ego cum ipso) descensurus est. Vbi spero me salutaturū te: quem Christus foeliciter cōseruet. Amen, Ex Patauia, IIII Decemb. Anno Salutis humanæ M. D. XLVI.

VRBANVS DEI GRATIA EPISCOPVS LA
 bacen. Rom. &c. Regiæ Maiestatis Confessor & Eleemosynarius, Reuerendiss.
 in Christo patri ac Domino, D. Friderico Nauseæ, Antistiti
 Viennen. &c. S. D.



Ræsul ampliss. Non possum nō uehementer dolere, cum recordor me in salutato te, cui quidē tot tātisq; beneficijs deuinctus sum, discessisse: teq; nō, uti par erat, antea conuenisse. unde nomine quidē ingrati tudinis optimo iure suspectū me habere posses. Quod autē crimen ut diluā, illud afferre in mediū, alias innumeras tacendo occupationes, possum, me adeo ex tēpore abire coactū, ut uix mihi sarcinulas colligēdi meas tēpus suffuerit: atq; ea in primis causa properandū mihi erat ante Regiam M. ut aliquo commodiori hospitio uti possem: quale fortasse, si cū Rege abiissem, nō fuisset habiturus. Quam quidem excusationem non uereor, quin (quæ tua est humanitas) sis accepturus. Licet omnibus etiam ualde necessarijs negotijs sepositis, conueniendi te horam suffurari uolebam, nisi à famulo meo, qui ea de causa à me ad te missus erat, relatum esset, te in ordinandis quibusdam clericis occupatum. Ita factum est, ut te inuisere non potuerim. Quam obrem nō ex negligentia, aut animo parum grato à me prætermisum esse existimes: deq; me omnia summa studia, officiaq; tibi pollicearis uelim. Atq; etiam si quid esset in hisce prouincijs, uel in curia Regia, quod tibi actum uel effectum cuperes, uno saltem aut altero uerbo per literas significes, mihiq; illud expediendum liberè imponas. Ego omni diligentia atq; cura, nunquam nō effectum tibi redere contendam. Optimè ualeas. Datum raptim Olomucij, II Aprilis. Anno XLVI.

DD 3 DOMINICVS

DOMINICVS A PROCKENDORFF CANO-
nicus Vratislauen. etc. Reuerendissimo in Christo Principi ac Domino,
Domino Friderico Episcopo Viennen. etc. S. P. D.

Reuerendiss. in Christo Princeps & Domine, D. hono-
randiss. literas tuas humanissimas & doctissimas, per
uenerabilem & nobilem Dominum Ioaichinum à Lid-
lauu, Ecclesiae diuae uirginis Marie Glogouiae maioris
Canonicum, confratrem mihi chariss. ea qua decuit, reuerentia ex-
osculando accepi, legi, & relegi, non nisi summam pietatem & erudi-
tionem tuam spirantes, sub hocq; exulceratissimo seculo, rerumq; om-
nium tumultu maximam animo meo consolationem inferentes. Ceterum
Reuerendiss. Praesul, nihil profecto Domino à Loben scholastico
Glogouien. & Canonico Vratislauen. alijsq; probis uiris & mihi
accidere potuisset & posset gratius, quam quod Praeclatura aliqua or-
dine tuo digna in dioecesi Vratislauen. dudum prouisus fuisses, aut
in futurum prouidereris. Praeterea, quod tam longam, tamq; periculosam
professionem subiueris, uehementissime nos conturbat. Deus opt.
max. continuo orandus est, ut te ad locum destinatum foeliciter condu-
cere, & foeliciter reducere ad Ecclesiam suam dignaretur. Charissimi
D. confratres, Domini Franciscus à Loben, Nicolaus à Krierkauu, et
Nouomaister, tibi sese humillime commendant: offerentes eorum ora-
tiones, pro foelici & longeuo tuo regimine. His quoq; & me, & ob-
sequia mea indefessa tibi subiectissime & unice commendo. Datum
Vratislaviae, Dominica Reminiscere. Anno Domini M. D. XLVI.

IDEM D. A PROCKENDORFF, EIDEM
Reuerendissimo Domino Episcopo Viennen. etc.

Reuerendiss. in Christo Princeps, & Domine colendiss. post
salutem, & pacem in Christo, promptissima obse-
quendi studia mea sint tibi parata et subiecta. Et si nihil
scriptu dignum nunc occurrebat, nolui tamen, habita com-
moditate, te meis praeterire literis. Utinam tanti Pont. conspectum
sub sacrae Maiestatis R. praesentia uidere licuisset. Sed, proh dolor,
secus quam à plerisque desiderabatur, accidit. Reuerendissimus D.
Urbanus Episcopus Labacen. Princeps humaniss. quam mihi & a-
lijs pijs & orthodoxis exhibuit uere paternam charitatem, literis ex-
plicare non possum. Quae per sacram Regiam M. hic acta sunt, pro-
culdubio tibi etiam innotescunt. Reuerendi & eximij Domini, Fran-
ciscus à Loben, Neumaisterus, & M. Ioannes Milde, sese decenti re-
uerentia tibi commendant, & omnem precantur foelicitatem. his
quoq; & me tibi subijcio, & perpetuam pro Ecclesiae ornamento
ualetudinem ex animo opto. Ex Vratislavia, x. Iulij. Anno etc. XLVI.

VALENTINVS HANVS, ET IOANNES A
Buochau, Canonici et Administratores Archiepiscopatus Pragae. Reue-
rendiss. Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. etc. S. P.

Reuerendiss.



Reuerendiss. in Christo Princeps & Domine, ac Ecclesiae
nostrae patrono, nobis singulariter obseruande, ad obse-
quia quaeuis animum paratissimum semper offerimus.
Occasio sese obtulit ex parte cuiusdam adolescentis, no-
mine Ioannis, cognomento Kantkonys, nostrae Praegen. dioecesis a-
lumni: qui diuini spiritus instinctu motus, sacris ordinib. cum mino-
ribus, tum etiam maioribus insigniri uehementer cupit. cum itaq; ti-
bi optime constet, quanta penuria Ecclesiastici ordinis personarum
undequaq; per inelyti Regni Boemiae districtum instat, ubi multa
messis, sed paucus operariorum numerus ad est; tibi tanquam patrono
Ecclesiae nostrae fauentissimo, reuerenter supplicamus, ne dedigne-
ris memorato Ioanni praesentium exhibitori, quae honesto prouisionis
titulo apud Ecclesiam nostram Praegen. insigniuimus, dictos ordines
sacros extra tempus à iure constitutum, auctoritate tua gratiosè impar-
tiri, si & in quantum Pontificiam auctoritatem in hac parte habere digno-
sceris. Pro quo Deus tibi mercedem immarcescibilem in caelis dare di-
gnabitur. Quae in suo regimine foeliciter perpetuo uiuere optamus. Ex
arce Praegen. die Lunae post diuinae Trinitatis festum. Anno, etc. XLVI.
DOMINICVS A BROCKENDORFF, ETC. RE-
uerendissimo in Christo Principi ac Domino, Domino Friderico Episcopo
Viennen. etc. S. P. D.



Reuerendiss. Princeps et Domine, Domine colendiss. lite-
ras tuas 11 Iunii Viennae datas, summa animi mei conso-
latione legi & relegi: rationes non contemnendas, qui-
bus Viennae haecenus te continueris, hucq; non ueneris,
insinuantes: scilicet tum ob publicae & urgentiss. sacrae Maiestatis Regiae
negotia adimplenda: tum ob animarum salutem, ut puillus grex aequa sus-
cipiat fronte. Et si profecto eximij D. confratribus meis, & mihi, gra-
tius & iucundius accidere potuisset nihil, quam ut tua humaniss. &
doctiss. uti & frui conuersatione, & te facie ad faciem uidere licuisset.
Et hodie si fieri commodè absq; rerum publicae neglectu posset, non
minus ex corde optarem, forsitan Deus opt. max. concedet, quod
tu cum magno piorum hominum tripudio, & Ecclesiae nostrae iu-
bilo, Vratislaviam sis aliquando uenturus. Ceterum S. R. Maiestas,
cum Serenissima Reginali Maiestate, ac illustrissi. Principe D. Maxi-
miliano Archiduce Austriae, ac reliqua eius candidiss. prole, Domi-
nica Palmarum in ecclesia collegiata S. Crucis: in sacratissima uero
& iucundiss. Dominica Resurrectionis, in Ecclesia maiori Vratis-
lauen. sacra magna deuotione & attentione audiuit, sacrisq; uicq;
ad finem interfuit, secp; in omnibus Christianissimum Regem exhi-
buit. Praeterea nobilis Dominus Franciscus à Loben, tibi deditiss.
ut opt. domesticus, mappas mensales & mantilia iam ordinauit. Ca-
etera uero supellex linea breui procurabitur summa diligentia, pro-
ut per Reuerendiss. Dominum D. Episcopum Labacen. patrem
manuetiss.

mansuetis, & gratiosiss, scripsi: cuius summam uirutem, humanitatem & candorem, ac in rebus agendis dexteritatem, tum in religione constantiam, uehementissimè admiratus sum: sic, quòd literis describere, uel ore eloqui non possum. Eas literas tibi redditas esse spero. Ex concilio Oecomenico Tridentino, quæ mihi per Reuerendissimum Dominum Archiepiscopum scripta sunt, copia literarum presentibus inclusa indicabit. Reuerendi & eximij Domini confratres mei, obsequia sua studiosissima tibi diligentissimè commendat: cui & ego me unice offero, & perpetuam sanitatem precor. Datum Vratislauiae, XIII Iunij, anno Salutis M. D. XLVI.

PETRVS KANISIVS NOVIOMAGVS, ETC.
Reuerendiss. patri & Domino Friderico Viennen. Episcopo, &c. S.



Ratia Domini nostri IESV CHRISTI semper assistat C. T. & Viennen. ecclesiã conatibus tuis illustrare pergat, & augere. Quum his diebus ex Geldrica patria Colonia redijsem, ac temporalium bonorum illecebrosa sarcina me non sine uoluptate maxima leuassẽ, commodum sane domi literas offendi tuas, hoc est, D. Nausea & Episcopo dignissimas. At illud comòdum non fuit, eiuscemodi scripta tot mihi mensibus intercipi, nec ante Maium accipere, quod Nouember istic augustissimè mihi peperisset. Igitur ferius quàm uellem, tuas literas comtemplari licuit: semel autem inspectæ, sic mihi pauerunt oculos & animum, ut hætenus de tãto Patrono & Mœcenate, quem exhibent amicissimè, non desinam gratulari mihi lætissimè. Sed haud modò libet expendere, quid, quale, quantumquẽ sit, inepti seruuli scriptum ab Episcopo, etiamsi tu is non esses, excipi beneuolè, exceptum patienter legi, lectum bene consuli: sic denique uel tuo ipsius testimonio responsoque comprobari, ut longè plus impetrasse uidear, quàm tenuitas mea sperare unquam potuisset, rogare saltem nõ sine pudenda præsumptionis nota debuisset. Equidem gratificandi & inseruendi amplitudini tuæ, studium meũ datis literis declarare uoluerat: ratus (quod res est) mecum præclare actum iri, modo in Viennen. Episcopi quoque noticiam homuncionem istum insinuauissem, & ipsius clientulorum albo adscribi unus promeruissem. Tu contrà, (ò memorabilem Episcopi humanitatem) non te socium inquis, non seruum, non clientem, non mancipium, sed nostrorum pro rep. Christiana studiorum & laborum planè collegam habituri sumus, imò & nunc habemus. Taceo interim, quòd uiribus & rebus & facultatibus tuis per quamlibet occasionẽ uti & abuti me iubeas, adeoque bonorum omnium uelis mutuam inter nos esse communionem. Nullum autem amantissimi pectoris argumentum prodi potuit euidentiùs, nullum accipi suauius, atque dum ita scribis: Tu noster esto, in gere tuo Nausea est, ac erit perpetuò: Fac tempore quoque primo nobiscum

biscum compareas, tuique nobis ita cõspiciendi copiam facias, uti dextrã dextrẽ iungere queamus, ambabusque uulnibus te cõplecti ualeamus. Agnoscis haud dubiè uerba tua, uir obseruandissimè: quibus lectis, mirum ni rubore suffusus exclamem, ut qui nihil promeritus, omnia mihi deberi, & maxima proponi tribuique à maximo uiro perfectiam. Alius fidenter cristas hic erigar, mirificè sibi placens, ac blandiens de tantis pollicitis. Ego uerò, qui summorum hominum ultro nea beneficentia tantum non obruor, hoc etiã ad miseriarum mearum cumulum accedere iudico, quòd homo futilis, quem oderint cuncti iustissimè, sic apud multos audiam bene. Quippe si uerum est, Cõscientia mille testes: quid demum in me tanta liberalitate & laude tua dignum conspiciatur? Ah, dicam ingenuè, tot animæ fordes miser circumueho: neglecti temporis damna, & oppugnata uirtutis argumenta, sic mihi uersantur ob oculos, ut bonorum fauorem atque munificentiam experiri, nec æquum mihi uideatur, nec tutum, honestumque. Pro suo quidẽ merito iuuandi sunt pĩ, ac piè studiosi. At uide obsecro, nisi fortè perfectionẽ meditaris Euangelicã, an prudenter satis in mei similes beneficia tua conferas. Eos loquor, qui pietatem multa cognitione, non affectus puritate: scientia & desiderendi copia, non sanctimonia & uiuendi simplicitate metiunt. Hęc scilicet mea pietas est, patri Deo opt. max. fidem non seruare, ut filij solent adulterini: non suum cuique fratrum ius tribuere, quòd inhumanitatis immane crimen est: agnitam iusticiæ uiam nõ persequi, quòd B. Petrus par facit infidelitati. Cæterum ignaui quoque milites, quietis amantes, haud grauatim deponunt sarcinas. Tamen quid referre possit, amicos etiam fures temporis deserere, ac interim à Dei amicitia & gratia excidère? Non repudiata opes Cratem Thebanũ, Diogenem & Cynicos fecere Christianos. Quòd autem sacras literas profiteor, & munere concionandi fungor, nihilo sit in me laudabilius, quàm æs inani strepitu discindens aerem, aut cymbalum inutili tinnitu aures feriens. Nimium enim à me procul est illud eulogium, proh pudor, quòd in bonum duntaxat competit Ecclesiasten: Ille, inquit, erat lucerna ardens et lucens. Atque adeo nisi uiuus et igneus carbo ex altari sumptus, contactu me suo purget, tantum abest ut magnifica Dei mysteria dignè loquar, ut etiam, quia peccator enarro iusticias Domini, periculum sit repulsæ à sacerdotio, si uerè comminatus est per Prophetam Deus. Hęc ut sepius non sine animi cõcussione animaduerto, sic nunc, præter decorum licet, ad sapientiã tuam intrepidè perscribo, tum ut sanctis precibus tuis causam meam apud Christum tueare, tum ut horrore quodam affectum sentias Kanisum tuum, ex officiorum quæ promittis humanissima commemoratione. Pro mediocribus beneficijs agenda sunt gratiæ: hoc longè maius est, quam ut conueniat ullis uerbis aut scriptis gratias agere. Christum Dominum nostrum sedulo precabor, (nihil enim

EE dignè

dignè possum unquam rependere) ut sicut gratuita benignitate iam tua me pietas prosequitur, ita quæ uel hanc Viennen. ecclesiam decent, uel tuam celsitudinem Deo commendant, ea semper duce Spiritu sancto facile et ubertim assequare. Sed utinam ea detur mihi foelicitas, et adsit Christo fauente opportunitas, quæ nulla se mihi nunc aperit, ut secundum uoluntatem tuam, & præter meritum meum, dexteram ambo iungamus. Quam liberet, si quoquo modo liceret, auscultare sanctis tuis monitis, mihi quidem tyroni et paruulo in Christo, cum primis ut opinor necessarijs. Quam uolupte, talis Episcopi conspectu frui, consilijs uti, & si dicere licet, illo familiari conuictu indies recreari? Facile tua perspicit sagacitas, nec sine amicorum istorum graui offensione, nec sine superiorum meorum permissione mutari sedes à me posse: præsertim quum ad Timotheum epistolam alteram meis auditoribus enarrandam, & lectionem in Matthæi Euangelio perficiendam bona fide susceperim. Quod si tamè perpetuo mihi uenerandus ille pater D. Bobadilla, si præpositus nostræ societatis, qui Romæ est, D. Ignatius, hinc me curet amandari, & ad Celsitudinem tuam me destinatum uelit, en ilico sedes moueo, Viennam cõtendo, me totum Reuerendissimè D. V. suppliciter dedicaturus. Quod autem ad superiores, siue patres attinet, quorum instituta profectumque in Dei uinea scire poposcisti, utinam breui quicquid huc pertinet, expediri à me posset. Cæterum & iudicio tuo gratius, & modestiæ meæ conuenientius fore putabam, ut communicatis eorundem literis, quas hisce coniunxi, quid omnino meditentur, ipsis etiam testibus intelligeres. Postellum opinor iam dudum nosti, mathematicum apud Parisinos Regium professorem, ut suis ipse literis ostendit. Extat huius autoris illud admirandum ac planè diuinum opus, De totius Christiani orbis cõcordia, sed quod impurissimis quidam scholijs foedè additis cõtaminarunt. Hic de nostro Archiepiscopo fuerat adijciendum, si non obstinatum senis animum tacere præstaret, quam uerbis inuidiosis exaggerare. Sic & senum prudentes olim animos protinus hæresis dementare, & ad omnem pietatis contemptum adducere potest. Unus penè D. Gropperus causam Religionis suis ipse humeris fortiter sustentat, meque suorum consiliorum testem familiariter adhibet, ut patrem eum diligere, D. reuereri, et patrono semper gratificari debeam. Iubet etiam nunc C. T. officiosissimè salutari, suoque nomine quiduis promitti, sicubi pro Viennen. ecclesia & Reuerendissimo D. Nausea rectè quicquam efficere queat. Utilissimam certè nauauit operam in ijs libellis, quos hic ab eo coniunctos accipies, & ad pietè instituendam iuuentutem pijsimè dexterrimeque conscriptos. Prodiit postremis etiam in nundinis Alexandrinus Archiepiscopus ille Diuus Cyrillus, nostro studio sic auctus & recognitus, ut nunquam antea. Sed Coloniensis editio uincit (nostro quidem iudicio) Heruagianam operam: licet utraque editio laudè sua non sit indigna.

Proximè

Proximè dabimus magnum illum Leonem, qui sententiarum grauitate, & sermonis puritate, ac animi pietate nulli ueterum Theologorum cedit. In quo sanè restituendo Herculei labores deuorandi sunt: adeò corrupta, mutila & lacera dignissimi Pontificis monumenta, quæ nunc passim extant, & uix apud paucos extant, hæcenus asseruantur. Sed quò calamus procurrit intemperans? Primum loquacitati ac intempestiæ prolixitati, nec non prolixæ balbutiæ meæ danda est uenia. Tot laboribus & curis premor, ut ad scribendum haud satis otij et quietis inueniam. Dein abunde officio meo respondisse uidebor, modo (quod unice cupio) me tuis indignum beneficijs habeas, quum ne minima quidem ex parte tuæ de me conceptæ expectationi satisfacere possim. Aut si immerentem liberalitate tua prosequi Kanisium uoles, me iam omni fidelitate et obseruantia, Viennæ si liceat, ea omnia facturum dixi, quæ tua clienti mihi imperabit autoritas. Vale in Christo, Reuerendissime pater, Coloniæ, xx Junij, 1546.

VRBANVS DEI GRATIA EPISCOPVS
*Labacen, etc. Reuerendiss. in Christo patri ac Domino, Friderico
 Episcopo Viennen. etc. S.*

IN salutari nostro Iesu Christo, salutem ex animo, cum debita reuerentia, & humili cõmendatione, tibi precor perennem, Reuerendissime in Christo pater & Domine, Domine obseruandissime: propensum erga me animum tuum toties expertus, non possum non rubore suffundi. Qui cum nihil unquam de te bene meritus sim, nec colligere est, unde aut quomodo respondeam, maximè cum semper plura et maiora superaddas beneficia. Nam receptum esse hic Pragæ in tuam domum, satis non est, cum tamen sit plurimum. Sed & tota familia tua iugi se exposuit ministerio. Inde per omnes, quibus hic moratus sum, dies cum mea familia tuo usus sum uino Austriaco: et licet soluere uoluerim, ex tua tamen commissione secretario tuo Iacobo Taurello, cuius obsequio per humano quam accuratissimè usus sum, facta, non sum permissus. Quare tibi maiores ut possim, refero & habeo gratiarum actiones: summam daturus operam, ut saltem in minimo aliquo, iuxta posse meum, gratum me exhibeam. Reuerendiac unde quaque cum docti, tum etiam pijs uiri, Franciscus à Loeben, Dominicus à Brockendorff, D. Michael Hildnbrand, iniunxerunt mihi, te obedientissimè & diligentissimè ipsorum nomine salutandum. Qui mallent ista coram proprio ore exequi: nam incredibili tenentur te uidendi affectu, uerè carididi ac sanctæ conuersationis uiri: quos quisque citra adulationem laudare potest. Regina nostra clementissima, iam proximo sabbati die subsequutura est Regiam M. Expectabit hic finem diætæ, utinam foelicem. Præterea non habeo, nisi quòd uti patri & Domino colere

EE 2 dissimò,

dissimo, tibi me sincerè cōmendem, quem & foelicissimè ualere per-
cupio. Pragæ, III Iulij. Anno salutis nostræ M. D. XLVI.

DOMINICVS A BROCKENDORFF, ETC.
Reuerendissimo Domino, Domino Friderico Episcopo
Viennen. &c. S.

Reuerendissime in Christo Princeps & Domine, Domi-
ne colendis. cum præsentium lator aduentum tuum in
Vratislaviam breui futurum mihi in aurem fugillasset,
totaliter animo & exhilaratus & consolatus sum. Deus
omnipotens ex sua ineffabili bonitate & clementia adesse dignetur,
ut hanc profectioem foeliciter & subire & perficere possis. Erit eni-
nim ad Ecclesiam Vratislaviæ, aduentus tuus nobis de grege pusil-
lo ut diu desideratus, & semper exoptatus, ita nunc futurus gratissi-
mus. Dominus Franciscus de Loeben ex Glogouia hæctenus nõ re-
dijt, aliàs dudum tibi respondisset. At, ubi te tam breui huc uerturum
intellexerit, quàm primum huc dubio procul se conferet. Deus opt.
max. profectioem tuam ex animi tui sententia bene fortunet, teq;
perpetuo saluum & incolumem seruet. Datum Vratislaviæ, prima
Septemb. Anno XLVI.

IOANNES HASENBERGIUS, ETC. REVE-
rendissimo principi ac Domino, Domino Friderico Episcopo
Viennen. &c. S. D.

Reditæ sunt mihi literæ tuæ, Præsul dignissime, et Patro-
ne obseruadissime, in quibus negotium officialis tui cau-
sa Canonatus mihi commendas: quod mihi ita curæ e-
rit, ut quàm primum se opportuna obtulerit occasio, ip-
sum sim apud S. R. M. solliciturus. Tantum enim nunc temporis hic
uideo esse negotiorum, ut uix ad aures scalpendas (quod aiunt) satis sit
temporis Imperatori, Regi, & illorum consiliarijs. Omnia hic bello fla-
grat, et parum absuit quin reces in media nocte omnes perdit et suffo-
cati fere fuisset, quonia Vulcanus est insidiatus Marti. Nam ignis
III Iulij proximè pulueris magnum numerum erupit. Hic uidisses om-
nia sursum deorsum turbari, ad arma prouocari, & ipsum adeo Im-
peratorum arma induere. non satis enim constabat, unde & a quo ignis
ortus erat: & erat numerus pulueris ad tria millia centenariorum. Im-
peratori nostro planè cōmouerunt stomachum, sua inobedientia et
superbia Schmalckaldici, ut prorsus implacabilis factus sit. Domi-
nus Deus faciat, ut sese agnoscant, & Imperatorem reuereantur. nõ,
nullæ ciuitates insolentissimè agunt: uideant, ne de tergo dent poenas.
Vestrum exit, liturgijs, supplicationibus, & precationibus pro pace,
uel certè Imperatoris uictoria, orare: ut, facta pace hæc arma in Tur-
cæ uerius conferant, Conciliū floret, ut nunquam florentius. Vidi heri
IIII sessionem, & legi etiam, quæ est de scholis erigendis, etc. Archi-
dux Maximilianus, fortis atque magnanimus, perget in militiam,
& ter

& ter mille equitum dux erit: & habebit locum tenentem, D. Fridericum Comitem à Furstberg. Deus opt. max. omnia nostra cœpta
ad nominis sui gloriam, & nostri omnium salutem, bene & fortunatè se-
cundare, et te nobis diu foeliciter atq; beatè ualentè cōseruare digne-
tur, cui & me humili obseruantia commendo. Datum citissimè, Ra-
tisbonæ, IX Iulij. Anno, &c. XLVI.

IOANNES SOBETIUS A CORNICI ET LYBEC-
ka, Reuerendissimo in Christo Principi ac Domino, Domino Frideri-
co Episcopo Viennen. S. P. D.



Quanquam Reuerendissime Præsul, Domine & Patro-
ne gratiosiss. nihil est, quod me nunc ad scribendum ad-
te impellat, quo occupatissimum te semper inturbat: tamen nõ potui continere & cōmittere, ut cum ad plu-
res Viennæ tuæ nunc diuersantes, tum etiã ad Procures Regni pro
Tribunali sedentes, scribere coactus fuerim, te in me tam benignè
propensum, silentio planè sacrilego, seu suffuratiuo fallere possem.
Quandoquidè apud me persuasiss. sit, quod me, què, quantuluscūq;
sum, semel cœpisti fauore tuo non indignum iudicare, non sis relictus
in harena contemptum. Iam quid scribam? Tritum est apud doctos,
quicquid in buccâ uenerit scribito: at id locum habet inter pares. Nunc
quid longe mea ad tantum Heroa ratio sit alia, huic dictione non ausus
essem me credere, ac rustica importunitate memet tibi ingerere: fu-
ste ob id, quàm quouis mitiore, dignior, ut ille olim asellus Æsopi-
cus in amplexu Domini sui ruens, cum uideret catellum in sinu illius
deliciari. Nobiscum bene actum putabimus, si ad limina, cum negotio ut
cunctis ad rem faciente, admitemur. Igitur quid tam audaculus scri-
bam, si pateris Reuerendiss. Præsul, dicam. Si ualeas, sanus & incolumis,
(audieram enim te antehac ualetudinarium esse, uel potius fuisse) id est
quod unice cupiam: quia id totius reip. Christianæ interesse, nõ modo
ego, sed omnes quaquaersum norunt, & ex animo optant. Hic si
rem pro uoto meo succedere apud te intellexero, est alterum quod
quæ cognoscere aueo. An scripta mea, imò potius nugæ loquacissimi-
me, sed quas suauissimæ literæ tuæ (nescio quæ de te in me fiducia, ut
penè nihil mihi hic negem, quin audeam, ingenerantes) excusserunt, ad
manus tuas peuenerint, quas sub mense Maio per magistrum Danie-
lem Cordatum nostrum, ab Olomutio miseram, abfuisse enim te tunc te
poris à Viëna tua, & Cancellario tuo eisdem credidisse, adfirmabat. Id
si factum esse cognouero, non est quod pluribus hic agam: modo intelli-
gere merear, quomodo apud te earum naniarum mearum alea ceciderit.
Mirum enim est, quod in huiusmodi casu coram tanto Heroe timidulus
sim: ita, ut in quouis fere uerbo paueam ne offendam, ne ue max. reb.
occupatiss. Præsule à sacris negotijs, ludicris meis auocem, cursumq;
remorer. Est tamè, quod me soler. Principio, clementiss. tua ac Christia-
niss. cōditio, Præsule Iesu Christi digniss. atq; hinc in me tam exposita.

Tum etiam quod in parato & expedito habeam animum, ad quam cunque à te mihi præscriptam palinodiam recantandam: si in quoquam in hoc argumento, quod rustica mea uenere aggressus sum, delinire, ac pueriliter potius ludere in hoc serio, ubi nunc maximè tiri uos sudatis, peccaui. Siquidem ibi erit, Corniceus stabit, uiuet, pugnabit, & morietur, ubi est, & semper erit Catholica, non Apostolica ecclesia. Quod memet in hoc argumento ausus fuerim magnis uiris etiam ingerere, zelus fecit. Et causa est sæpe uiris concurrere uirgo in armis: ac etiã, quã bella senes memorant, iuuenes quoque bella loquuntur, bella sonant pueri, quin & aniculae de eisdem ad colum garrunt: et ad commune incendiũ omnes suas adhibere operas par est, sed & laudi datur. In summa, si modum in ijs excessi, non modicam partem syluis tuis adscribito, quæ me fecere multo audacior, ac potissimum ad pensa illa tua eisdem Appendix, fascinati uam uim erga me habens. Et si liceret, unice optarem à te in penitio ra earum sanctissimarum tuarum syluarum, ex quarum ramusculis decerpitis assiduo ferta fero, introduci & admitti. Quid enim ipse illis tribuã, quid uerè in eisdem olfaciam ac uideã, ipse noui gaudetissimè, et exitus ipse clarius docebit, ut auguror, orbem Christianũ. Et cùm hæc ijs adfuero, claudã riuos huius Epistolæ. Dic, age rogantib. te, opt. Præful, an iam omnis spes Oecomenici concilij, cuius expectatione assiduo inardescit orbis Christianus, sublata sit. An semper abortiet ecclesia S. Mater nostra, tristis, oppressissimaque? An ne omnes uerstri tot, tanti que ad id labores, sudores, uigiliae & cure, incassum fieri? Valeas, Præful ampliss. ac me, quæ tuo fauore dignũ duxisti, tibi commendatum habeas. Ex Olomutio, XIX Jul. An. salutis MDXLVI.

PRIMVS LACVNARIVS ROM. ETC. R. M. CAPELLANUS, Viceleemosynarius & Canonicus Viennen. etc. Reuerendiss. in Christo Patri ac D. D. Friderico Episcopo Viennen. etc.

Reuerendissime, ac omni decorũ genere cumulatis, Præful, ne in notam ingratitude, uitiorum omnium execratissimi incurrere, paruicque facere, uel uilipendere singularẽ animũ & beneuolentiã, qua me semper humanissimi me cõplexus es, uidear: hisce meis scriptis, licet importunè tibi, aliã occupatis, obstrepere uolui, offerendo his adiunctum munusculum: quod quidem uelim non ita, ac si tali uiro dignũ existimarẽ, sed ut animi mei uoluntatẽ, indiciumque obseruatig debite testarer, potius accipias. Non enim donũ, sed dantis animũ: non effectũ, sed affectũ te considerare, certo mihi persuadeo. Quare te summo opere rogatũ habeo, cum meã nunc facultatis, offerendi tali uiro munus æquẽ dignũ non sit, ne mihi uitio uertas ne uerè impudentiã meã adscribas: sed potius hoc quantulũcunq; sit, omni benignitate suscipere, offerẽtisque sincerũ animũ probare digneris: si fortuna arriserit, meliora alii quando

quãdo pro posse meo sum daturus. Interea Christus Iesus te religioni suæ Catholicæ reparandæ, promouendæque foeliciter conferuet sanum, et optime ualentẽ. Cui me cordiali fiducia studiosissimè cõmendo. Datũ Pragæ, XVI Decemb. Anno salutis MDXLVI.

VVOLFANGVS DEI GRATIA EPISCOPVS Patauien. Reuerendiss. in Christo patri ac D. Friderico Episcopo Viennen. etc. amico suo singulariter dilecto, S. D.

Reuerendissime in Christo Domine, & amice singulariter dilecte: literas hæce, unã cum adiuncto libello, ita ut uidebis resignatas, à Domino Nicolao Bobadilla accepimus: quas tibi ad suã ipsius petitionẽ per præsentũ latorem adferri curauimus: te Omnipotentis protectioni sedulo cõmendantes. Datũ in ciuitate nostra Patauia, III Feb. An. & c. XLVI.

SEBASTIANVS SOLIDVS GYNTIANVS, LVDI magister Patauiensis, Reuerendiss. in Christo patri ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. etc. S. P. D.

Nisi uehementi quadam, & plus quàm urgenti necessitate ad id, quod coram cernis, Reuerendissime Præful, inducerer, non tam impudenter me facturum, quàm etiã piaculũ cõmissurũ putarem, si te, talem ac tantũ, tamque magnis negotiorũ undis obrutũ, & in his ecclesiæ tumultibus unicum Herculem fortiter defudantẽ, meis nugis & ineptijs perturbarẽ, ac ita in salutari omnium opere foeliciter currentẽ, in tempestiue impeditẽ. Sed quoniã rei, ut dixi, necessitas, et impatiens cliẽtuli tui mora hanc iuuenilem ad te scribendi temeritatem urgeant & impellãt: facile mihi ueniã dari spero, si in hoc parum ciuile & cõmodus uidear. Tua enim humanitate admirabili, qua te cunctis, & infime fortis hominib. æquè submittis, potissimũ inductus, & opẽ & operã abs te homine tã magno & uerè stupẽdo petere nõ sum ueritus: eãque cũ nõ unam, sed millenã hactenus senserim, etiã nunc benignã, sui que similem fore, planè mihi persuadeo. Ne autẽ diutius, et ultra modum mea battologia teneras tuas aures frangã, & te hominẽ grauiorib. defudantẽ incõmodis detineã, breuiter animi consiliũ & affectum aperia. Sub autumnũ superioris anni, amplissime Præful, ad te adrepsimus, eo potissimum consilio, ut stipendiũ & studiosorum usum & profectũ à Ioanne Fabro foelicissimæ memoriæ, tuo antecessore Reuerendiss. patrono omnium desideratissimo, liberaliter institutum, rursus quò superiorib. annis per fortunã aduersitatem expulsum tandem, per singularem illam tuã benignitatem ingrederer. Musarũque ut prius delicijs fruerer: quod quidẽ facile abs te, ut es in omnes studiosos propẽsis, impetraui, & cũ summa animi alacritate isthuc descendẽs, meã apud Patauiẽ, cõditionẽ resignaui: cuius tamẽ uenerabiles

uenerabiles de Capitulo Domini tam abruptam missionem facere, noluerunt. Ego tandem ad obligationem usq; acquiescens, meam differre ad uos presentiam ad angariam usq; Reminiscere proximè futuram sum coactus: & confido hanc meam apud Dominos de stipendio Collegij excusatione aliquid poteris habitura, acceptabile, que fore, nec me inconstantia aut negligentia accusaturos. Nemo enim, etiam si praefractus de gratitudine, qua Dominis meis in hoc praestitit, inique sentit. Te oro, obsecro, obtestor, ne mentem erga me licet indignum, ita beneuolam & propensam mutes et alienes: sed eidem motu pietatis & beneficentiae innatum permittas, operariq; sinas. Sic me plane foelicem & beatum fore confido: sicq; me non clientulum, sed uerè filium erga patrem gratissimum, ubicunq; possum, etiam corporis officio perpetuo declarabo, oraboq; assiduis precibus Deum optimum maximum, ut te nobis incolumem & superstitem in Nestoreos, ac prorsus Mathusalemicos sinat & conseruet annos, Plura non potui. Ta bellio enim itineri adiectus, epistolae plus temporis dare nequiuisti. Optime ualeas, Ex Patauio Danubij, Anno, &c. XLVI.

ANDREAS LVBELZITZ BOCHEN, CANONICUS, & concionator Leopoli, &c. Reuerendissimo Domino, D. Friderico Nausea, Papae Viennen. &c. S. & pacem P.

Reuerendissime Domine, Legate Christi zelantissime, iam tandem has incultas meas e Russica Sarmatia literas benignè amplectere. Quem licet haftenus facietenus uis disse datum non sit, cordetenus tamen uideo in libris tuis graphicè scriptis & nunc intueor sanctitatem tuam. Cum te aliquando uidere licuisset, non secus, quam angelum Dei me uidisse testarer. Atque utinam caeterae dioeceses talem haberent Antistitem: facile Turcicam rabiem, ac carniuorum Lutheri factionem, & tantam usurariorum tyrannidem ex area Christi auferre possent. Ego nuper hunc fratrem meum charissimum euocaueram literis, quo uiseret lares paternos. Vidit, & gauisus est, eumq; tibi commendare praesentibus animus erat, quatenus tu pro gratia tua singulari hunc fratrem meum charissimum, amore & beneuolentia prosequi uelis. Ego etiam, licet non sum tanti ad promerendum, tamen ad Deum opt. max. exorandum, me sedulum fore polliceor. Et siquid opera mea in Lamburga seu Leopoli, tibi aut amicis tuis efficere possim, faciam quam lubentissimè. Vale, beatissime Papa Viennen. & libellum aduersum Turcas nuper per me editum, suscipito, limamq; ubi opus fuerit, adhibere dignare. Datum Leopoli Russicae, Anno, &c. XLVI.

NICOLAUS BOBADILLA THEOLOGVS, ETC.
Reuerendiss. in Christo Patri ac Domino D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S.

Gratia



Ratio & pax Christi Domini sit semper nobiscum, amen. Nolo excusare omnino tarditatem meam, in scribendis ad te literis. At cum essem Vormaciae apud Serenissimum Regem nostrum, uidi familiarem quendam tuum, quem ne sine literis meis ad te rediret, obnixè rogauim, eum tamen amplius uidere non potui: nec uolo illum accusatum habere, sed excusatum, habuit enim proculdubio longè maiora negotia expedienda. Deinde discessi ab aula Caesaris, & maneo hic Coloniae cum Musis et sanctis. Est profectò ciuitas haec incluta, docta et sancta. Mihi si nuper ult. partem libri conscientiae, per generosum & magnificum uirum D. Martinum Gutzmannelm ad te: arbitror te iam eam accepisse. Poteris integrum librum pro optimo iudicio tuo ordinare, corrigere, purgare, & interpretari, in Serenissimae Reginae et meam gratiam. Illum ego quasi quoddam speculum, suae Serenitatis offero. Spero nos breui, Deo dante, Ratisbonae conuenturos, interim me tibi commendo, Ex Colonia, IIII Noueb. An. &c. XLVI.

HEINRICVS GLAREANVS POETA LAVREATUS, &c. Reuerendissimo in Christo Patri ac D. D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S. P. D.



Ehementer doleo, Reuerendissime Pater, quod te, cum nuper hac transires, adesse nescierim, prorsusq; ignorarim, in pistrino meo usq; delitescens. Et nunc corporis quodam iniquo casu afflictus, tamen in propinquo degas, aegrè tamen ad te uenire queam: quippe, qui intra biennium raro ullam urbis huius portam exierim. Erant, quae tecum de libris illis diuini Maximiliani Imperatoris, perpetua memoria dignissimi, qui de eius atq; Caesarum nostrorum nunc foelicis. Genealogia scripti sunt, loquerer. Sed per alios id curabo. Nunc pro amplissima tua in me uoluntate paruulum quiddam oro, in quo uoti copotem me feceris spero. Est apud me nobilis quidam iuuenis à Vuernou, qui Reuerendiss. D. Episcopo Aug. familiaris est: pro eo ego scribere conatus, eius Cardinalatus titulum ignorabam, nec abs quoq; in hoc oppido scire potui. Ibi me quiddam admonuit, ut tibi scriberem: non esse dubium, quin resposum uotis meis condignum nanciscar. Quare per ego praestantiam humanitatemq; tuam oro & obsecro, mihi per hosce duos pueros mitas in breuissima chartula totum eius Principis uiri titulum, ut absque pudore ei scribere queam. Tanta enim humanitate ante triennium Spire me excepit, ut omnem illi reuerentiam debeam: & quod sedulo studebo, exhibeam. Nunc desino molestus esse benignitati tuae, quam Christus opt. max. diutissimè incolumem conseruare dignetur. Friburgi Brisgoe, An. à Iesu Christi natali MDXLVII. nono Cal. Sextileis.

De Musica tres edidi libros qui nunc Basileae excudunt. si sunt de re inaudita nostra etate, nepe de XIII modis musicis, XII yphoiois, FF duobus

duobus *vbbois*. Cuius rei exemplar unū ad te misissem, si nō aliquot
ternionib. adhuc defectū esset. Perficietur autē intra aliquot mēseis.
In eo opere ostendā nostræ ætatis hominibus, quanta cum grauita-
te, tum maiestate, Ecclesiæ proceres cantus olim intonuerint.

VVOLF GANGVS LAZIVS, PHILOSOPHIAE ET MEDICL-
næ Doctor, & uniuersitatis Viennen. tunc temporis Rector, Reuerendiss. in Christo
Patri ac Domino D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S. D.



Euerendissime in Christo Pater & Domine, D. obseruā
dis. si uisitationem euoluisses, rogarē te mihi redderes,
cras Regio senatui offerēdam: ut quod ipsi in collegio re-
formando, & bene disponendis contubernijs usum fue-
rit, amplectamur: quo uidelicet hereseos labe suspicioneq; Vniuersi-
tatē istam liberemus, & ueteres ritus, ueteremq; honestatē cum in-
moribus, tum uestitu obsequioq; referre, tua ac senatus Regij auto-
ritate possimus. Porro mitto hic exempla cantionū Germanicarū,
quæ ad mandatū meū deponere apud me quidā coactus est. In isto
Catalogo, ubi uacabit tibi à tot sudoribus, quibus supra corpusculi
uires diffuis, reuideas: et si nocedi ob paupertatē mendicantibus
certē possint, uel non, ut Responsorijs potius aduescant, facias me
certiore. Simul, quid de uisitatione censeas, aut uideatur. Vel si
ita uidebitur, libētē te accedam. Te etiam rogarem, ut quādo pro-
fectionem institues Pragam, cum Domino Vicecancellario tracta-
re digneris, ut data Regimini Regia commissione, diligens & bo-
nus piusq; superintendens statuatur. Itaque digneris, propter com-
munem Academiæ & utilitatem & amorem, D. Mag. Vicecancel-
larium informare, sua autoritate ut probatæ uitæ homo quispiam
ad hoc munus eligatur, aut D. Gundelius, si reciperet: aut D. Bern-
hardus Vualtherus. Sed de his tua, ntequam ad Regiam te conferes
Maiestatem, plenius pro utilitate cōmuni Vniuersitatis, cuius opti-
mi quicq; te patronū unicū & Mecœnatē agnoscūt, cōsules. Viennæ
ex ædibus meis, die S. Epiphan. Anno Domini MDXLVII.

IOANNES COCHLAEVS REVERENDISS. IN
Christo Patri ac D. D. Friderico Episcopo Viennen. S. D.



Vm essem anno superiore Ratisbonæ, Præsul ornatis,
semel à te literas accepi: ex quib. sanē, ut cū animi dolore
intellexi frequētes corporis tui infirmitates, ita cū gau-
dio & admiratione accepi, tātos & prædicationis & stu-
dij labores in corpore tā macilēto & exhausto perferri posse: ut inte-
rim de animi curis et aduersitatū molestijs nihil dicā. Cum q; spes fo-
ret, te illuc aduenturū esse, nō nisi frequētes istuc literas, donec uidi
me frustratū omni aduētus tui expectatione. Nihil tamē literarū de-
inceps à te recepi. Vt cūq; habeāt omnia circa te, maximopere desi-
dero unas quantūlibet breues à te literas recipere, unde intelligam,
quomo-

quomodo ualeas, nam & tuæ prius indicauere literæ, te uix umbrā
retinere uitæ hominis, sed circumferre te mortis planē imaginem.
Et hæc de te. Quantum ad me attinet, possum breuiter dicere: uiuo
equidem, uitamq; extrema per omnia duco. Deserui Ratisbonam
VIII Iulij: & si una hora tardius abiissem, incidissem directē in ma-
nus militum nouem cohortium, quibus me in uia obuiare oportu-
isset. Cōmodē uerò declinaui, et per aliā uiam euasi, domū reuersus.
Interim inualecebat rumor de hostiū appropinquatiōe. Cōsilio igi-
tur Reuerendiss. D. mei Episcopi Eystetteñ. personā meā subduxi,
hostib. inuisam, ne fortē propter me ceteris quoq; hic citius aliquid
periculi aut molestiæ accideret. Secessi itaq; Ingelstadiū, ubi remāsi
nō integrū mēsem. Appropinquātib. autē hostib. ad eam urbē obsi-
dendā, redij domū: ubi deinceps per totū belli et pestis (quā certē se
uisimā hic pertulimus) tēpus remāsi. E' Tridento interim nihil pror-
sus literarum recepi, neq; ex aulis Cæs. & Reg. Maiest. neq; ex cu-
ria Rom. neq; ex Colonia, ubi multos, eosq; charissimos habeo ami-
cos, quos infestat grauissimē aduersariorū factio. Ego interim hic re-
peto antiqua studia mea. Libros & omnē rē familiarē curauerā aue-
hi hinc Ingelstadiū, ubi Dei benignitate cōseruata sunt omnia, quæ
reuehi curauī, posteaquā longius à nobis hostes abscersertū. Varia
profecto & miserabilis hic fuit p cōplures mēses rerū facies. Predo-
minabant nobis hostes aliquandū, qui exterminū nobis minitabā-
tur. Turbæ rusticæ ex pagis undiq; cum gregibus suis huc conflue-
bant, ut intra muros essent à prædatoribus tutiores. Ego non homi-
num solum, sed & bouum fami condolebam. Sed dedit Deus Impe-
ratori, opt. ac pijsimo pariter & fortissimo Principi, prosperos de-
inde successus, et omnē metum belliq; calamitates in hostes conuer-
tit: ita ut hostes qui paulo antē præsumebant, non solum è Germa-
nia breui se expulsiuros Cæsarem, sed etiam è Tridento disperfiuros
concilij Patres, nunc ita dispersi sint, ut nesciant ubi tuto à facie Cæsaris
consistere queāt. Sed longior sum, quā ad te occupatissimū san-
ctiori studio me decet. Bene uale, optime princeps: & huic proxi-
tati quæso ignosce, atq; semel saltem rescribe. Ex Eystet, die XVIII
Ianuarij. Anno MDXLVII.

IOANNES OLAVS MAGNVS, GOTHVS, ARCHIEPISCO-
pus Vpsalensis, &c. Reuerendiss. Principi ac Domino, Domino Friderico Episco-
po Viennen. &c. dignissimo, S. P. D.



Euerendissime in Christo Pater, et D. amantissime, Tan-
tū repetitis scriptis suis, &c. Dominus D. Dominicus à
Brockendorff, Canonicus Vratislauieñ. &c. te cōmen-
dauit, ut non ualeā, ut debeā, diligere te, quē et noui mul-
to antea ex Catholicis libris tuis: quib. ostendit, q; non solū ab homi-
nib. sed ipso Deo diligimerearis. Cæterū de reb. concilij nostri hæc
pauca agnoscas XIII die Ianuar. celebrata est sessio generalis, in qua
FF 2 publicata

publicata fuerunt duo arduissima, sed ualde necessaria decreta: unū de iustificatione impij, VII mensibus diligentissimè per eruditissimos Theologos examinatum: alterū, de personali residentia Episcoporū apud Ecclesias cathedrales, uel intra limites diocesanos. Itē statuta dies sefsionis, pro III Martij proximè uenturi, itē accusata est contumacia Episcoporum, ad conciliū nō uenientū, cessante legitimo impedimento. Sed excipiebantur Pontifices Germaniæ, ob belli tumultū, & hæreticos, ac continuos Ecclesiæ persecutores. Ante illā sefsionem tractabitur per examen Theologorū de materia sacramentorum, tunc publica. singulo quoq; die. Similiter & de morib. reformādis in Clero, &c. speroq; diuina succurrēte clementia, quod per media opportuna tandem uenturi simus ad optatis. finem, ante Pentecostes: nisi aliud nobis ignotum impedimentū, interea occurrerit. Hisce te unicè Deo semper cōmendo. Ex Tridento, XX Ianuarij. Anno salutis MDXLVII.

IOACHIMVS A LIDLAV, CANONICVS GLOGO.
uien. Reuerendissimo in Christo Patri ac Domino, Domino Friderico Episcopo Viennen. &c. S. P. D.

Reuereudissime in Christo pater, ac Domine gratiosiss. litaras tuas ea, qua debui, reuerentia & obedientia à M. Gregorio accepi. quæ me tanta letitia affecerunt, ut nec ore nec calamo assequi possim, præsertim cum intelligerē te oras Silesiticas saluū & incolumē attigisse, & Vratislaviā foelicitate esse ingressum, ac indies iter Glogouiam suscepturū, si per tumultus bellicos tutum & licitū fuerit. Nolo itaq; ignores, nihil plane periculi bellici nobis imminere, ne hostes Glogouien. XXVI militariū spacio accessisse. Quare ab omni periculo ad nos tutum & quietissimum habebis accessum, ita ardēter hæctenus à nobis desideratū & expectatum, ut nihil supra. Interea temporis coniuncto spiritu orabimus, ut Deus opt. max. te cū omni foelicitate huc citissimè perducatur. Ceterū de tā honesto munere mihi indigniss. à te missio, et de singulari clemētia & benignitate, quib. me prosequeris, immensas gratias & ago & habeo: tū habiturus sum, donec spiritus hos rexerit artus. His me unicè in tutelā & gratiā tuā cōmendo. Ex Glogouia, raptissimè. XXI Ianuarij, Anno Domini MDXLVII.

IOANNES COCHLAEVS REVERENDISS. D.
D. Friderico Nausea, Episcopo Viennen. S. D.

Reuereudissime Domine, Præsul ornatissimè & facundissimè, scripsi nuper, & sæpe aliās, ad te, ea saltem occasione, ut semel intelligere queam, ex quantumuis breui aliquo Epistolio tuo, quomodo ualeas. De tua enim incolumitate magnopere sollicitus existo. Nam exijs literis, quas anno superiore datas Ratisbonæ accepi, uidebaris te morti addixisse, exhausto corpore tot laboribus, cui nondum

parcebas perpetuis concionibus. Ego homuncio inutilis, latito domi in priuatis studiorum meorum laboribus, multis per VII mēses periculis à bello & à peste obnoxius. Deus tamen clementissimè custo diuit me, & conseruauit hæctenus: et spero ea pericula nō citò esse huc reditura. Ex cōcilio in sex mensibus nihil prorsus literarū recepi. De rebus bellicis, credo uobis istic certius constare omnia per ueredarios, quàm constare queant mihi, hic in angulo priuatim latitanti. Heri redijt ex Augusta ad me nuncius, qui referebat, Augustam quoq; ut ceteras ciuitates, Cæsari deditam esse. Dicebat tamen, Italicum concionem in de abijisse, et Capitaneum eorum Schertlinū. Cæsar Vlmam ex Haylbrunna profectus dicitur, compositis rebus cum Duce Vuirtenbergen. & cum Francofordianis, olim nostris. Quid famæ istic sit de Turcarum aduentu, ex literis tuis libenter intelligere uellem, si fieri possit. Hic certè increbr escit fama, de magno illorum apparatu bellico: quem Deus procul auertat. Bene ualeas, clariss. Princeps, cū omnib. tuis. Ex Eyftet, XXX Ian. Anno XLVII.

BALTHASAR BASTA SVMMI PONT. PARAFERNARIUS, CANONICVS OLOMUCEN. &c. Reuerendissimo in Christo patri ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. &c. S.



Vanquam te de facie equidem, ornatiss. Præsul, non nouerim, neq; uiderim unquam, quod sciam: tua tamen præstans fama, excellens ingenium, & singularis sacrarum literarum scientia, multis, ijsq; doctiss. lucubrationibus testata, me mirificè in tui amorem ac obseruantiam summam pertraxere, ut nullo mihi pacto cōmittendum statuerim, quin, ad amicos istō cōmodum literas mitrens, nonnullas etiam ad te adiungerem. Vel quia grauissimorū & prudentissimorū uirorum, tuiq; similitū familiaritate, beneuolentia & gratia in primis delector: uel quod in Collegium Canonicorum Ecclesiæ Olomucen. nō ita pridem cooptatus sum, quæ quidem quasi cum Ecclesia tua Viennen. propter loci uicinitatem coniuncta, me tui multo cupidiorē studiosiorēq; facillimè effecit. Quare in quibus tibi opera ac industria mea in Rom. Cu. usui aut ornamento esse possit, fidem, studium, diligentiam deniq; meam tibi non defuturam, polliceor libentissimè. Quæq; ad dignitatem tuam retinendam, uel etiam amplificandam pertinebunt, me tibi in tua potestate fore confirmo, ac recipio. Peto itaq; abs te, amplissimè Præsul, & omni studio rogo, Reuerendissimo Episcopo Olomucen. Domino meo, me prudenti tua oratione per literas, quum se occasio dederit, commendare ne grauere. Iodocus ille Geutheinus, uir doctus, qui unicè diligebatur abs te, quiq; tui obseruantissimus fuit, iam diu est, quod inter homines esse desierit. Bene uale, Præsul optime, meq; amare incipe. Roma, XVI Martij. Anno Domini M. D. XLVII.

VVOLFGANGVS LAZIVS, ETC. REVEREN.
 disimo in Christo Patri ac Domino, Domino Friderico Episcopo
 Viennen. digniss. &c. S. D.

REperi episcopi & martyris cuiusdam Paterenis Ecclesie prophetiam, de Saracenis contra Rom. Regnum aliquoties insurgentibus ex filijs Ismahel. Qui cum devictis Persis, Cappadocibus, Cilicia, Asia, Grecia, Aphrica, Agathonia & subiugatis, Hispania quoque deprædata, ad postremum Germania varijs prælijs deuorata, & multis ex his captiuis abductis, à quodam Rege Rom. sint uincendi, subiugandi, adeo ut in terra sancta coronam tandem de capite depositurus sit, in ipsa Antichristi tragœdia, ubi Ecclesie desolata & suis ornamentis spoliata fuerint. Hunc librum antiquissimis literis, & magna ex parte detritis, nec in omnibus locis legibilibus descriptum, si placeret, & uacaret, tibio stenderem, antequam hinc moueres, & discessum parares. Hisce me commendo, ex ædibus meis, IIII Martij, Anno, &c. XLVII.

A. CARDINALIS BVRGEN. REVEREN.
 disimo Domino Episcopo Viennen. Friderico Nausee, S.

Apprimè reuerendiss. Domine, ut frater honorande, litteræ, quas ad nos dedisti, unâ cū opusculis à te compositis, mihi sunt redditæ: quibus ualde sum delectatus, multis quidē nominib. sed eo præcipue, quod à te, qui propter singularē doctrinā tuā, & uitæ innocentiam plurimi semper à nobis factus es, profectus fuere. Opuscula uero legimus, illaque ualde probauimus, uisæque nobis sunt tua eruditioe digna: sed in primis, de bonis à clericis mortuis relictis, quod summè nobis placuit. De catalogo uero, quem de tuis operibus fecisti, laudo tuū in eo consiliū: tuisque studijs, meo iudicio, consulisti, cum nullus hæreticorum deinceps futurus sit, qui opus aliquod minus catholicū his, quæ à te composita & adnumerata sunt, cōtexere audeat. Quod periculū nō parui pendendum est, his præsertim temporib. quibus max. nostro malo omnia suscipere deceruntur. De negotio uero Episcopi Olomucen. dabimus operā, ut, respectu tuæ intercessionis, illius desiderio faciamus satis: præsertim si, quæ expeditioni negotij necessaria sunt, ad nos miserit: quemadmodum per Secretarium nostrum sibi scribi curauimus. Bene ualeas, decus Episcoporum singulare. Cui & me commendo, & paratum offero. Datum Romæ, decimo septimo die Martij.

Anno Domini M. D. XLVII.

IOANNES STEINHEUSER I. V. DOCTOR,
 Canonicus. Vicedecanusq. Basilien. &c. Reuerendissimo patri ac Domino,
 Domino Friderico Episcopo Viennen. dignissimo, S. P.

Reuerendiss.



Reuerendissime in Christo pater, Princeps noster clementissime, accepi præteritis diebus à R. P. T. binas literas, quibus prioribus me uel peregrè agentem, per nuncium peculiarius ob eam rem missum, certiorē reddidit, quod compos uoti facta, superioribus diebus diuini numinis benignitate isthuc salua peruenerit, adeoque uitam isthuc in quibus Præposituræ agat, nihil æquè desiderās, atque ut quāu possē primū, me etiam isthuc cōferrem, quo mei desiderata præsentia perfrui posset. Posterioribus, me quāu benignissimè ad prandium, bonis & honestis hospitib. celebre, inuitauit, curru etiam suo, atque aliquot primoribus familiaribus in hoc missis, ut eo cōmodius ualētudinarij isthuc proficisci possemus. Vbi primū, R. P. T. eiusmodi desideratum, ac lætum Præposituræ suæ ingressum, tā gratulamur ex animo, quāu id iam nō modico tempore summo desiderio expectauimus. Cæterum causas impedimentorū, quibus præpediti, ad prandium cōparare nequiuimus, R. P. V. ex familiaribus suis proculdubio plenè intellexit. Maturauit equidē reditum ad priores literas, quantumcūque ægro corpore licuit, ne scilicet R. P. T. abiret, antequā inter nos fieret de rebus quibusdam, nō leuib. ad Ecclesiā potissimum isthuc uestram ac Præpositurā spectantib. necessaria collatio: sperans, ualētudinē interim meliorem futurā, ita, ut in tempore ipse isthuc R. P. T. pro debito ac dignitate salutandi gratia, simul & cōferendi, proficisci possēt. Id autē præ ualētudine hætenus, maximo mœrore nostro, perficere nō licuit. Nunquā enim ab eo die, quo huc redij, edes meas egressus sum, ut omnes Capitulares congregationes hætenus habitas, domi meæ cōgregari oportuerit. Vnde spero me corā R. P. T. satis supraque excusari. Quod autē R. P. T. me humilē seruuū suū inuisere parat, grandius est, quāu quod à me unquā uel sperari, uel admitti debeat. Rogauit, ut hoc casu, quo mihi facultas isthuc eūdi negaret, Secretarius isthinc mitteret, quo cū mihi uice R. P. T. uerba facere, è re utriusque liceret. Id quod etiam nū fieri rogo, ne eadem R. P. T. hoc molestissimo tempore tantum fatigari necessum sit. Quod si malit isthuc mecum conferre, ut ea itineris molestia leuetur, non grauetur denuò ad meam rogationem curru, quem prius ultrò misit, meo proprio sumptu remittere: nec opus erit tam honorifico comitatu, ut prius: & nullam nec ualētudinis, nec aliam quamcunque causam me remorari patiar, quo minus R. P. T. eatenus uoti compotem reddam. Expectauimus ijs diebus R. P. T. aduentum, non tam, ut mecum hic quicquam ageret, quāu ut aliquam consuetudinem cum Capitulo nostro Cathedrali contraheret, olim forsā utrisque minimè poenitentiam. Cuius rei desiderio nimirum uniuersum Capitulum mirè conflagrat. Cæterum ea omnia in mero stent R. P. T. arbitrio. Meum est, ut R. P. T. me tanquam paratissimum mancipium commendem: summis que uotis optem

optem ac precer, ut eadem R. P. T. isthic, atq; etiam ubicuncq; terra rum degat, numinis largitione omnia quam lætissimè ac saluberrimè, atque adeò ex plena animi sententiã succedant. Quod tandem parcius quam forsan decuerit, atque etiam rudiore stilo & incompto responderim, condonabit R. P. T. pro sua benignitate, ualetudini nostræ. Maluimus siquidem eiusmodi ruditatis condignas luere poenas, quam diutius ad tot tamq; clementia scripta R. P. T. in hoc inofficioso silentio nostro perdurare. Deus opt. maximus dignetur nobis, imò uniuersæ Reip. Christianæ, R. P. T. quam diutissimè saluam & incolumem conseruare. Cui me iterum atque iterum totum dedo, & commendo. Datum ocyssimè, Friburgi, xx. Iulij, Anno nato mundi seruatore M. D. XLVII.

FRATER GOBILINVS PRIOR CARTVSIAE
Friburgen. Brisgoiæ, Reuerendissimo in Christo patri ac Domino, Domino
Friderico Episcopo Viennen. &c. S. D.



Reuerendiss. in Christo pater, literas gratiæ tuæ cum magna gratiarum actione recepi, quoniam Reuerenda tua Paternitas non est designata nostri curâ gerere, uel saltem meminisse. Dominus Deus retribuatur R. P. T. quod nos nō ualemus. In negotio illo nostro putabā R. P. T. iam informatam per literas cuiusdam boni amici, qui suum scriptū mihi ostendebat. Quid autem interim actū sit, longū foret omnia narrare. In summa, poterit R. G. V. in literis inclusis perpendere, quas circa Philippi & Iacobi recepimus à Senatu. Interea uisitatores nostri ordinarij hic fuerūt, & domū uisitauerūt hebdomada ante Pentecostes. Recepi præterea literas ex Capitulo nostro generali, hebdomada III. post Pascha celebrato, quod debeā more Ordinis, & nō aliter, computū reddere, prout feci cōuentui meo, cū subscriptione omniū cōuentualiu. Plura scribere nō uacat, sciet aut R. P. T. quū ore ad os loqui dabitur. Raptim, in uigilia S. Ioānis Bapt. Anno Domini M. D. XLVIII.

DOMINICVS A' BROCKENDORFF CANONICVS
Vratislauen. &c. Reuerendissimo in Christo Principi & Domino, Domino
Friderico Episcopo Viennen. &c. S. D.



Quantus dolor, Antistes dignissime, pusillū gregem & me inuasit, quod tua presentia diutius frui et uti, nō dabat cōmoditas, scribere haud possum. Utinā Deus omnipotens largiri dignaret, quod frequentius & quam primum doctissima et humaniss. cōuersatione tua uti & frui liceret. Accepi à te literas ex Vienna datas 1x Martij, summa animi cōsolatione: quib. magnus adiunctus erat literarū fascis, à Reuerendiss. Domino Olao Archiepiscopo Vpsalensi missus, cōtinens literas, Reuerendiss. Dominos Vratislauen. Cracoui. Olomucen. Episcopos cōcernētes: sed ad me nullas inueni literas. Reuerēdi et eximij Domini confratres mei, omnē tibi precant̄ foelicitatē. His quoq; & ego, tuus deditiss.

deditiss. seruator & Capellanus, te foelicitissimè & diutissimè ualere cupio. ex Vratislauia, Dominica Lætare. Anno, &c. XLVII.

CHRISTOPHORVS PHREISLEBIVS, I. V.
Doctor, &c. Reuerendissimo Domino Friderico Nauſeæ, Viennæ
Episcopo uigilantiſ. &c. S. D.



Ostquam ego, Reuerendiss. Domine, atq; Antistes uigilantissime, toties te, tamq; familiariter me appellare, mihiq; conditiones honestas offerre uiderim, neq; mihi ab Episcopo Viennen. tanta oblatum iri munera unquā cogitauerim: tantum abest, quod quicquā huius ambiuerim: impiū planè me esse, ac piaculū cōmittere crederē, nisi prijs prijsimi Præfulis oblationibus, uel nō patentibus obuiarem: unde nescio quid foelicitissimi omnis augurari, quasiq; beneficiorū ac prosperitatis campum quendā mihi apertū iri uidear. Præsertim etiā, cum ex aduerso, hoc est, apud Gymnasiū Viennen. cuius iam sesquiāno Syndicus utcūq; fui, omnia dissipata iacere, ac factione quadam pernicioſa laborare, turbariq; undiq; uideamus. Vbi difficile est Syndicū, idest, uniuersitatis illius, membris suis luxæ ac solutæ, in qua nulla est unitas & cōcordia, posse defensorē agere. Id quod ego hoc tempore optimè expertus sum. nam ut paucis, ita (ut mihi quidem uidebatur) optimis officio meo satisfeci: ut pluribus tamen, rerumq; modo potentibus, ita meo quidē iudicio iniquioribus, satir facere non potui. Si itaq; rebus meis melius consulā ac prospiciā, uitio mihi uertere nemo poterit. Quare, Præful Reuerendiss. quia nuper et Officialatus et Syndicatus honestiss. apud te conditiones ultrò mihi obtulisti: ego tantam opportunitatē occasionemq; quasi diuinitus datā nolens negligere, quicquid sum, possum ue, tibi lubens dedo ac obijcio: polliceorq; quæ eruditione quidem perexigua prestare nequeo, ea labore tamē, studio et diligentia me cōpensare conaturū: unicum addendo, ut quatenus per officialia & cætera negotia uacaret, mihi interim nō nullis cliētibus meis coram Regimento et Landmarschalco, ubi procurator ordinarius adsumptus sum, (hoc enim & tibi & mihi honestum arbitrarer) causis Episcopatum ac te concernentibus saluis, patrocinari liceret. Cæterum quod ad salariū attinet, licet adeò cautus sum, ut non tam quid salarij accepturus sim, quam ut prouinciæ meæ respondeam, sim sollicitus: tamen ut utrinq; securiores simus, tu certi aliquid decernere & constituere non dedignaberis. Meq; ut spero, seruum tuum perpetuò commendatiss. habebis. Viennæ, dominica Vocē iucūditatis, &c. idest, VI die Maij, An. &c. XLVII.

IOANNES COHLAEVS REUERENDISS.
in Christo patri ac Domino, Domino Friderico Episcopo
Viennen. &c. S. P. D.

Gg

Recepi

Recepi iam tandem, Reuerendissime Domine, Præsul et Princeps ornatissime, literas tuas, diu ac sollicitè expectatas. De quibus bis ex Vratislavia certior factus sum, antequam eas receperim. Metuehã enim ab insidijs, cum scriptum esset, eas fore permagnæ (ut uulgo dicitur) importantiæ. Itaq; de ijsce nuper ad te scripsi per quendam adolescentem scholasticum: sed ea de re, quæ tam magnæ sit importantiæ, nihil prorsus habetur in literis manu tua scriptis. Ego certè omninò magni fore momenti arbitror eam rem, de qua syncerissimi amici confratres & Domini mei in ijsce literis scribunt. Quare summa diligentia eã sum cordi habiturus. Maluissimè tamen à te quoq; saltem à longè, in literis tuis eam rem tactam esse, aut subindicatam, ut eo certius & alacrius agere possem, quæ à me petunt candidissimi amici. Quantum igitur in me fuerit, nihil neglecturus sum eorum, quæ per me fieri, aut procurari poterunt. Cæterum de resignationis proposito, longè alia mihi mens est, quàm ut intentionem tuam comprobare queam: nec puto te uoti compotem fore, neq; apud summum Pont. neque apud Reg. M. Nec ego pro mea simplicitate uidere possum, id à te salua conscientia fieri posse, ut tam multas oues tu pastor uelis derelinquere in tantis periculis, quæ à lupis protinus imminerent. Quid enim posses respondere Deo, si animas earum, quas lupi rapturi essent, de manu pastoris requireret? Nullo igitur modo comprobare possum eam intentionem. Domini confratres mei, quibus Catalogum librorum tuorum docta ratione, & ingeniosa dedicasti inuentione, longè meliorem (bona cum gratia tua dictum sit) habent intentionem, quàm habes tu. Rogo igitur humillimè, ne Deum tentes, et gratiam eius, quæ hactenus tam fructuose in te & per te egit, contempnas, & uacuum esse sinas: ut cogites, quàm iusta sit Apostoli querela contra eos, qui sua, non quæ Iesu Christi sunt, quærunt. Non est tibi tanta à Deo præ omnibus alijs data gratia, ut tibi soli uiuas, aut ut ta lentum sub modio abscondas: absit. Ego bene spero, aliquid aliud adhuc necessum esse, unde habeas maiorem adhuc & necessitatem & opportunitatem latius ædificandi in uinea Domini, qualescunq; sint erga te ingrati ficti Catholici. Ego quoq; quantum uis tenuè donum Dei mihi concessum, per labores continuos in usum qualemcunq; expendere cupio, quamuis iam senex sim. Non decet nos fieri desertores sanctæ & necessariæ militiæ, cuius characterem semel suscepimus. Quare amplissime Præsul, ne cedas labori, hactenus enim per singularem Dei gratiam, per labores supra omnium opinionem in corpore & anima creuisti, & inuictus permanisti, licet mortem in ulnis ferre uidereris. Bene uale, Præsul ornatiss. Ex Eystet, ix. Maij. Anno salutis humanæ M. D. XLVII.

HIERONYMVS

HIERONYMVS VERALLVS EPISCOPVS ROS-
sanen. Pontificis max. apud Carolum v. Imperatorem Augustum nuncijs, &c.
Reuerendissimo Domino, Domino Eriderico Nausea, Episcopo
Viennen. &c. S. D.

Vcundissimæ fuerunt mihi literæ tuæ, Reuerendissime Præsul, xxv Aprilis Viennæ tabellario ad me datæ, quæ aliarum literarum ad me missarū mortem sequutam querelantes sunt: sed ego boni æquiq; consulo, quoniam omnia quæ de me dicunt, dicta semper puto solita cum beneuolentia, et ex abundantia cordis. Scio, & uerè scio, te non nihil pietatis erga me habere, quòd in ætate iam senili (ago enim quinquagesimū annum, & ultra) cogar sequi castra Cæsaris: quanquã hoc iucundissimū semper mihi putē, in tã prospera ac foelici fortuna. Vicimus enim, Deo fauente; uicimus, uicimus. Cæpimus nō tantū ab hoste spolia, sed hostē ipsum habet Imperatoria Maiestas, carceratum. Præparant nunc omnia ad expugnationem ciuitatis Vuitenbergē. spero propediē te longè foeliciora, Dijs auspicijs, intellecturū. Hisce tibi & me plurimum commendo, et foelicissimam atq; longæuam uitam et ualeitudinem ex animo opto. Datū in foelicissimis castris Cæs. Maiestatis, prope Vuitenbergam. x. Maij. Anno Domini M. D. XLVII.

IOANNES COCHLAEVS REVERENDISS. IN CHRIS-
tiano Principi ac Domino, D. Eriderico Episcopo Viennen. S. P. D.

Vltas ex Vratislavia, & ex Glogouia accepi literas, Reuerendiss. Præsul, quibus largiter tuas uiri boni de prædicarunt laudes, mihi sanè iucundissimas: licet antè quæ que non incognitas mihi, qui toties concionum titularum uim & energiã coram audiui Maguntia, Pragæ, & plurimis alijs in locis. De tribus tamen punctis factus sum ex ijs dubius & sollicitus. unus enim scripsit, te non solum prædicasse, sed etiam infantibus confirmationis sacramentū impertisse: quod memini nostrū quoc; patronū olim pietissimū, Reuerendiss. D. Card. Campegium, semel in alpino quodã Freisingen, diocesis oppidulo fecisse, cum esset legatus de latere. Alter uerò scripsit, Reuerendiss. D. Vratislaviën, ægrè tulisse, quòd nūquã fueris eius hospes, nec esse uolueris. Tertius significauit, te breui ad me daturū literas per certū nunciū. At ego hactenus nihil prorsus literarū à te recepi, neq; ullū ad alias crebras hic à me datas responsum. ueor itaq; ne fortè nō satis rectè ualeas, aut ne fortè interceptæ sint literæ siue tuæ, siue meæ. Cū igitur nō sciam, ubi nã te inuenire queat literæ meæ, nō ausim plenius aut apertius scribere quæ uellē. Vnū modò scribere libet, quòd hodie et hesternò uesperibinas accepimus literas, quæ testant, depositū Ioannē Eriderici electorē & Ducē Saxonia, à Cæs. Maiestate profligatū, captūq; esse: & cū eo Ducē Lunēburgen. multos quoq; Comites nō longè à Turgauia prope Albim, die xxiiii April. Cætera præsentū lator GG 2 indicabit,

indicabit, qui nunc amplius studia sua profequi uolens, literas ad te commendatitias à me petijt. Cum igitur non ignorem, te in minoribus adhuc constitutum, semper piè uouisse & amasse studiosos, humiliter deuotione te rogo, ut quantum absq; incommodo tuo fieri poterit, autoritate cōsilioq; tuo gratiosè, propter Deū, eum iuuare & cōmendatum habere digneris. Bene uale, amplissime Præsul, ueteris clientulī tui memor in bonum. Ex Eystet, Kalendis Maijs. Anno Domini M D XLVII.

VVYGANDVS EPISCOPVS BAMBERGEN,
Reuerendissimo in Christo patri & Domino, Domino Friderico
Episcopo Viennen. &c.

Reuerendiss. in Christo pater, Domine & amice singularis, salutē, nostricq; cōmendationem. Literas tuas Vienna sub die xxv April. proximè ad nos datas, xii Maij à tuo familiari (qui etiā libellum quarundā lucubrationū tuarū unā nobis obtulit) per gratas accepimus, & in primis prosperā ualetudinē tuā lubentissimè intelleximus. Quantū autē ad ipsum libellū attinet, illum pro temporis quiete auidè perlegemus. Tibi autē bona & fausta quæq; successura, teq; pro uoto foeliciter ualere peroptamus. Datum in ciuitate nostra Bambergæ, die xv Maij, Anno Domini M D XLVII.

PAVLVS NEYDECKER PRÆPOSITVS S.
Gangolffi, &c. Reuerendissimo in Christo patri & Domino, Domino
Friderico Episcopo Viennen. &c. S. P. D.

Reuerendiss. in Christo pater, Domine gratiosè, literas tuas Viennæ die xxvii Ap. proximè cū familiari tuo ad me datas, simul cū libellulis lucubrationū tuarum, graueranter accepi: at gratius longè mihi fuit intelligere, te in tāta tēporis pressura, & infinitate negotiorū adhuc bene ualere: qd̄ haud dubiè singulari Dei omnipotentis beneficio procedit, qui te & in longiora secula foeliciorē semper producere dignè. Ego itidē nullo otio uaco, quin magis indies negotijs, etsi nō tanti ponderis actu, tamen nobiscū accurrentib. oneror. At qui imponit, robur cōfert, ut sarcina ex equo ferat. Exoptulas à me rerū nouarū relationē, imperialis belli, successumq;. At nō dubito, quin tu propè tā breui tempore, ac ego, singula etiā melius intelligas. Vti haud dubiè intelligis de captiuitate Ducis Saxonix. Landgrauius hactenus quietè admodū agit, uel quasi delitescit more uulpis, ut uideat successus rerū: cum se solū haud dubiè imparē ad resistendum prospiciat. Precor deniq; digneris me illustri et summæ prudentiæ Baroni, D. Sigismundo ab Herberstain, Regio consiliario in camera inferioris Austriæ primario, tum optimo, qui dudū me, pro reali nobilitate sua, singulari fide & amore profequutus est, ex animo cōmendare. Cui, atq; perinde tibi, omnia foelicis. precor, atq; ex uoto prosperrimā ualetudinē opto. Datum Bambergæ, xv Maij. Anno Domini M. D. XLVII.

MELCHIOR

MELCHIOR DEI GRATIA EPISCOPVS

Herbipolensis, & Franciæ orientalis dux, &c. Reuerendissimo in
Christo Patri, D. Friderico Nauſææ, Episcopo Viennen. &c. S. et promptum complacendi animum, &c.

Reuerendissime in Christo Pater, amice chariss. literarū tuarū xxii die præteriti mensis April. ex Austriæ Viennæ ad nos datæ, hodie xvii mensis Maij, unā cum lucubrationū tuarū Catalogo, nobis redditæ sunt. Et quantū eundē Catalogum ob plurimas occupationes, & negotia nobis hac turbulentissima tempestate incumbētia, euoluere ac perlegere nō liceat, tamē ex dictis tuis literis satis perspeximus officiosum tuū animū, ac studia tum in nos partim, tum maximè in remp. Christianā. Dominus Deus conatus tuos foeliciter secūdet. Tu uerò tibi per suadeas, nos tibi addictis, esse. Hisce plurimū & faustè ualeas. Datū in ciuitate nostra Herbipoli, xvii Maij, An. Domini M D XLVII.

VVOLF GANGVS LAZIVS DŌCTOR, ETC. RE-
uerendiss. Domino D. Friderico Episcopo Viennen. &c. D. Patrono & Mecœnati colendissimo.

Qua in re discessurus à cœna Reuerendiss. Præsul, te auidū implorauicram, etsi hoc mihi expositū certò esse sciā, nec dubitem, quin eo mihi apud M. D. Vicecancellariū suppetias ferre & uelis & possis: tamen discedente à me Io. Doranergen, pro ueteri meo in hunciuuenē amore, & mea, quā semper tuli erga te, obseruatiā, sine presentibus literis admonitorijs abire non sum passus. Rogo itaq; & summis precibus oro, quo meam causam apud M. D. Vicecancellarium commendare & promouere digneris. Idq; nomine meo, & eo, quod semper expertus sum, patrocinio maturè efficias, dum causa tractatur. His me tibi unico, quem habeo in orbe, Mecœnati, humillimè commendo. Viennæ, feria III Pentecostes. Anno, &c. XLVII.

MATTHÆVS LAMPRECHTVS CANONICVS VRA-
tislauien. &c. Reuerendiss. in Christo Principi, Friderico Nauſææ,
Episcopo Viennen. S. P. D.

Reuerendiss. in Christo Princeps, Domine ac Patronè colendiss. nisi mihi spem certam, ac nunquā fallibilē exorandi, cuius ergò ad te profugio, natiua tua uirtus, summa eruditio, & non uulgaris erga probos omnes, uirtutisq; ac studiorū amantes nunq; satis cōmendata propensio, ac liberalis adfectus prestitisse uideretur, nunquā auderē ad eò cōfidenter extemporarijs meis scriptis, te conuenire: quū de te nullis hactenus obsequendi officijs quicquam meruerim. Proinde maximè operè rogo, hanc meam scribendū inciuilitatem pro animi tui modestia boni cōsulere, atq; te primarijs meis precibus benignū Patronū exorabīlemq; promotorem præstare, non graueris. Est mihi pronepos, ex filia fratris mei genitus, Sebastianus Sleupner, artū bonarū studij

GG 3 Craco.

Cracouicē. Magister, & Canonicus Vratislauenſis. Qui satis faciens statutis Capituli nostri, accepit Cracouicæ triennale studium in Philosophia: ad quod omnes tenentur, qui in Capitulum nostrum admittendi sunt. Sed quia propter pestem, quæ grassatur & sæuit Cracouicæ, coactus fuit interrumpere triennale studium suum, ac illud in alio generali studio cōplere, accedente consensu et admisione uenerabilis Capituli nostri, Viennā per me mittitur. Quem, ut adoleſcentem probum ac bonarum literarū studiosum, tibi, ut singulari patrono, cum cæteris fratribus diligenter cōmendo, humiliterq; rogo, ut eundē pronepotē meū alicui sacrarum literarū perito cōmittere uelis, cuius sub contubernio studiū suum, quod eidē restat quinque mēsiū, cōplere possit: atq; tandē eo cōpleto, nactus eruditū in sacra scriptura præceptorē, aliq; adhuc annis studere. Cui non sum subsidia-ria manu defuturus, donec uixero. Ausim enim mihi cōfidenter habere persuasum, quod pro tua in rem Christianā pietate, et genuina in studiosos beneuolētia id facere nō grauaberis: pro opera, fauore & patrociniō mercedem copiosam percepturus. Hisce me tibi humillimē commendo. Ex Vratislauia, XIII Iunij, Anno & c. XLVII.

DOMINICVS A BROCKENDORFF, ETC. REVERENDISSIMO Principi ac D. D. Friderico Episcopo Viennenſi. S.



Reuerendissime atq; ampliss. Præsul, D. colendissime. Ante paucos dies à Reuerendo Domino, D. Ioan. Cochleō, in causa pia, & religioni restaurandæ accommodissima, p nos petita (proh dolor) responsum accepi non optatum. Nihil enim nobis acceptius accidere possēt, q̄ ut tu, de religione catholica, adeoq; de uniuersa repub. Christiana opt. meritis, ecclesiæ Vratislauenſis. Collegio ascribereris: id quod Deus optimus maximus ut concedere dignetur, diu noctuq; orare non cesso. Domini confratres mei te plurimum saluere iubent, cum ipsorum ad quacūque obsequia paratissimorū cōmendatione animorū studiosissima & humillima. Optimē uale, Præsul digniss. ad Nestoreos annos, ex Vratislauia, XXI Iunij, Anno Domini MDXLVII.

OTHO TRUCHSES DEI GRATIA CARD. ET EPISCOPUS Augustenſis, Reuerendissimo in Christo patri ac amico, D. Friderico Episcopo Viennenſi. Cæs. M. Consiliario dignissimo, S. D.



Doctissimas literas tuas, cum eruditissimi simul ac elegantissimi libelli dedicatione, ea potissimum de causa nihil rescripsi, quod malui re simul & uerbis respondere. Quod cum temporum uitio, quo superiori anno grauius, cum maxima iniuria & calamitate sum affectus, pro animi mei sententia, & meritis tuis, facere non potuerim: satius esse duxi, animi mei significationem ad maiorem opportunitatem retardare, quam cum utriusque nostrū iniuria nudis & solis uerbis tibi respondere.

spondere. Sed cum uideam, tibi hoc meo silentio nō satis esse factū, rumpono nunc meam taciturnitatem, atq; gratum meum animum tibi liberè aperio: re ipsa breuī significaturus, quantum & te, & tu existimem. Existimo autem, ut debeo, maximī. Cæterum cum audi- am te hic propè esse, non potui prætermittere, quin pro ea, quam erga te habeo, confidentia, maiore modo, quo possum, te rogem, ut huc transire non graueris. Sunt enim quædam, quæ ad Religionem nostram pertinent, conferenda. Eritq; etiā tuus aduentus non solum mihi, sed omnibus bonis atq; pijs, imò ipsi Cæsari gratissimus. Pluribus uerbis hoc non petam, nisi quod apertè dico, te mihi rem gratiorem facere non posse. Vale Reuerendissime & Doctissime Præsul, & Deus te semper incolumem conseruet atq; cōducatur. Ex Augusta, die II Augusti, Anno Domini MDXLVII.

REVERENDISS. DOMINO FRIDERICO
Nauſeæ, Episcopo Viennenſi, Ludouicus Berus
S. D.



Reuerendissime Præsul, literis Catholici Imperatoris, ad Domini nostri clementissimi CAROLI V. in causa religionis, ad conuentum Imperialem Augustanum uocatus: per literas meas ad eiusdem Maiestatem, excusatus (ut oportuit) grauem corporis mei ualeitudinem, qui à tuo hinc discessu, sanitatis nihil profus habui, nec dum habeo: simul concurrentibus ad quatuor iam hebdomadas, & adhuc perseverantibus, podagræ doloribus, cum alijs incommodis: ita, ut per ætatem sperare non ausim stabilem aliquam reualescentiam. Cum autem tuæ Amplitudinis benignitas, ultrò de se omnia mihi, quamuis profus immerito & indigno, polliceri dignata sit: & constet, quantæ auctoritatis habearis & sis & apud Sereniss. Romanorū Regem, & eius fratrem ipsum Imperatorem, quàm possum maximè oro, pro singulari in me beneuolētia tua digneris absque diuturniori mora, apud ipsam Imperatoriam Maiestatem, cui (ut decet) maximè inferuire uelim, me reddere excusatum, atq; etiam commēdatiorem. Nec mihi nus apud Reuerendiss. Dominū Legatū Apostolicum, Cardinalem Sfondratum: qui suo ipsius, & sedis Apostolicæ nomine, per literas Reuerēdi & nobilis uiri, Domini AMBROSII A GUMPENBERG, Protonotarij Apostolici, à me illud idem quod Imperatoriā Maiestas, petijt. Prænominatus autē D. AMBROSIVS à Gumpenberg, mihi sua gratia beneficus Dominus, pluribus notus, & ut puto, tuq; Reuerēdis, Dominationi notissimus, ferè semper (ut audio) in aula prædicti Reuerēdis, Domini Legati Apostolici, Imperatori as ad me literas à D. Oberenburgero, Cæsareæ M. Secretario acceptas, ad me huc misit: simul Imperatoris etiā iussu in eundē finē, ad me scribēs. Cum hoc D. Ambrosio, egi pro mea excusatione, literis prolixioribus: Quas si uacaret, uellem abs tua dignatione legēdas. Ab in-

Ab ingenti autem me liberabis animi sollicitudine, nec mediocriter alleuiabis languorem, si (uti cōfido, et oro) dignaberis mihi significare duobus uerbis per literas tuas, Cēsareā Maiest. & Reuerēdis. D. Legatū Apostolicū omninō me habere excusatū. Quemadmodum anno XL, supra Millelīmū quingētesimū, cum uocatus Vormaciā per literas Regias, unā cū literis Reuerēdis. D. Ioānis Episcopi Viennēsi, foelicis memorig, statim per literas meas ad eundē, maximo perē rogauī, dignaretur (quod & factum arbitror) apud Regiā M. me reddere excusatissimum, ob grauem & admodū diuturnā aegritudinem, qua tunc periculose laborabam. Cuius causā, neq; tunc inferuire poteram Sanctissimo D. N. Paulo III Pontifici maximo, secundum Breuis Apostolici ad me missi tenorem. Ex uehementi autem suspicione non nihil timeo, ne tuā Celsitudinis humanitas, ut mihi fidus patronus, apud illos duos summos Principes, & alios forsitan, nimia mei cōmendatione, si non causam, saltem occasionē prestiteris, meq; istius uocationis. Quod ne in malum mihi cedat, iterum atq; iterum oro, et obsecro, me tibi deditissimū clientulum tuum, ubi ubi expedire uidebitur, super absentia mea istinc reddas excusatissimum. Quo tuo in me beneficio, me prius pro concessis dono Lucubrationum tuarum libellis, & aliunde, Reuerēdis. T. Paternitate deuinctum, efficies omnium deuotissimum. FRANCISCVS BER, nepos meus, paratissimum sese offert ad omnia obsequia tua. Qui Reuerēdis. tuā Dominationi, & ego, ex animo precamur omnia laeta, cum diligentissima nostri commendatione. Friburgi Brisgoiā, XVI Septembris. Anno à Natali Christia no MDXLVII.

FRANCISCVS CARD. SFRONDATVS, SYMMI
Pont. ad Imperatorem Carolum V. Augustiss. Legatus, Reuerēdis-
simo tanquam fratri honoran. Friderico Nausea, Epi-
scopo Viennēsi, &c. S. P. D.



Q Vituas literas mihi redidit, multum Reuerēde Domine, tanquam frater honorañ. is suum hinc discessum adeo celerem fore significauit, ut has ad te meas breuiiores esse necesse sit, quam mea erga te beneuolentia desiderat. Etsi enim te de facie nunquam nouerim, antea tamen tibi ob doctrinam probitatemq; tuam plurimum afficiebar. Nūc ad id accessit animi tui erga me propensi, in tuis ad me literis significatio, in quibus & tuam pro Christi religione sanctaēq; sede Apostolica operā polliceris, et laborem; qua in re, quas debeo tibi gratias ago, & sicuti opera ac labore huiusmodi, si quando mihi opus erit, summa cum fiducia utar: ita & me ipsum, quacuncq; in re tibi gratificari possum, offero. Interim, quando negotium hoc uniuersalis Cōcilij arduum atq; difficile mihi cum Cæsare pertractandum est, te exoratum

ratum uelim, ut & ut Deum preceris, ut quod uniuersae Christianorum reipub. magis expedit, illud pro sua in nos pietate statui tandem concedat, & te incolumem seruet. Augustae, II Augusti. Anno Domini M. D. XLVII.

VVOLF GANGVS LAZIVS, ETC. REVEREN-
dissimo in Christo patri ac Domino, Domino Friderico Episcopo
Viennēsi, &c. S. P. D.



Q Vum multa sint uitia, Reuerēdis. Praesul, quae hominis uitam in isto mortalium consortio, culpata reddunt, ingratitude non minimum inter haec locum uendicat. Haec praesius mecum considerans, posteaquam, intercedente cōmendatione tua, sacra Regia Maiestas his diebus me ad Historiographi munus adsciuerit, aureorum salario CC. conductū, qui interim mihi à Gymnasij uacantibus lecturis pendatur: incumbit merito mihi, ut pro isto in me, à te profecto beneficio, gratiae agantur. Quas cū agere tantum, nō etiam referre queam: dabitur tamen à me opera, ut fideli & exposito semper seruitio tibi hoc, quod quidem summū est officium, si non reponere possum, tamen inculpatum reddam, & uitiorum numero eximā: ut tu, qui in me ornando principem semper locum habuisti, in me, praeter animi candorem et gratitudinem, nihil amplius desideres. Itaq; duo mihi longē diuersissima eo die contigere, quorū alterū ad fortunā bonam, alterū ad malā referre possum: id quod opt. max. cū lachrymis conquestus, illi uindictā etiam relinquo, & his me tibi, ut seruitorem fidelem, & ad quaeuis expositū, cōmendo et trado. Viennae, VII Septemb. Anno salutis M. D. XLVII.

IO. OLAVS ARCHIEPISCOPVS VPSALEN.
&c. Reuerēdis. in Christo patri ac Domino, D. Friderico Dei gratia
Episcopo Viennēsi, &c. amico chariss.



R euerēdis. in Christo pater, Domine & amice chariss. salutem, & omne bonū. Circa diem diui Bartholomei, me mini me scripsisse tibi, in quo statu res hic sint omnes. Caeterum ab haeredibus Reuerēdi Domini Praepositi, Pauli ab Oberstain, uel testamentarijs eius repetendis, ac debitis scrutandis, digneris aliquā habere curam, plures etenim ad usum meum bene uendidi: sed meum aduentum expectans, nunquam misit solutionem. De nomine & aestimatione Erasmi Roterodami, penitus nulla inter grauissimos patres & doctores relatio hic est. uniuersitatū enim censura, & propria doctrina eiusdem Erasmi, satis declarant, quomodo ueniet approbandus. Haec pauca uerba annectere uolui, propter lucubrationes tuas, quas aliās uidi, et legi, etiam de Erasmo. Foelicissimē, ualeas, meq; ut facis, diligas sincerē. Nec cessabo tuas uirtutes apud Reuerēdis. Do. Legatos sacri concilij, prout mereris, amplificare: etiam apud Reuerēdis. Card. Moronū, qui hic est tanq; Legatus Bononiēsi. Ex Bononia, die XXVII Sep. An. XLVII.

HH M. GALLVS,

M. GALLVS, RECTOR SCHOLAE APVD S.
Heinricum Pragæ. Reuerendissimo ac uigilantiſſ. Domino Friderico
Episcopo Viennen. &c. S.



Non te admiratio capiat, uigilantiſſime Præful, quod ab ignoto tibi huiusmodi literæ scribantur, quæ rem hisce temporibus insolitam petunt: sed cur hoc fiat, rem ut uerissimi, ita apertissimi expono. Apud nos nomē tuū clarissimum est, cum ob synceram doctrinā, tum ob facta, quæ omnia fidelis Episcopi argumentum sunt. Proinde tantæ integritatis uirō quis se nō credat? Tuæ itaq; fidei, integerrime Præful, me credo, alioqui scribere nō ausim, ut ne, si fortē res publicaretur, nihilq; effecerim, à nostris, apud quos dignitas ministerij aliquatulum uileſcit, affatim riderer. Iam rem ipsam scribo. Longum tempus mihi consideranti, qualis uita sit hominum, qui pro diuersitate naturæ ac uacationis, uariè uitam suam agunt: tum etiā deliberāti, in quod uitæ genus me cōiungere debeam, in quo facillimè possim me immaculatū seruare à mundo: sic cōsideranti ac deliberanti, solū sacerdotiū placet. Nihil enim neq; honestius duco, quā laborē Christi nomine pro iuuanda sua ipsius Ecclesia sustinere: neq; utilius iudicō, quā animas fratrum ad æternam uitā ducere, ac laboris præmium accipere coronam quæ non marcescit, ad quod officium impetrandum, sanctū tuū humillimè imploro auxilium: et obsecro, saltem unico uerbo, an facturus id sis, nec ne, significare digneris. Ego ubi respōsum accipero, cōmodissimo tempore istuc, si Deus uolet, ueniā. Domini sum: statuat ille de me, quod sanctum & placitum est in oculis eius. Deus opt. max. tuam uitam conseruet, optime Præful, Datæ Pragæ, apud S. Gallum xxx die Mensis Septemb. Anno, &c. XLVII.

DOMINICVS A' BROCKENDORFF, ETC. RE.
uerendissimo in Christo patri ac Domino, Domino Friderico Episcopo
Viennen. uigilantiſſ. &c. S.



Euerendiss. in Christo Princeps ac Domine, D. colēdiss. post salutem et pacē, ac omnem in Christo saluari nostro foelicitatem, pronam obsequēdi & seruiendi uolūtatem. Cum per literas tuas & doctiss. & suauissimas, Viennæ xxv Aug. datas, summa animi alacritate & auiditate per me lectas, & relectas, foelicē tuū ad Episcopatū tuū reditū cognouissem, uehementissimè cōsolatus sum: ac nō minori gaudio affectus, qd Prepositurā in Vualdkirch, tuis summis uirtutū meritis exigentib. cōsequutus fueris. Max. uero afficerer Icticia, si, quod tibi in corde et pectore meo faueo, quodq; à multis prijs desiderat et expectat uiris, tuū quoque celerē fortiteris effectū, ut et Deus opt. max. hoc Ecclesie Vratiflauien. cōcedere dignaret. Id qd ego et uenerabiles mei cōfratres, diu noctuq; orare non cessabimus. Hisce me tibi, quæ Deus ad Nestores annos pro Ecclesie suæ ornamento, bene ualentem cōseruet, unice

unicè commendo. Datum raptim Vratiflauiæ, x Octob. Anno Domini M. D. XLVII.

IOANNES HASENBERGIVS, ETC. REVERENDISS.
in Christo patri ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. etc. S. D.



Euerendiss. atq; pientissimè Præful, Domine obseruandiss. scripsi recens hinc magnifico D. Cancellario Austriae, Marco Beck, de quodam egregio iuuenē in collegiū diui Nicolai recipiendo: sed nihil mihi planè rescriptis. Fortassis res hæc est in manib. tuis. Quod si est, plurimū rogo, ut per opem tuā in collegium coapte, est enim iuuenis spei magnæ, catholicus, & Protonotarij M. Andreae filius, &c. Archidux noster Ferdinandus indulget ad aliquot iam dies uenationi: alioqui, cū per negocia licet, adhuc lectionibus uacat. Augustæ pestis multū grassatur, sed nemo ex magnatibus adhuc cecidit. Negotia omnia in fidas Cæsaris & Regis manus cōmittuntur. Concilium Tridenti perpetuabitur. Fœdus Sueuicum erigetur ad monetā, iusticiam, pacem & concordiam cōfirmandum in perpetuum. Serenissimus & Indytus Archidux, tibi ex animo bene uult. Hoc enim unum ago, ut Domini mei cum omnes, tum præcipuè doctos, et columina rerū Episcopos, & alios Prælatos ament, et uenerentur. Deus opt. max. te in lōgos et multos annos conseruet sanum in utroq; homine, & incolumē. Datum Pragæ, vii Nouemb. Anno Domini M. D. XLVII.

THEODORICVS LOHERVS A' STRATIS, CARTVSIA
nus, &c. Reuerendiss. in Christo patri ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennen.
Consiliario Regio, &c. S. P. D.



Euerendiss. in Christo pater, Patrone perbenigne ac singularis, quum multis nominibus tibi debeam, ut benefactori meo munificentiss. tum hoc etiā sum obstrictior, quod tam amanter exiguitatem meam nuper exulē acciperis, atq; aliquociens magnificentissimè cōuiuā admiseris. Et licet ingenue fatear, me nihil esse, aut labores meos, si eruditus componar, tibi tamen omni scientiarum genere conspicuo, tuoq; Pōtificali candori non male competit, quicquid ubiuis insignium ingeniorum putas esse, allicere, ornare, euehere, & in amicitiam suscipere. Vnde fit, ut ausim etiam plenissima confidentia tibi presentium exhibitorem, eximium sacræ theologiæ Doctorem, D. Burcardum à Monte, conterraneum meum & confratrem unanimum, uirum doctum, pium, & bonū, consilijs & auxilijs promouendum, atq; in albū amicorum suscipiendum, ex intimis præcordijs cōmittere, offerre & cōmendare. Sustinet bonus hic Doctor, alioqui satis in temporalibus prouisus, ac de progenie bona, contra meū et omniū suorum amicorum cōsiliū, solo amore fructificādi in agro Dominico, se mitti à Regia M. ad ignotā & duram gentē Pannonicam, pro lectore sacræ Theologiæ Viennæ. unde puto illum non indignum tuo amore, & fauore.

HH 2 Reliqua,

Reliqua, quæ circa ipsum sunt, item quæ hic in comitis de turbulento Germaniæ statu satis optatè geruntur, coràm conferre nō gra uabitur. Nuper circa S. Matthie ferias, in recessu meo à Vienna, licet octiduo à me expectatus, mihi benedictionem dare non potuisti: nō tamen diffido, hic Augustæ, ante comitiarum conclusionem, te me uisurum, & salutarum. In columem interim, pro communi repub. in tempora longa, te diuina conseruet misericordia. Raptim, Augustæ Vindelicorum. xxv Nouemb. Anno reparatæ salutis humanæ M. D. XLVII.

IOANNES HASENBERGIUS, ETC. REVERENDISSIMO in Christo Principi ac Domino, Domino Friderico Episcopo Viennæ, etc. S.



Euereudis, atq; pientis, Domine, D. ac Patrone generose. Heri mihi Reuerendus D. Vicarius noster tuas literas ostendi curauit, in quib. à me literas petis. Quæ res ualde admodū percussit animū meum: quoniā iam diu & tibi, & D. Lazio, & præceptor illustris, Archiducis Caroli unā scripsi, & literas te & Lazium concernentes in præceptoris inclusi. Iam D. præceptor iureiurando affirmat, se feriales literas non uidisse. Quorsum abreptæ sint, Deus nouit. Scripsi autem in prioribus, inclytū D. Archiducem Ferdinandum, clementer ualdè librū oratorū accepisse, & sæpè ex eo orasse: quamuis cum oblatu fuerit liber, Lithomericij abfuerim, D. Kanus tamen Camerarius, bonū fecit in offerendo officium. Verū is desiderat adhuc unum uel alterum nouum à te, & præceptor Hasenbergius quoq; unum: uel cures mitti Pragam, ut habeamus, quos emamus. Multi enim magnopere desiderant libros tuos. Hos, mihi credas, quod Archidux singulari affectu & reuerentia prosequitur. Quod uerò non fuerit gratus in scribendo, fecerunt hoc tot uenationum uariorumq; exercitiorum progymnasmata: rogo ad præsens non ægrè feras. Cum aliàs occasio se se obtulerit, elaborabo accuratius. Fui etiam aliquandiu ægrotus, & modò prætulsi me excarnificante, nil ferè agere possum. Noui ferè nihil habemus, nisi quod cōuentū propediem hic habituri sumus. Imperatoris filius Oenipontū dicit aduenire, cui Italia 1500000 floren. dono obtulit. Imperator collegit ex inferiore Germania octies quadragies centena millia florenorū. Nisi resipuerit Rex Galliæ, & restituerit tum Burgundiam, tum etiam Selandiam Imperatori, habebit, quod male timeat. Dux Mauricius Saxonæ elector it obuā filio Imperatoris. Nos hic de religione & literis erigendis agimus: sed barbaries tanta est hic, ut quò nos uertamus primum, ignoremus. Deus erigat omnia in sui nominis gloriam, & te nobis longæuum conseruet foelicissimè. Datum Pragæ, Anno, & c. XLVIII.

DOMINICVS



Euereudis, in Christo Princeps & Domine, D. colendis. Post salutem & pacem in puero Iesu, nobis nato & manifestato, sedulam, deditissimamq; seruitiorū meorum cōmendationem. Celsitudinis tuæ literas doctissimas & humanissimas, ad S. Vitum, prope Viennam Austriæ datas, per egregij uiri D. Doctoris Matthæi Lamprichti seruitorem, adiuncto exemplari uisitationis pastoralis, cum ea qua decuit reuerentia, summa animi mei consolatione & uoluptate accepi, legi, & relegi. Ad easq; ob nunciij, per præfatū D. Doctorem mihi indicati, sed incogniti, festinam abitionem, rescribendi, ut uellem, modò non datur facultas, & cōmoditas. Rescribam uerò, quam primū alter cognitus tabellio occurrerit: nisi etiam, Reuerendis, Domine, literas ad D. Franciscum à Lœben, nunc Glogouiæ existentē. Quod uerò tu, ultra tuos diurnos nocturnosq; labores, in tam suauissimis ornatisimisque literis, ad me indignum homuncionem scriptis, & datis, fatigare te dignatus sis et fueris: nō eas quas debeo, sed quas possum tibi ago gratias, in perpetuumq; habiturus sum. O utinam et in hac dioecesi pariformis uisitatio institueretur: esset profectò orthodoxæ religioni restaurandæ, salutiq; animarum saluberrima, & summè necessaria: & ut Deus concedere dignaretur, quo tu maiori cum honore, huc quam primū uenires, futurus mihi iucundis. D. & hospes: & ut fiat, Deum orare non cesso: & ut tu, huius noui anni, lætū sumas exordium, processum multo lætiores, exitumq; longè lætissimum, Dominus Doctor Nicolaus a Krickauu, & Magister Ioannes Neuumeister, mecum ex animo, cupiunt, & precantur. His tibi eosdem & me unice cōmendo, quem foelicissimè & diutissimè uiuere & ualere cupio. Ex Vratislauia, dominica post VIII Epiphaniæ Domini. Anno MDXLVIII.

MATTHÆVS LAMPRECHTUS CANONICVS VRATISLAVIENSIS, REVERENDISSIMO in Christo Principi D. Friderico Nauisæ, Episcopo Viennensi dignissimo, etc.



Ost seruitiorū debitorū, ac sui diligentē cōmendationē, salutē, ac sempiternā in Christo seruitore foelicitatē, loco faultis. Strenæ dexterrimi instātis anni præcat. Reuerendis. in Christo Princeps, D. & Meccenas multis nominib. colēdis. Summa reuerētia & honore, ut par et æquū est, atq; maxima animi lætitia & hilaritate, accepi & exosculatus sum tuas iucundis, gratiosasq; literas, nō uulgarem natiue benignitatis erga pronepotē meū, Magistrū Sebast. beneuolendi animū, propensissimamq; in eundem beneficentiā præferentes, atq; uerè Christianæ pietatis & amoris nomē spirātes. Quibus profectò ob cæcutiem, & cataraclā sinistra oculi, qua egerrimè laboro, ut antehac solitus fuerim, re-

HH 3 spondere

spondere manu propria (quod tu, pro genuina tua māsuetudine boni cōsulas) modò mihi non est integrū: & nisi mihi animū ac certam spem exorādi prāstares, cuius ergo ad te profugio, natiua ante omnia tua uirtus, summa eruditio, ac non uulgaris in omnes uirtutū & bonarū literarū amantes propensior humanitas, non aufus fuissē meis extēporarijs ac illiteratis scriptis iterū atq; iterū te cōuenire, & pijs, aures obtūdere. Quū aut tanta sit tua, in pronepotē meū munificentiae liberalitas, nō possum non esse gratus: sed maximas, & diu memorādas habeo tibi, pro tantis collatis beneficijs, gratiarū actiones, omnib. demerendi officijs (quacunq; occasione oblata) easdē cādidō & grato animo depensurus. Cuius cum primis ob amorē, & interuentū inferuendi, gratificādiq; exhibitionē, subsidiaria manu loanni Leopoldo affini & studioso adolefcēti, quotannis (quo studia sua cōcepta prosequi posset) succurrere, et auxiliū atq; opē ferre, ut solus coram referet, non grauabor. Atque ē diuerso maximopere, & summo quo possum studio te humiliter et rogo, et obsecro, Sebastianum meum, si fieri potest, cum iam triennale suum studium Crauiciae & Viennae compleuerit, tua munificentia ac solito cōcepto fauore, & animi beneuolentia, eundem sic amplecti et prosequi digneris, quo in splendidū tui famulitij numerum ascribi possit, & sub dexterrima ad generale Concilium tua profectio, apud te manere amanuensis & fidelis famulus. Cui pro uiatico conficiendi itineris, honestam prouisionem facere non negligam, ubi de mente & uoluntate tua certior factus fuero, ut se uestire pro honore tui & ornamento decenter ualeat. Tandemq; te incolumem & felicem diutissime uiuere & ualere, candido pectore percipio. Ex Vratislauiā, die cimosexto die mensis Ianuarij, Anno à natali Christi, MDXLIX.

GEORGIVS REICHERSTORFERVS CAMERAE REG.
Maies. Hung. Consiliarius & Secretarius, Reuerendiss. Anisti ac D.
Friderico Nauisae Episcopo Viennen. &c.



Reuerendissime & amplissime Praesul, ac Domine, Domine colendissime: Ex scriptis Domini Doctoris Alexij Datisici Kuniczj, Olomucensis ciuitatis Physici, quodam negotiū ratione quarundā uinorū, his trāfactis diebus, cuiusdam ciui Olomucensi Martino Paungartnero in quodā pago Reuerēdi D. Abbatis Scotēsis Viennē. Gaunerisdorff appellato, citra (ut aiūt) omnē legitimā occasionē receptorū, satis diffuse intellectū est. Cuius rei causa à praefato Martino Paungartnero rogatus sum, ut in illius fauorē meas ad te cōmēdatitas dare literas, quas idē sibi in negotijs suis apud dictū D. Abbatē Scotensem, ex intercessione tui multū profuturas speraret: etsi indignū sit, ut ipse nullis meis exigētibus meritis quorūpiam causas apud te promouere debeam: tamen non minus confidens te hasce meas qualescunq; literas benigna fronte accepturū, Exorantes te plurimum, digneris ex singulari pietate,

pietate memorato Paungartnero patrocinarī, ut uina sua à dicto D. Abbate citra rerum suarū dispendiū assequi queat: nostri ob cōtemplationē, & æquitatis, ac futuræ amicitie nostrę introitu. Quod ipsum D. Abbatem in primis ob respectum tui, facturū nobis certò pollicemur: quod erga te omnibus studijs & officijs promereri sedulo curabo, in cuius gratiā et beneuolentiā, mea obsequia prōptissima quā diligentissimē commendo. Teq; Deus opt. max. ad annos Nestoreos uiuere faustissimē conferuet. Ex Olomucio, die XXI Martij, Anno Domini, MDXLVIII.

SIMON ROSENTRIT, CANONICVS OLOMV.
censis, Reuerendiss. in Christo Patri ac Domino, D. Friderico Nauisae, Episcopo Viennensi, &c.



Alutem in Domino, Reuerendiss. Praesul: Semper haetenus Capitulo nostro curae fuit, ut tu aliquando Olomucensis ecclesiae existeres membrum. quamuis autem id dudum fieri potuisset, sed ob tenuitatem censuum, Capitulum tam humilem conditionem tibi offerre dubitabat, metuens, ne tu tantillam praebendam, Episcopo indignam, dedignari posses. At cum tu nuper pro Paulo Polnensi intercessisses, petens ut illi Canonicatus qui proximē uacaturus esset concederetur: sin uerò Capitulo aliud uideretur, tu pro te ipso petebas: quare peritio omnibus Canonicis Capituli gratiosissima erat, ut quod id flagitares, quod Capitulum nostrū dudū offerre statuebat: pensitantes ecclesie nostrae non modicū accedere decus, tantū uidelicet uirū, nō solum Episcopū, reliquis titulo parē, sed doctrina ac officij functione quā plurimos excellentē, coetū ecclesiae nostrae illustrare. Cum autē ego omnium in Capitulari cōsēssu animos erga te inclinatos esse cognoscerē, Canonicatū post mortē D. Venceslai Grätzeri, nuper uacantē, nomine tuo ambire, & praeterea petere cōepi: quem mox ferē absq; ulla deliberatione in Capitulo praesidentium consecutus, demū ad possessionem introductus sum. Quare te rogo, nolis eam conditionem, quae omnium cōsensu ultrò est tradita, aspernari. nam pro nouo illius ingressu nihil tribuēdum erit, ne tu idē forsā eā magis grauatim amplexareris. Vale, Olomucij: feria quinta post Oculi. Dominus Decanus, Dominus Archidiaconus, Dominus Scholasticus, uniuersumq; Capitulum te salutare iusserunt.

IOANNES HASENBERGIVS, PRAEPOSITVS LI-
thomerien. &c. Reuerendiss. D. Friderico Nauisae Episcopo Viennen. &c.



Alutem plurimā, unā cū omni & eo obsequendi studio dicit. Reuerendiss. ac obseruandiss. Domine D. mihi gratiose, &c. Valde sum rogatus à Magnifico Domino Camerario inclyti Archiducis nostri, D. Kano, uiro ut catholico, ita optimo, & tui singulari obseruatore, & bono amico, ut ad te scriberē, pro libellis orationū tuarū, ita ut duo exēplaria habere posset, unum antiquū, alterū auctum ex postrema editione. Sunt autem

autem illi libri inscripti Serenissimæ Reginæ Annæ sanctæ memoriar. Scribi nō potest, quā exarsit amore cū libellorū illorum noſter ſenex Chremes: tum præcipuè orauit ex his, nō ſuis, priuata quadam pietate per quadrageſimā, ſed acceptis cōmodatō ab alijs. Et ut mihi etiam unū mittas, ualde peto, ex ultima procuſione. Archidux noſter ante annū in his bellorū motibus ſuū amiſit. Egeret etiā uno nouo, ut eius Serenitatem inſtituerem, antequā ab aula (quod nunc ago) diſcederem. Nimum ſum petax: ſed quid nō extorquet ab hominē precū pietas, & enthuſiaſmos? Noua quæ ſcribā, non habeo: niſi quod noſter Archidux in ipſo diui Georgij die, ad perpetuā rei memoriam ſolemniter, uictoriā de Saxoniciſ gigantib. anno ſuperiore uirgula diuina partā, magna pompa & habitaculis celebrabit. Interim dum ſe parat, altera paſchatis die, et dum præludiū quoddā rude eius rei ſub uinario Regio exhibet, traſſicitur hōbarda ad caput opt. & nobiliſſ. iuuenis D. Gregorius ab Hermentſtein, Archiduci à poculiſ: cui funus celebre peregimus, cuius Deus miſereatur: Amen. Allatum eſt huc quoddā ſigillū Imperatoris ingenioliſſimum: uolui tibi mittere, ſed non potui huius copiam habere. Mitto feraciſ. triticū ex Flandria. Comes Albertus à Mansfeld, qui in Bremē ſi Episcopatu graſſabat, deſertus eſt ab omni milite et equite: qui ter riti auctoritate Ceſaris, et quod etiā parum ſoluerit, omnes profugerunt. Cupio ſaluū Doctorem Vuolfgangū Lazium, D. Doctore Bernhardū, & Dominum Decanū ueſtrum, uirum bonum & candidum. Valeas, & me ſemper in tuis cōmendatum habeas. Data cōtiſſimē, Pragæ, VII Aprilis. Anno, &c. XLVIII.

FERDINANDVS DEI GRATIA ROM. ETC. REX, VENERABILI, &c. Friderico Episcopo Viennensi, Conſiliario noſtro.



Enerabilis, deuote, dilectē, literas tuas deuotas XXVIII menſis Martij, proximē præteriti, die ad nos datas, accepimus, & intelleximus. Et quia tibi ſingulari clementia comparēre propēſi ſumus, ex cauſis in dictis literis tuis nominatis clementer tibi cōcedimus, ut ad ſpaciū duorū menſū ab eccleſia tua abeſſe, et negotia tua (prout neceſſitas expoſtulare uidebitur) expedire poſſis. Quia tamen neceſſitas ipſa, præſentiam et cohabitationem tuā apud eccleſiā tuā, hiſce periculoliſ. temporib. exigit, clemēter à te deſideramus, et uolumus, ut quamprimū elapſis duobus mēſibus, nulla obſtante mora, ruruſus ad Episcopatū tuū te cōferas, & officio tuo Episcopali, ut haecenus ſeciſti, prædicādo fungaris. Id q̄ nobis gratioſe de te perſuademus: in quo & noſtrā placitā & clementē ſententiam, & uoluntatem exequeris. Datē in noſtra imperiali ciuitate Auguſta, XVII die menſis Apr. An. &c. XLVIII. Regnorum noſtrorum, Rom. xviii, aliorum uerò xxii.

SIMON

SIMON ROSENTRIT, CANONICVS OLOMV
cenſis, Reuerendiſſ. in Chriſto patri, ac Domino, Domino Friderico
Nauiſeæ Episcopo Viennensi, &c.



Alutem in Domino. Reuerendiſ. Præful, Sacerdos hic Hungaricus à Cracouia huc ueniens Olomucium, hic aliquot menſes commoratus eſt, homo, quantum mihi conſtat de eo, honeſtæ uitæ, ſtudioſus q̄p̄ ueteris & catholicæ religionis, præterea peritus Muſicæ. Cum hic apud nos ob linguæ ignorantiam, cōditionem nullā habere potuerit, Viennam proficiſci ſtatuit, exiſtimans Hungaros, quorum Viennæ magna eſt copia, magis ſue paupertatis cōmiſeratione commoueri, quā alios, quorum linguam ignorat. Sed ut illi ignoto in peregrina terra aliquid auctoritatis accederet, petiuit, ut illum tibi cōmēdatum literis redderē, quarum occasione tibi notus eſſet: præterea ut hac occasione citius conditionem ſacerdote dignam adipiſceretur. Quam ego, licet grauatiſ id fecerim, timens ne gratiā tuam quæ olim mihi uſui eſſe poſſet, euacuarem: peto ut illi, ſi tu non conferre, aliam aliquam monſtrare digneris. Non dubito te mercedem pro hoc ſuſcepto peregrino, à Deo reportaturum. Vale, Olomucij, in tenebris ferē Aſcenſionis. Anno, &c. quadrageſimo octauo.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI, AC
Domino, Domino Friderico Episcopo Viennensi, Ludouicus Berus, &c. cum
humili obſequio, S. D.



Anta eſt, Reuerendiſ. Præful, in literis tuis ad me heri ex Vualtkirch, & prioribus ex Vienna Auſtriæ, ac itē in colloquio hic Friburgi mecū habito, tua humilitas, tam obuia mihi tuæ benignitatis pollicitatio & beneficentia, ut tenuitas mea neq̄ rebus, neq̄ uerbis reſpondere queat. Et cum totus ad occaſum reſpiciam, tua autem dignitas ad ſolem orientē, neq̄ dignū aliquod obſequiū tua magnitudo à puſillitate mea expectare poſſit: miror reuera, tam propenſum in me animū tuum. Et meritō mihi ſuſpiciendus es, ad infima tete ita demittens. Sed hoc eſt genuinæ tuæ uirtutis, & eximiæ cuiuſclā magnanimitatis: cui cum multa gratiarum actione, me totū dedo, tuus futurus ſemper, quā uis inutilis ſeruus: nihil eorum agnoſcens, quæ in literis tuis tribuit mihi tua ſublimitas. Quæ ſibi de me aliud nihil polliceat, quā gratiſſimum & ſemper paratiſſimū gratificandi, & obſequendi animū meum, ſi pro uoluntate eſſet facultas: quam tamen ſperare nō auſim in hac uita corporali. Caput, & pedes, & omnia intermedia labāſcūt. Verū nō habemus hic manentem ciuitatem, ſed futurā querimus, ubi (diuino munere) renouanda eſt, ut aquilæ, iuuentus noſtra. Et ſi cetiſ, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur: tamen iſ qui intus eſt, renouari debet de die in diem. Quo nō aliud magis in hac uita peto à Domino. Libenter inuiſerē tuam Amplitudinē, iam in propinquo
II agentem:

agentem: sed ex ætatis, & balnei, quo nunc utor, lassitudine, post diu-
turnam (utpote nouem mensium) atq; adhuc perdurantē ægritudi-
nem uix datū est, hisce paucis, respondere humanissimis tuis literis.
Velim autē cōmendatissimus esse Reuerendissimę T. Dominationi
quam Dominus cōseruet semper felicem. Duos libellos Septē psal-
morum pœnitentialium, & Psalmi centesimi decimi octauī explana-
tionem continentes, mihi donatos, quales & ipse adhuc habeo, misi
ad te, Reuerendiss. Dominū meum: Qui diuinæ bonitatis cōmulator
existens, non tam quid, aut quantū, sed ex quanto, & quo animo of-
ferant, perpēdere digneris. Friburgi Brisgouię, uicesimo nono men-
sis Maij. Anno Domini, &c. quadragesimo octauo.

FERDINANDVS ROMANORVM, ETC. REX,
Venerabili, dilecto, deuoto, Friderico Episcopo Viennensi, consiliario nostro.



Venerabilis, dilecte, deuote: literas tuas uigesimo primo
nuperrimi elapsi mensis Aprilis, Viennæ datas, unā cum
transmisso libello accepimus. Et fidele studiū tuum, quo
& in hoc & in omnibus alijs modis, ad conseruationē no-
stræ antiquæ & uerē Christianæ religionis & spiritualis status ute-
ris, singulari et gratioso beneplacito amplectimur, & cōmendamus:
quod etiam data occasione, omni gratia erga te, nunquā non sumus
recōgnituri. Id quod te, pro gratioso ad dictas literas tuas responso,
latere noluimus. Datū in ciuitate nostra Imperiali Augusta, sexto lu-
nij. Anno, etc. XLVIII. Regnorum nostrorum, Rom. xviii. alio-
rum uerō xxii.

IOANNES HASENBERGIVS, ETC. REVEN-
diss. pariter & pientiss. Domino, D. Friderico Nauseæ, Episcopo
Viennensi, etc. S.



Reuerendissime Domine Præsul, atq; Domine gratiosę,
ualde sum ab amicis rogatus, ut hunc Ioannem Polonū
tibi cōmendarem, ut si fieri modō possit, omnes ordines
à te ab accolitatu auferre possit. Et quoniā habet literas
dimitiorias à suo Vicario, Reuerendiss. Prouincialis sui, & solus om-
nitim præest monasterio Carmelitarū Pragæ in arena, quoniam etiā
mensis hic plurima est, & perpauci messoris, plurimum peto atq;
quæso, ut tu hūc sacerdotio ornare digneris. Deus promerebit̄ uber-
rime, etc. Et quia antea cum bis uel ter scripsi pro orationibus tuis, in
gratiā Serenissimæ Reginae compositis, ut eas magnifico uiro & sin-
gulari fautori, Domino Kano, inelyti Archiducis Camerario, mitte-
res, ab eo de nouo admonitus, iterum atq; iterū quæso, ut eosdem li-
bellos & pro Archiduce, & pro Kano, & me, mittere uelis. Nos stu-
debimus beneplacere, & reponere. Poderis per hunc respondere, &
libellos tutō transmittere. & tu quā optime ualeas. Datum Pragæ
in ipso Ascensionis Christi die, Anno, &c. quadragesimo octauo.

IOANNES

IOANNES OLAVS ARCHIEPISCOPVS VPSALENSIS,
Reuerendiss. in Christo patri ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennensi, etc.



Reuerendiss. in Christo pater, & Domine charissime, fa-
lutem & omnem foelicitatē. Lator presentū, Dominus
Gaspar, Iuris utriusq; doctor, Canonicus Vuarunensis,
Prusiam, (terram scilicet natiuitatis suæ) petiturus, no-
uit tibi referre, quomodo laborauerim apud Reuerendissimum Da-
tarium. Qualis insuper facies sit Romanæ Curiaē, aut concilij Bono-
niensis: atq; reliquę Italiae nouitates, ipse fidelius & tutius, quā scri-
bere fas est, referre norit. Vnum tamen cōsiderare licet, quod reman-
entibus Episcopis, scilicet Hispanicæ nationis, in Tridento, uiginti
quinq; Præsules diuersarum nationum in Bononia uidentur perma-
nere uelle, aut debere. Sed quid inde nasci poterit, schismatum ori-
ginē & exitum perpendentes, facillime diiudicare norunt. Formidat̄
hic reditus immanissimi Turcę de Persia, cum triumpho: timetur ue-
hementius, ne Germaniæ discordia undiq; nondū sopita, uires & ra-
biem adaugeant hostium prædictorum. Audio unum Interim fa-
ctum fuisse in Augusta: sed in ueritate nunquam potui illud inspice-
re, aut inuenire. Si copia in manibus tuis fuerit, obsecro ut habeā il-
lud, præsertim Bononiae, ad quam die craftina me hinc conferam, &
occurentia noua, solita diligentia, libenter perscribam. Tu quā
foelicitissimē ualeas, & mihi ignoscas, quod toties de exiguis reb. facio
questionē, quarū aliquādo tuo adiutorio optatū uidebo finē. Ex Pa-
triarchatu Venetiano, die tertio Iulij, Anno quadragesimo octauo.

IOANNES LEANDER REVERENDISS. IN CHRISTO
Principi ac Domino, D. Friderico Nauseæ Episcopo Viennensi, etc.



Post humilissimam omnis obseruantiaē, omniumq; officio-
rum cōmendationem. Reuerēdiss. atq; obseruandissime
Princeps, ausim cū Cicerone dicere, mihiq; gratitudinis
Theta præfigere, esse animi ingenui, cui multum debeas,
eidē plurimum uelle debere. Scio me omnia tibi debere, adeo, ut si
animam pro te deponerem, parem tamen gratiā rependere nequeā,
Scio non grauem, imō grauissimā mihi aduersaria esse constitutā: de
me quoq; tibi incredibilē, non tam opinionē, quā expectationē es-
se paratā. Quid uerō statuam, ut et officijs, gratitudinis studio, om-
niq; laude, uel cogitationes tuas uincere possim, una re fortassis faci-
limē, ut tuarum laudū gloriā, sempiterna literarū memoria celebrās
adamē, studijsq; mihi cōparem, in ijsq; perpetuō laborem, uerum.
Sed neq; cum discederem, factum: neq; nunc studium profectō, de-
clarandi animi, Reuerendissime Præsul, non defuit multorum admi-
ratione. uerū cum absentia tua, ut properarem, meq; in uias darē,
temporis, & susceptæ conditionis ratio atq; fides hortarentur. Mu-
sis meis non placuit, neq; ingenio, te absente quicquam fieri: ac relin-
quere, sub manu natū, quod cum uenisset, non fuisset integrum. Sed

II 2 neq;

neque nunc, molestè enim cogor ferre plurima, & ea quæ uix sperare
 fem: ita ut uarijs districtus curis, ad sententiam propius accedere ne-
 queam. Atque ego balbutiens à te, nunc, donec rectè potero, iudicari
 potius, quàm uideri, uolo. Nam & hoc satis constat, longè grauiori-
 bus te occupatū negotijs, maioribus inquā acquiescere curis: quàm
 ut meis, ieiunis & humilibus studijs, uacare possis. Satius itaque arbi-
 tror modò, plurima de tuo animo erga me, & sententia, reticere,
 quàm pauca dicere: ut Salustius noster de Carthagine loquitur. Di-
 gneris saltem tu, additissimum tuum mancipium, in clientelam su-
 scepiam ornare, & defendere, atque pristina liberalitate, uoluntate, a-
 nimo, gratia & amore prosequi. Vtque istius rei, mihi absentis, testimo-
 nium adferatur, uerecundius paulo, ac si magna res mihi petenda es-
 set. Quamuis graue homini pudenti, petere aliquid ab eo, de quo se
 benemeritum testatur: ne id quod petat, exigere magis, quàm roga-
 re, & in mercedis potius, quàm beneficij loco numerare uideat. Sed
 quia mihi, & omnib. nota est tua munificentia atque liberalitas, & pi-
 etas clarissima, non dubitauì, id quod tibi factu facillimum, misero
 maximum, maximeque studijs necessarium, petere. Tu itaque digneris
 hunc probatæ indolis adolescentem, Ioannē Hene, qui meas offert
 tibi literas, atque interim munus leuidense, à Reuerendo, pio, & inte-
 gro, acerrimoque ueteris religionis defensore, D. Melchiore Vucin-
 reich, parœciano nostro: qui miserum cum uidisset adolescentem, pi-
 etate motus, promouendum eum qui ad sacerdotij dignitates aspi-
 raret, duxit, in sui atque ignoti cõmendationem profectum. simul of-
 fert, de meliori etiam nota cõmendatum se habere: ita ut liberalita-
 te tua adiutus, beneuolentia ornatus, ornamento istis miseris tempo-
 ribus, quibus pauci religionis ueræ participes gloriantur, multis esse
 possit, ad propagationem & gloriam diuini nominis, Ecclesiæ atque
 ministerij conseruationem. Quæ pietas, & quanta tua munificentia
 sit, quæ etiam interdum *συμπλοκα*, ut abiectos, & sordidos, ad tem-
 pus ut uiuere possint, atque exemplum tuæ pietatis concipere itidem
 possint, suscipis, non ignoro. Hic cum optimis sit præditus moribus,
 & amans religionis, poterit ex gratia in aula tua, & mensa, paruo cõ-
 tentus uiuere: studijsque, quib. uacabit, bene instructus, ornatiores ali-
 quando, summo cū gratitudinis officio, ad nos reuertit: uel certè, si ido-
 neus, tibi suã addicere operã. Et in hac parte agas & ostēdas pietatis
 et gratiæ fructū. Nō male collocatū fore, quicquid in hūc cõtruleris, per
 suasum habeas. Vt est maxima expectatio, & summa de eo, nō dubi-
 tamus omnes ea quæ ab optimo ingenio, & uirtute prædito speranda
 sunt, expectare, paratumque dicere, ut qui maximis & clarissimis stu-
 diorū muneribus te, & nos omnes sit affecturus. Primus est, me exce-
 pto, qui à me ad te cõmendatus ueniat. Sinas experiar petitionē meã
 pōdus habuisse. Nō absurdã initurus gratiã, apud D. Melchiorē pa-
 rœcianū nostrū, qui humilimè omne officiorū genus deserit. Ego etiã
 in primis

in primis conabor, ut sempiterna literarū memoria pro omni benefi-
 cētia et liberalitate, parè possim addere calculū: precaborque ut Deus
 dignetur, in sui nominis gloriã, et ecclesiæ defensionem, diu te saluū &
 superstitem cõseruare. Data Nissæ, x die Iulij. Anno, &c. XLVIII.

THOMAS BABELIUS PAROCHVS BVDVICEN-
 sis, Reuerendiss. in Christo Patri ac Domino D. Friderico Epi-
 scopo Viennensi, &c.



Vum intelligerè à senatu nostro prudentis. legatos Vi-
 ennam mitti ad Regiam Maiest. Reuerendissime Do-
 mine Præful, non potui nō pro nostra consuetudine a-
 pud eosdem senatores nostros, ciues integerrimos, ali-
 quid literarum ad te dare, quibus & ciues nostros tibi commenda-
 rem, et exiguã aliquam gratitudinis significationem declarare. Quū
 enim agam (ut nouisti) apud Buduicenses, probos & catholicos ho-
 mines, etiam atque etiã oro, ut eos ita tractes, ut si qua in re opera tua
 illis necessaria fuerit, intelligant, meã cõmendationem nōn uulgare
 fuisse. Et quia utcumque angustam pro hoc tempore familiarem rem
 habeo, uolui quoque interim exiguo quodã munusculo, nempe duc-
 bus Bohemicis caseis te donare, quos ut æquo à me accipias animò,
 etiã atque etiã oro, precorque, ut id munusculū cum incolumitate con-
 sumas. Pollicor quoque me, quamprimū fieri poterit, Deo uolente,
 sexaginta trutas infumatas missurū. Porro constitui duos sacri ordi-
 nis candidatos ad futurum quartale me missurum, quos ut admit-
 tas, atque benignè tractes, obnixè oro. Quum enim ingēs sit sacerdo-
 tum defectus, uolens consulere ecclesiæ nostræ, deligendos & adhi-
 bendos istos putauì, uix enim dici potest, quanta in omnib. locis hu-
 iusmodi hominum sit penuria. Nam & concionatorē hoc tempore
 nullū habeo, quū profectò et ciuitas sit fame celebritate cõspicua, ne
 que aliquo prauæ religionis errore infecta. Postremo postulo atque
 oro, ut collectanea nostra in lucem dētur: magno enim eorū deside-
 rio tangimur: quod ut quamprimū fieri possit, nō dubitamus. Red-
 do te quoque certiorē, me curasse, ut orationale tuum in Bohemicã
 linguã transferat: quod quū primū ad umbilicū ducetur, fortassis e-
 tiam prælo in gratiam populi Bohemicī tradetur, ut quodam tem-
 pore mentionem eius rei in tua arce fecimus. Bene uale, cui me totū
 dico, dedicoque. Data Buduicij, è parœcia nostra, calendis Augusti.
 Anno à nato Christo MDXLVIII.

IOANNES HASENBERGIUS, ETC. REVERENDISS. AT-
 que pientiss. Præfuli, D. Friderico Nauseæ, Episcopo Viennensi, &c.



Euerendissime, atque pientissime Præful, Domine mihi
 gratiose, & semper obseruandissime, &c. D. Kanus Ca-
 merarius inclyti Archiducis, Domini mei clemētissimī,
 &c. non cessat me interpellare, ut scribam tibi pro pre-
 cibus tuis, antiquis & nouis. Idcirco nomine ipsius ualde rogo,
 II 3 ut dige.

ut digneris illi, quod tuæ est pietatis, mittere tales preces. Est enim ut pijsimus & Catholicus, ita singularis observator tuus. Reliqua, quæ scribam non habeo, nisi quod Pickardi exacti sint, & exigantur, in singulos dies, è Bohemia. Si quæ sunt istic noua, cõmittas tuo Secretario, nobis omnib. perscribi; & nobis q̄ diutis. uiuas, & ualeas. Datę Pragg, citissimè, in ipso diui Laurētij die. Anno, &c. XLVIII.

VALENTINVS ET IOANNES ARCHIEPISCO-
PUS PRAGENSIS ADMINISTRATORES, REUERENDISS. IN CHRISTO PATRI ET PRIN-
CIPĪ, D. FRIDERICO EPISCOPO VIENNENSĪ, &c.



Salutem in D. Iesu sempiternā. Reuerendiss. in Christo pater, & Princeps, D. noster plurimū obseruande. Nolumus te latere, quandoquidem reuerēdus ac nobilis D. Venceslaus à Rhradeschin, magister hospitalis summi Premus fratrum ordinis D. Augustini, cruciferorū cum rubea stella, &c. duos adolescentes bonarum literarū, tum etiam morum, & uitæ integritatis studiosos, præsentiū ostensores, ad te transmittit, optans, summoperēq̄ efflagitans, eos sacris tum minoribus, tum etiam maioribus insigniri ordinibus. Noueris maximā sacerdotū unquam, nedum in suo ordine, uerum etiā per totam ferē diocēsin Pragensem, ex parte Cleri esse penuriā: ubi & cocnobia, & ecclesiæ parochiales animarum pastorib. planè carent & uacant. Ea propter supplicamus, petimusq̄ enixius, præmemoratos præsentiū ostensores gratiose suscipere digneris, & dictos ordines sacros ipsis impartiri: quod ut speramus, animo propenso facere dignaberis. Nos uicissim orationib. nostris, pro felici statu & regimine tuo sedulo Deū exoraturi sumus: & foeliciter ualere te cupimus. Ex arce Prag. in uigilia diui Barthol. An. à Christo incarnato, &c. XLVIII.

DOMINICVS BROCKENDORFFIUS, REUERENDISS. PRINCIPĪ & D. FRIDERICO EPISCOPO VIENNENSĪ, DIGNISS. &c.



Reuerendiss. in Christo Princeps & D. D. colendiss. Post salutem & omnē foelicitatem, tui cõmendationem, pronamq̄ obsequēdi uoluntatem. Literas tuas, quas uenerabilis et nobilis D. Ioachimus à Lidlau, Canonicus Glogouiensis, obtulit, summa animi consolatione accepi et legi: potissimū, cum per eadē tuū foelicem, post longā peregrinationem & absentiam, in Viennam reditum cognouissem. E diuerso non minus turbatus, quod te aduersa ualitudine laborasse, et adhuc laborare intellexissem. Quapropter Deū opt. max. meis preculis, licet indignis, orare nō desinā, quo suæ diuinæ Maiest. opitulamine, te pristina ualitudini pro ecclesiæ uniuersalis ornamento & restauratione, ad Nestoreos dignetur conseruare annos. Cæterum Reuerendissime Domine Præsul, rediens uenerabilis Dominus à Lidlau ex Viennā, longa narratione tuam fidem, & indefessam pro Ecclesia Glogouiensis sollicitudinem habitam, & propensam erga summā integritatis

tatis utrū D. Frānciscum à Loeben & me indignū, uolūtatem retulit. Quapropter tibi non quas debeo, sed quas possum, gratias ago, in perpetuumq̄ habiturus sum. D. Frānciscus à Loeben reuerēter te salutatur: nūcq̄ occupatis. in negotijs Capituli, tibi scribere nō potuit, sed unā mecum ardētissimè tuū ad nos aduentū præstolatur. Vinū autē, quod tu ex innata liberalitate iterū mittere proponis, non optauit: quia rarissimè per nos bibit. D. Cochlaus in negotio illo alitū modū cum Reuerendiss. D. Ypsalensis consilio inuenire uult. & speratur D. Cochlai aduentus breui. His Dominū Franciscum à Loeben, & me, unicè tibi commendo, teq̄ quā foelicissimè & diutissimè uiuere & ualere cupio. Ex Vratislavia, Dominica post festū diui Bartholomęi, Anno, &c. XLVIII.

SCRIPTA POSTVLATORIA CLERI ET PROVIN-
CIALIUM GLOGOUIENS. PRO FRIDERICO EPISCOPO VIENNENS. AD ALIQUAM PRÆ-
LATURAM IN SILEZIA, AD SERENISS. ROMANORUM, &c.
Regem Ferdinandum.



Illustissime, Potentissimeq̄ Rex, & D. D. clementiss. deuotiss. nostras preces ad Deū opt. max. pro V. R. M. foeliciss. imperio, & perpetua mētis corporisq̄ incolumitate, cum paratis. nostrorū seruitiorū promptitudine, R. V. M. offerimus. Potentissime Rex, R. V. M. nullo modo celare potuimus, quod inclytus Princeps, ac D. D. Ioachimus Dei gratia Monstherberg et Sylesiæ dux, &c. cū Episcopatū illū de Lebus ab Illustriss. principe ac D. D. Ioachimo, sacri Rom. Imperij Archicamerario, & Electore, Marchione Erandenburgenſi, &c. acciperet: tunc Præpositurā Glogouienſem, inter ceteras hic apud nos (ut uulgo appellamus) Prælaturas facile præcipuā, ad tempus aliquod ab eodem possessam atq̄ retētā, nō ita pridem cuidam nomine Kopperuolff, homini inueni, à literis alieno, magisq̄ politicis quā spiritualibus & ecclesiasticis negotijs nato, sub conditione certæ pensionis tradidit ac resignauit: quam quidem iam ad R. V. M. solam illo resignante, recidisse nouimus. Quamuis & antea quoq̄ alteri cui dam, filio scilicet Domini Scheuuitz, ciuis Vratislauenſis, illam ipsam Præpositurā, homini similiter adolescenti, et nostro quidē iudicio doctrina, atate, & conuersatione huic Prælaturæ illo prædicto Kopperuolff minus idoneo, à R. V. M. cõpromissam, & destinatā esse intelleximus: quæ equè indignū, atq̄ p̄nominatū Kopperuolff (quoniā morib. et uita, uterq̄ illorum non respondeat) tali ecclesiastica dignitati, seu officio esse cõsemus, nec aliquē horū eiusmodi beneficio præfici, aut ad eius possessionem admitti à V. R. M. q̄ officio siſsimè precamur. Quod autem hoc calamitoso seculo religionē nostram multis undiq̄ procellis iactatā, indies obsolescere, magis magisq̄ in contemptum abire uidemus: nullam aliam ob causam id accidere cõperimus, quā quod eiusmodi sacerdotia nō satis dignis, pijs, sacrarum que rerum experientia conspicuis uiris tradantur, atq̄

atq; cōmittant: uerū à pueris et ipsis spiritualis status religionisq; antiquæ contemptoribus, atq; oforib. possidentur. Quare nobiscū multū diuq; deliberantes, non minus necessariū, atq; utile esse puta uimus, si de tā pio, religiosoq; hoc negotio, V. R. M. accuratius scriberemus: quāuis illud ipsum iamdiu à V. R. M. tanq; à Christianiss. Rege, & antiquæ religionis summo tutore, deliberatū esse scimus. Attamen desiderantes salutem nostræ religionis, acquiescere nunquam possumus, nec debemus, donec ecclesia nostra pristinæ dignitati atq; concordie restitatur. Quod quidem haud futurum foret, si non R. V. M. pio benignissimoq; subsidio hanc nostram religionem iuuerit: & doctissimo alicui uiro, qui docendo & propagando Christi Euangelium Ecclesie præesse, ruinasq; ecclesiasticarum ceremoniarum restaurare possit, eiusmodi ecclesiastico beneficio prospexerit. Equidem cum in Christo Principem ac Dominum D. Fridericum Episcopum Viennē, summæ pietatis uirum, & religionis nostræ studiosissimum patronum, in ecclesiasticis que officijs administrandis eximiam dexteritatem multis in locis à clarissimis uiris prædicari audiremus, nobis haud uulgarem spem attulit. Igitur cum omnis res penes R. V. M. sita sit, & amplissimus Præsul Viennē, de R. V. M. totaq; nostra religione plurimū sit promeritus, uestram R. M. humillimè obsecramus, ut huic gloriosiss. diuini uerbi præconi, Præpositura illa Glogouien (etiam si Dominorum nobilium priuilegijs repugnet, sed ipsi nō nocendo, ac ne ultra hoc fiat) à V. R. M. decernatur, & præ ceteris omnib. eius Celsitudinilargiatur. Eisdem de equestriū ordine uiris, modò aliorū molestijs & ineptijs liberentur, nec in posterum grauiorib. sumptibus aggrauentur, non modò non displicere, sed multo magis illos gratulatos fore confidimus, quod talem uirum, qui huic Præposituræ sufficere, & abiectæ contemptæq; nostræ religioni lucem afferre queat acceperint. Quam quidem rem Deus opt. max. coæternis, celestibusq; premijs, V. R. M. eiusdemq; M. posteritati, inuictissime Rex recompensabit.

SVPPlicatio CLERIE ET PROVINCIALIUM GLOGOUIEN. pro Friderico Nausea, Episcopo Viennensi, ad Sereniss. Romanorum, etc. Regem Ferdinandum.



Illusterrime, Potentissimeq; Rex, Domine clementissime, deuotiss. preces nostras ad Deū op. max. pro V. R. M. foeliciss. imperio, & perpetua mētis corporisq; incolumitate, cum paratiss. seruitiorū nostrorū promptitudine, R. V. M. offerimus. Quamuis nobis dubiū nō sit, Rex inuictiss. V. R. M. opt. tenere memoria, ea quæ nō ita pridem ad V. R. M. de Præpositura (ut uocamus) Glogouien scripsimus: relatū nobis est tamen, quod D. Scheuuitz etiamnū cum alijs quibusdā iuuenibus, magis secularibus et iuuenilibus nugis quàm spiritualibus & Ecclesiasticis

fiasticis dignitatibus aptis, apud V. R. M. pro acquirenda eiusmodi præpositura laborent. Et quamuis nos credere aut opinari nō possimus, quod R. V. M. eiusmodi hominibus iuuenibus, eam Præposituram hoc tempore, quo doctissimis uiris, qui restaurare ruinas uestræ religionis possent, opus est, datura sit: uoluimus tamē V. R. M. hoc indicare, quod iuxta tenorem Priuilegiorū Minorū Nobilitū nemo nisi nati, & beneficiati Domini, uel Nobiles, talia, aut similia beneficia habere, aut possidere ualeāt. Cū etiā, ut palam uidemus, hanc solā ob causam, quod eiusmodi sacerdotia nō satis dignis, doctrina, ætate, & rerum experientia conspicuis uiris traduntur, imò à pueris possidentur, spiritualement statum, religionemq; nostram penitus in contemptum abire. Tum & hic apud nos habemus non paucos iuuenes, ex claris Nobilibus, et Dominis progenitos, qui nostro quidem iudicio nobis aptiores, doctiores, & religiosiores uidentur: Qui etiā ex parte per R. V. M. expectatiuis sunt prouisi. Non æquū censere potuimus, habita eiusmodi religionis nostræ ratione, quod eiusmodi præcipua beneficia, talibus adolescentibus, qui Ecclesiasticis officijs administrandis sufficere nequeant, nec sacris initiantur, cedere & dari debeant. Atque ita, ut quilibet uelimus, cum nostra antiqua religio apud multos ualeat, quod cū taliū fructu atq; cōmodo hæc res agatur. Habuimus ergo respectum erga satis dignam personā, atq; de V. R. M. totaq; nostra religione bene meritam. Attamen nunc temporis, & pro hoc casu nostris priuilegijs non nocendo, et ut hoc ultra nō fiat, Reuerendiss. nempe in Christo Principem & Dominū, D. Fridericū Episcopum Viennensem; utpote quem iudicauimus nō hoc tantū beneficio, sed multo maiore dignū; cuiq; V. R. M. ob sua diligentissima, uigilantissimaq; erga V. R. M. & Christi saluatoris nostri Ecclesiam benemerita, hoc ipsum denegare non poterit, nostroq; quidē iudicio tali honore uigilantiss. Præsul, præ ceteris omnib. affici debeat. Futurū enim esse speramus hoc, ad cōseruandā, propagandā, augmentandāq; nostram religionē summo opere necessariū. Et quamuis nobis R. V. M. ad eiusmodi nostra scripta supplicatoria, hæctenus nihil certi responderit, sed V. R. M. hac in re, quādo Pragam appulerit, V. R. M. se acturam fore, clementer recepit. Quamobrem pro prædicto hoc summæ eruditionis, optimæq; uitæ uiro (quoniam eius Præposituræ facultatū dignitas nō sit, quo uir ille egregius, & diuini uerbi præco, honorari, & suis in hanc Christi gloriam, quæ contulerit benefactis respondere satis nō possit) apud V. R. M. quo huic beneficio præficiatur, interpellare non desistimus. Siquidem omnes nos eius Reuerendiss. in summis istis Catholicis negotijs dexteritas, maximam in spem deduxerit, quod sua illa in restauranda religione integritate, sicut alijs in locis quamplurimis, ut cōperimus, pios cultus restaurauerit, ita et hic apud nos, nostræ quoq; Ecclesie atq; religioni profuturū, eumq; nō

minori curā facturum esse confidimus, cæremonijsq̄ nostris Ecclesiasticis, omni deniq̄ ordini Ecclesiastico eum magno emolumēto fore non dubitamus. Igitur nunc iterum V.R.M. scribere non intermisimus, humiliter supplicantes, ut V.R.M. hac de re benignissima mente deliberare velit, quod tandem hoc calamitoso tempore, eiusmodi dignitates dignis & probatæ religionis uiris, ac non his iuuenibus, qui Ecclesiæ & religioni nostræ plus noceant, quàm ut profint, conferantur. Quare Christianissime Rex, huic nostræ Præposituræ Glogouienſi Reuerendiſſ. in Christo Principem ac Dominum, D. Fridericum Episcopum Viennenſem. clarissimum uirū, per R. V.M. præfici, iugiter à R. V.M. tanquā à ueræ religionis amatore desideramus: hancq̄ nostrā petitionē V.R.M. nō oppugnaturā, sed precibus nostris locū daturā, eamq̄ V.R.M. nostræ religionis summū defensorē se exhibiturā, toto pectore confidimus. Quod equidē Deus opt. max. quoniā nos iam nullo modo V. R. M. pro tam egregijs in nos collatis beneficijs, pro animi uoluntate respondere possumus, æternis cœlestibusq̄ suis præmijs V.R.M. remunerabit.

GEORGIUS PICTORIUS, MEDICINÆ DOCTOR.
Reuerendiſſimo Principi ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennenſi, etc.

Bonam ualeitudinē cum corporis, tum animi, à Deo opt. max. tibi precor, Amplissime Princeps, ac Meccenas ter. maxime. Hinc quia ex te, qualem se habeat filius meus, ad te, et ad studia, sciscitari non decet (quum maiora tractanda habeas, Rege potissimū præſente) à Domino Stephano per literas singula percontabor. Et unicum hoc addam, ne tibi sim tædio. Is filius, si principem ac Dominū suum obsequens audit, ego pater gau. debo: si minus, uiricus tristabor. Est ætate feruens, tamen freno ducendus. Postremò quia nouarum rerū nihil certū apud nos, te nolo molestare mendacijs. Hoc tamen præterire nequeo, quū uerum esse sciam: Argentineses, ob Caroli nostri pijsimi Cæsaris præſentiā inter se bello intestino indies congregiuntur, quia maiores æquitati fauent, cui holitores & polentarij odio Vatiniano cōtrariantur. unde complures ciuitatem emigrant, maximè opulentiores. Diuus Carolus Pompilij circulum illis præscripsit, ut ad quintam Septembris Interim uel admittant, uel renuant. Optimè in Domino uale, Princeps ac Heros Amplissime: ac me, meumq̄ filium in tuam clientelā adscribere dignare. Enſhemij, quarta Septembris, Anno, &c. qua dragesimo octauo.

NICOLAUS LEDECENVS INDIGNVS MINI-
ſter uerbi diuini apud Metzericenses. Reuerendiſſ. in Christo patri ac
Domino, Domino Friderico Nauſæ & Blancicampiano,
Episcopo Viennenſi, etc.

Salutem.



Alutem per Iesum Christū, & hūc crucifixū, precat. Supputabat dies x vii Augusti, cum attuli tibi literas à magistro Gallo, Rectore scholæ diuini Heinrici nouæ ciuitatis Pragenſis: quas nō solum tu gratiose accepisti, sed etiā me nūquā antea uisum, humaniter tractasti: & quantū dabat oclj, & colloquio et mensa tūc apud S. Vitū, habens nō nihil à negotijs oclj, dignatus es. Videri possent hæc alijs uilia: at mihi, credas, sunt preciōsa. Ob quod etiā tu, ut testatū haberes, hanc diem, qua mihi cōtingit tecū notitiā cōtrahere, albo mihi notatā lapillo, & talem in me ostensam humanitatē, in scriniū cordis mei repositā, accipias uas ceruicis: & spectes magis animū mittentis, quàm hoc quicquid est muneris. Ut uerò cōmodè per hos qui didrachma exigūt, usq̄ domum tuam adueheretur, tu id uelis curare, & me indignū habeas tibi cōmendatū: & fratrem meū Marcū, qui nunc militat sub ferula M. Georgij Muleri. Desiderio teneor uidendi aliquid literarū, qualiter ualeas. Nisi me tam citò mea negotia auocassent è Vienna domū, haud dubiè audissem, uel ipsemet legissem articulos de religione, qualiter nunc cōuentum est Augustæ. Quod tunc ob parsimoniam temporis nō datur assequi, si nūc liceret per te, hoc esset, quo me gaudio afficeret. Postremò, si quid uelis rescribere M. Gallo, uicini nostri ad festū S. Veneslai proficiscenē uersus Pragā: per hos curarē deferri, quicquid esset literarū. Opto te in D. Iesū optimè cum tota domo ualere: tec̄p̄ seruet mihi Deus in Nestoreos annos incolumē. E' Misericordia Marchionatus Morauienſis, propius Brunā, vi Sep. Anno, etc. XLVIII. DOCTOR ALEXIUS CYNICVS, AMPLISS. AC REVERENDISS. in Christo patri, et Domino, D. Friderico, Episcopo Viennenſi, etc.



Alutē in Christo Deo æternā, candido imprecatur pectore. Quū nuper tu hinc discessum tuū parares, conueni te, obnixè efflagitans, quatenus uisceribus misericordiæ motus, pro his captiuis unicè intercederes apud sacrā Regiā Maiestati, pro liberatione eorū: siquidē respiscere uolunt, et erratorū suorū condignā cupiunt agere pœnitentiā. Imò et Deus ipse omnipotens pœnitentes peccatores recipit, pro quibus et natus et passus est. Est enim patiens, & multū misericors, et misericordia eius super omnia opera eius: quo fit, ut quærendæ, & nō perdendæ sint animæ, Christi roseo sanguine redemptæ. Imò quacuncq̄ hora peccator uero corde ingemuerit pro peccatis suis, in æternū nō reminiscetur illorū Deus. & ut ait Diuus Aurelius Augustinus, Domine satis est tibi reddere rationē pro misericordia, quàm pro iustitia: quan doquidē misericordiā docuisti, inquiens, Estote misericordes, sicut pater uester cœlestis misericors est. Et iterū: Ite et discite quid sit. Misericordiam uolo, et non sacrificium. & Diuus ille Gregorius ait: Cadit bos, cadit etiam asinus, & est qui releuat etiam sabatho: cadit anima, Christi sacro sanguine redempta, & nō est qui restauret lapsam.

KK 2 Nec est

Nec est quod hæsitent, quod sua sacra Maiestas Regia, ut pijsissimus pater, & misericordissimus Dominus, oculis misericordiæ suæ, humiles, & se ipsos iam iam cognoscentes intuebitur. Habet enim sua Maiestas sacratissima, iustitiæ suæ semper misericordiã comitem, & pietatem, præcipuè cum pœnitere cupiunt, ueniã & gratiam Regiã petentes. Quis enim est tam unquã integræ uitæ homo, quin aliquãdo ex his atrocissimis inimicis aliquem senserit, mundũ, carnem, aut diabolum: ubi cõtinua pugna, & rarissima uictoria. Erit itaq; Gratiõsissime pater simul atq; Reuerendissime Præsul, tui muneris (ceu Ecclesiastici Principis) pro miserimis illis uinctis intercedere, apud suam sacratissimam Maiestatem, quo sua Maiestas Regia sese in operibus misericordiæ exercere uelit. Ipsi enim condignã pœnitentiã agentes, Deum omnipotentem sedulo, pro suæ sacrae Maiestatis, ac Celsitudinis Regiæ salute sunt exoraturi indubiè. His me tibi unicè cõmendo; respõsumq; breuĩ a te efflagito, aut saltẽ literas Regias ad Reuerendissimum Episcopũ nostrum Olomucensem mitti precor. Datum concito calamo, Olomutiĩ, pridie feriarum Cosmi & Damiani. Anno, &c. quadragesimo octauo.

IOANNES COCHLÆVS REVERENDISS. IN CHRISTO patri, Præsulq; ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennensi, &c.



Alutem plurimã, & deuota obsequia mea. Non putauit tam rarum fore inter nos literarum commercium, nec tam difficile negotium, aut adeo graue onus, quod mea sponte subiui in operibus aliorum. Dereliquerunt me sub semel assumpto hoc onere, quos fideles adiutores aliquo subsidio futuros indubitatè sperabã: non animaduertens, nec respiciens ad illud Psalmistæ, Nolite cõfidere in Principibus, neq; in filiis hominũ. Deus tamen opt. max. sua omnipotenti prouidentia misericordissimè adiuuit, ut sub tanto & laborum & impensarum onere hæctenus non fuerim confusus. Quem & in reliquis, quæ adhuc supersunt, piè prouidurũ esse spero, ut cõpleri queant, antequã hinc discessero. Suscipias gratiose precor animo, munus chartaceũ, quod lator presentium, affinis mei Francisci typographi famulus, reuerẽter nomine meo offerre, et exhibere debet. De quo sanè auidè et ardentè, tuã expecto, petoq; censurã, & iudicium. Cæterum qua gratia populorũ Cæs. Maiestatis ordinatio, quæ Interim dicũ, in Austria recipiãt (obedientè, ut opto, & cũ debita reuerentia) libentissimè ex literis tuis uellem intelligere, si non tibi uisum fuerit molestum, aut indecorum rescribere. De Interim uarios audio esse clamores in Saxonia. Miserè conqueruntur ubiq; Episcopi atq; Prælati, super defectu & raritate idoneorum ad Ecclesiæ ministerium sacerdotum. Deus tamè bene uertat: ego nondum sperare possum, ueram uel pacem uel reformationem, dũ uideo talè adhuc esse statum rerũ. Die quinto Septemb. uersus Brabantiam descendit inuictissimus Imperator noster, habens in comitatu

comitatu suo captiuos duos Principes, & uinculis alligatos quoddã sectarum concionatores. Bene ualeas, & de prosperis rerũ successibus, quos sacratissimã Regiã Maiest. precor & opto, rescribere digneris. Bonæ enim fidei est presentium lator, Typographi famulus, quẽ in suis negotijs utiliter disponendis, tibi humiliter commendo. Ex Castello S. Victoris, ipsis Cal. Octobris. Anno, &c. XLVIII.

IOANNES DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA Episcopus Olomucensis, Reuerendiss. in Christo Patri & Domino, D. Friderico Episcopo Viennensi, digniss.



Reuerendissime Domine, D. Præsul digniss. idemq; amice & cõfrater colendissime: Non dubitamus, tibi ex relatione Canoniorũ Olomucensium optimè notũ esse, quomodo in iudicio proximè Olomucij celebrato, priuilegijs & libertatibus ecclesiæ nostræ Olom. præiudicatũ sit. Quæ quidẽ Priuilegia, cum antecessores nostri summis precibus, & laboribus, difficultateq; magna à Sacratiss. Imperatoribus, et Regibus Bohemiæ ac Marchionib. Morauia adepti sint, officij nostri esse censemus, summo studio adniti, quatenus eiusmodi priuilegia à maioribus nostris impetrata, et nobis quasi per manus tradita, quantum in uiribus nostris sitũ est, inuiolata tueamur. Huius itaq; gratia (quoniã aliud confugium post Deũ non habemus) uisum est nobis, & confratribus nostris Canonicis Olomucensibus, opere precium esse, ad S. Maiest. Regiã ex numero confratrum nostrorum Dominos Simonẽ Rosentrit, & Paulũ de Vuogstatt, capitulariter ablegare. Sed quoniam res ardua, & magnis quoq; opus habent patronis, dedimus præfatis Canonicis in mãdatis, quatenus super singulis articulis tecũ diligenter conferant, nomineq; nostri simul & Capituli Olomucensis implorent, quatenus nostrorum Priuilegiorũ patrociniũ in te suscipere dignareris. Tecũ & nos per presentes etiã atq; etiã rogamus, ne pigeat dictos confratres nostros benignè audire. Et ea quæ ratione Priuilegiorum Ecclesiæ nostræ ipsis referentibus intellexeris, corã S. Regiã Maiest. pro necessitate exponere: suamq; Maiest. Regiam instanter orare, ne patiat priuilegia, & libertates nostras ecclesiasticas, quæ iam undiq; infestatur, oppugnari & pessum ire: sed potius ex innata sua clementi pietate pristinae libertati assere, inq; ea manu tenere gratiose dignetur. Quod ipsam facturã speramus, si ipsa causam hanc inter me & Capitulum Olom. ac ordines patriæ audiendã & discutiendã in foelici M. suæ Regiæ ad hanc patriã aduẽtu suscipere dignabitur. Cæterum quæ præterea & impetranda erunt, ex præfatis confratribus nostris abundè percipies. Nolumus enim te alioqui plus satis occupatũ, longioribus literis onerare. Hæc tamè fiducialiter à te flagitamus, spe bona cõcepta, quod in hac periculosa nostra & Capituli necessitate, uotis nostris nõ grauatim sis subscripturus. Tecũ diu & foeliciter ualere desideramus. Datũ Cremsitij, x die mensis Octobris, Anno salutis humanæ MDXLVIII.

IOANNES OLAVS ARCHIEPISCOPVS YPSA-
lenfis, Reuerendiss. in Christo Patri & Domino, D. Friderico Episcopo
po Viennensi, Domino & amico charissimo.



Reuerendissime in Christo pater, & Domine amantissime: Salutem, & intimam sui commendationem. Transiens in medio Iulij procurator meus, D. Caspar Hanouius, homo Prutenus, Canonicus Vuaruuiensis, reliquit. Secretario tuo memoriale meum (uti ex Cracouia in Augusto scripsit mihi) ex quo uidere posses, in quibus debitis Reuerendus D. Paulus Oberstain remansit mihi obligatus, praesertim in chartis eius fidei commissis, ut saltem quae remanent, digneris ad meam requisitionem custodire. Quid autem factum sit postmodum, haud intellexi, nam nulla a te scripta post illud temporis accepi. Nunc autem aliud scribendum non occurrit, quam quod rumor apud nos inualuerat, & adhuc perseverat, quod summus Pontifex noster pro reformandis moribus Clerici, & hinc a Tridento conuocare deliberat omnes Episcopos, etiam in uicinis urbibus, Venetis, Paduae, aut Verong, pro solatijs, permanentes: quo casu & ego cogor in urbem de nouo proficisci, & si sic acciderit, conabor usque ad extremum posse laborare, pro honestissimo uoto, & sanctissimis meritis tuis. Ardeo enim in tota anima mea, & incessanter cogito, quomodo aliquando in hoc mundo possit tuae Christianis sollicitudini, pro uera religione suscepra, fieri satis: dum nunquam dubite speciale tibi parari benedictionem, pro tantis meritis in secula sempiterna. Caeterum de commissione & potestate Legatorum per ciuitatem tuam traeseuntium ad Germanos, non haereo quin didiceris ad quantum se, & in quibus extenduntur eorum facultates: contra quas si suo more Lutherani scripserint, uti iam factum esse per quosdam contra ordinationem Caesaris (quam Interim uocant) deprehendo, tunc eximia fides et uirtus tua statim opponat se contra irrisores illos. Plerique enim eorum simulat ficta humilitate respicientiam, in uoce scilicet, pertinacia uero sordescunt, in stupida actione Arrianam uersutiam imitantes, qui nouem uel decem generalia concilia fieri procurauit, et ad nullum accedere disposuit, corrigendus, donec talem exitum illusionis suae inueniret, qualem docebat ore poluito, ueritati resistente. De Caesarea M. nouum hic habemus, quod in septembri Ulmae constituta, quinque pertinacis praedicatorum per examen iustitiae comburi iussit. nunc autem in Flandria manens, idem officium pro fidei obsequio quatenus opus est, cum omni rigore obseruat. Fertur, quod primogenitam Reginam Angliae toties a patre uexatam (uirginem ualde uirtuosam) sibi associare uelit in consortem, atque cum ea regnum adipisci in hereditatem. Si sic acciderit, tremor & terror erit in Gallia, ob uetus debitum, in multis florentium millionibus regno Angliae persoluendum. Immo Aquilonum Regnorum tyrannis frenum et chamum ex ea regione facillime imponet, et mercedem

narijs quarumcunque regionum & urbium, ut redeant ad ueram Catholicam Ecclesiam unitatem. omnium enim negotiatorum centrum est in illa opulentissima regione. In cuius regia urbe Lundensi infinitus thesaurus clauditur, auri purissimi, in turri quam uocant Sanctae Catharinae: & is (pace prius inter Christianos constituta) sufficit ad eiciendum Turcam de totis ipsius dominijs. Caetera huius rei comoda relinquo, quia nota, et te excelsio Deo sine intermissione commendo. Ex Bononia, die XV Octobris, Anno, &c. XLVIII.

NICOLAUS LECEDENVS, ETC. REUERENDISS.
in Christo Patri ac Domino, D. Friderico Nauseae, Episcopo
Viennensi, &c.



Ratiam & pacem per Iesum Christum, & hunc crucifixum, precatur. Significatum est mihi, quod aliquid literarum ad me dedisses: quibus inclusae fuerunt reliquae literae, ad porrigendum per me Pragam uersus. Scias nihil ad me quicquid tandem id erat literarum, delatum esse. Quod si quid esset, non omitterem, quin & scriptis meis, & gratiarum actione declararem, quam mihi fuissent gratissimae. Quisquis uero is sit, cuius creditae fuerant literae tuae, aut solus per se curabit deferendas, aut breui illas mihi dabit. Ceruisia si ad sanitatem conducebat tuo corpusculo, hoc est quod ego optarem: si adhuc amplius cupis, quam primum se mihi offeret uector, curarem aduehendam. Praecipias, habebis me obedientem. Vale, in Domino Iesu, cum tota familia, & me commendatum tibi, & fratrem meum Marcum, habeas. E. Mercuria, propius Brunam Marchionatus Morauiensis, XXVI Octobris, Anno, &c. XLVIII.

FRATER MICHAEL HILDEBRANDVS ORDINIS
Minorum, &c. concionator Ecclesiae Parochialis in maiori Glo-
gonia, Reuerendiss. in Christo Patri ac Domino, D.
Friderico Ecclesiae Viennensis Episcopo
quam digniss. &c.



IN Domino S. reuerentia condigna sese commendat. Mallem profecto ea, quae modo ad scribendum prouocant, Reuerendissime in Christo Praesul, gratiose Domine, uia uoce coram ad nutum exponere, quam mortuis (ut ita dicam) literis absens narrare, temporis id potissimum iniuria ex gente. Fretus itaque tua beneuolentia, quam semper expertus sum, uel paucis significandum constitui, a reditu in Cracouia, propter pleniorum intellectum eorundem, breuiter auspicaturus. Reuersus igitur in Cracouia, quam inuitis etiam omnibus ibidem reliquerim plurima & uaria tum religiosorum, tum secularium, errabundus per integrum ferè sexennium, perlustravi loca, &c. animi quietem & religionis fructum quaerens. Quam dum minime inuenire, crebra mortaliu, praesertim Praesidum peruersitate, ne dicam impietate, solum uertere compulsum sum, in grauem mei ipsius ignominiam. Multi etenim non pie-

non pietati, sed leuitati designarunt. Verum si eiusmodi frequentis emigrationis rationē reddere cogerer, fortassis ueritatis ratio cūctis palam fieret: ad cuius autē gloriā, nescio. In quo memorato temporis spacio plurimis & admonitionibus, & ardentissimis precibus pulsatus sum: ad hęc S. Pont. diplomate fatis austero grauatus. Nouissimē quidā ē magistratu in Henrichouio, me personaliter conuenientes, eadē repetere non dedignati sunt: absentem postea iterum querentes, ut Cracouiā ad prædicandum Dei uerbū redirem. Mouet me (ut uerum fatear) non nihil, eorū piū ac constans propositum, omniumq; ibidem Germanorum deuotio, qui me certē (ut cum Apostolo dicam) ut angelum Dei exceperunt, & si fieri potuisset, oculos suos erutos mihi dedissent, quod et opere declararunt. Tria autem sunt quæ me retrahunt, uotisq; respondere detrectant. Primū est, summa concionatorū penuria, messis enim multa, operarij uerō fideles pauci in hac prouincia: plures in me oculos defixos tenent, quos deserere graue uidetur. Alterū, conuentus est Schuuidnicē, ordinis nostri. Siquid ē is per fratres nostros, pro maiori parte a fundamentis gloriose ædificatus est magno sudore, ad cuius subsidium ego ipse bonam hæreditatis partem contuli, qui aliquando etiam sub iugo meo supra quinquaginta fratres in omni regulari disciplina fouit ac nutriuit: et nūc in tam angustum redactus, ut uix tres, qua obseruatione autem, taceo, alat. Vnde quibusdam haud incommodū uidetur, ut hoc ipsum Sereniss. Regiæ Maiest. suggererē, & acceptis tum cura tum potestate, eūdem rursus pristinae obseruationi restituerem, quod eo libentius facerem, quo patriæ firmitus obstringor. Sed illius dicti memor, Prophetam non nisi in patria sua absque honore esse, reuocor: uti per sex ferē annos ibidem prædicans expertus sum. Multi nihilo fecius peculiari me prosequerentur amore. Postremò nec honestū religiosum uel iudico, ut quasi clanculum a clementiss. Regis fauore & gratia, quibus hactenus delegatū egimus, me subducam. His adijciendum putauī, quod Canonici Vratislauerienses, maximē sanioris partis, adhuc hodie reditum meum desiderant: quia Ecclesia eorum penē tota uacua redditur, sed luxus, libido & auaricia, quæ omnium penē occupant animos, abhorrere faciunt. Nam si uel acu tangunt, periculū præforibus est, &c. Quod etiam ad diploma Pontificis spectat, nunquā de pacto faciēdo somniaui, minus feci: hinc æstimo iuris ordinem non executum, alioquin me purgasset: sed timeo quod uix quiescent, &c. Sunt & aliæ literæ in eandem sententiā ad me perscriptæ, quas ne molestiæ forent, mecum retineo, &c. Hæc sunt ornatiss. Præsul, quæ tumultuariē exarata, tibi pio animo significanda duxi: cætera, intra mentis arcanum tempore opportuniore referuans. Quare te quā enixissimē oratum uolo, ne graueris fluctuanti consilij tui remigium porrigere, quo salubriori portui applicare liceat. Nullus enim hac in parte

parte affectus, Dei auxilio, uincere debet. Hisce paucis opto te diu ualere, ac me (uti facis) diligere. Ex maiori Glogouia, à die uigesimo nono Octobris. Anno, &c. quadragesimo octauo.

IOANNES OLAVS ARCHIEPISCOPVS YPSALENSIS, Reuerendiss. in Christo patri & Domino, D. Friderico Nauſæ, Episc. Viennen. amico & Domino charissimo, S. D.

Reuerendissime in Christo pater, et Domine, amice charissime: Salutem, & sui intimam cōmendationem. Æstimo ad manus tuas aliās mea scripta bis hinc emissa fideliter peruenisse, ex quibus cognoscere licuit, in quibus punctis uersabatur series Concilij nostri. Nunc autē aliud referre non habeo, quā quod sub eadem perplexitate ingemiscimus, de longiore coactu nostro (qui ingens & uehemens est) ita ut æuo nostro memorabilis esse uideatur. Dum nos cunctamur, consultamus, et alius ad aliū (ut uerbis Diui Basilij in quinta Epistola utar) respicimus: de uocatione Pontificum ab hac ciuitate in urbem Romanam nihil penitus, quid fieri poterit, experimur. Legati Apostolici Moguntia stationem ex decreto Imperatoriae Maiestatis tenentes, nihil, uel parum huc scribunt, donec à sua Maiest. quid fieri uelit, circa dispensationem, resipiscientium hæreticorū fuerint informati. Episcopi tamen Hispaniarū, Tridentinas rupes inhabitantes, & frigora patientes, fortiter ibidem, donec ab eadem Cæsarea Maiestate resoluti fuerint, persistent. Videtur uero simile, eos præstolari reductiorum Concilij in eundem locū, ut ibi gloriosum finem fortiat, ubi initium satis laudabile est adeptum. Sed hæc sunt abscondita ab oculis nostris, donec quid diuine ordinationi placeat, aperiatur. Literas præsentibus annexas, iuxta earum superscriptionem, digneris disponere ad manus et loca destinata: & felicissimè ualeas, meumq; chartarum numerum, prout aliās petui, in tuam custodiam suscipere digneris: & aliquid respondere ad literas, in principio Iulij ex Venetijs cum procuratore meo emissas. Ego uice uersa semper sollicitus ero, ut in omnibus bonis affectibus tibi complacere ualeam. Tu iterū atq; iterum ualeas longissimo æuo & sanitate. Ex Bononia, die xxv Nouemb. Anno, &c. XLVIII.

ADMINISTRATOR, MAGISTRI ET PRESBYTERI CONSISTORij Archiepiscopatus Pragensis, sub utraq; specie cōmunicantiū, Reuerendiss. atq; digniss. in Christo patri ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. per Christum dilectissimo, &c.

Gratiam & pacem per Iesum Christū, Dominum & seruatorem nostrum, à Deo patre precantur. Frequenter nobis atq; alijs fratribus nostris, Amplissime Præsul, uenit in mentem recordatio, tuæ ad eodē propensæ erga nos charitatis, & uoluntatis, quā antea actis temporibus, in nos ita familiariter ac liberaliter declarasti, ut quæuis amica officia nobis

LL offerre,

offerre, atq; promittere ueritus non sis. Quæ quidem promissa officia à te, & nobis oblata, nos ceu sacerdotes & ministri Christiani populi, adeo grato animo suscepimus, quòd ea pluris quàm splendidissima quæuis dona aurea uel argentea æstimamus, & hæctenus uice preciosissimi atq; maximi thesauri, recondita feruamus, ut in summa necessitate nostra ad te fiducialiter confugere, & tantam amicitiam expetere nõ metuamus, ac impetrare possimus. Porro cum hoc tempore S. R. M. (impulsa ad id proculdubio diuina gratia) omnes synagogas hæreticorũ, ac Pickardorũ, per omnes prouincias regni Bohemiæ, tanquam potens Dominus claudi & obserari mandaret, nec non pleraq; bona quorundam in S. R. M. de uoluta sint, ex quibus superioribus annis legitimi sacerdotes tam sub una, quàm sub utraq; specie communicantes extrusi sunt: ubi tum S. R. M. mandat, tum ipsa necessitas postulat, ut sacerdotes legitime uocati ac ornati substituuntur, qui sincerè ac fideliter populo Dei sacrosancto uerbo ipsius & uenerabilibus sacramentis ministrent. Taliũ autem in nostra religione maxima penuria laboramus, cum propter uarias causas, tũ propter hanc certè haud postremam, quod pleriq; docti ac boni uiri Italiam pro adipiscendo sacerdotio, absterriti partim longinquitate itineris, partim periculis in eo cõtingentibus, quibus uitam suam exponere timent, petere non audent. Proinde nunc durissimo telo, hoc est, ipsa summa necessitate, non tam nostra ipsorum, quàm Ecclesiæ Dei atq; Christi, nec non etiam partis nostræ coacti, atq; tua paterna charitate, amicitiaq; freti, ad te confugimus, ac summopere petimus, ut pro paterna tua pietate, nos atq; totam partem nostram sub utraq; specie communicantium, hoc beneficio afficere uelis: uidelicet quando aliquos adolescentes sacerdotium ipsum opus bonum petere, & eos cum literis nostri officij ad te ablegari contigerit, ut ipsos ad sacros Presbyteratus ordines, cum primis propter copiosam remunerationẽ omnipotentis Dei, deinde ad maius augmentum, & incrementum sanctæ matris Ecclesiæ Catholicæ, promouere, & in eos misericordiam exercere digneris. Hoc si tu ex amore isto, & animo pio ac sincero, quo erga nos affectus es (uti sanè de te nihil dubitamus) nobis promiseris, & post factò atq; re comprobaueris, scias te toti parti nostræ uehementer gratificaturum, & longè maiorem gratiam, quàm unquam antehac apud eã habiturum, illud tamen unice à te & nihil diffidentes flagitamus, ne adolescentes, qui aliquando à nobis istuc mitterent, ad communionem unius speciei teneantur, aut obligentur. Siquidem Italiæ D. D. Episcopi, dum aliquos nostræ partis ad sacerdotalẽ dignitatem euehant, tales eorum more ac ritu religionis, cõmunicare domi suæ sinunt, & ad unius speciei communionem non urgent, donec de hac re à tota Ecclesiã certo aliquid conclusum ac consensum fuerit. Non dubitamus

dubitamus autem de tua paterna pietate & charitate, quin nostris hisce precibus benignè, amanter, atq; amice sis responsurus. Nos in posterum tibi uicissim omnia nostra officia, prompta ac parata deferimus atq; promittimus. Tuq; quàm rectissimè ualeas, Dacæ Pragæ, è collegio Inuictissimi Imperatoris Caroli Quarti, patris patriæ, aliter Magni, sexto Kalendas Decemb. Anno salutis humanæ M. D. XLVIII.

THOMAS BABELIUS PAROCHVS BVDVICENSIS,
Reuerendissimo in Christo patri ac Domino, D. Friderico Episcopo
Viennensi, Domino suo clementissimo. S. D.



Alutem, & omne bonum in Christo Domino nostro precatur. Non audeo profecto toties meis ineptis & inconditis literis, Reuerendissime Domine Præsul, tibi obstrepere, nisi omnino mihi persuaderem, te boni æquiq; consulere scripta, quæ amicitie & gratitudinis alicuius significationem habent. Ea ratione quoq; adductus, has ad te literas mitto, quem mihi uel propter communem patriam promptissimum sentio, & ad quem ceu ad sacrum asylum confugere constitui. Munusculũ, quod superioribus literis promisi, nunc fortassis serius exhibeo, siquidem multis causis impediens protractum est. Mitto uerò trutas aliquot infumatas, obnixè orans, ut eas beneuolè accipias. neque enim hoc tempore numerũ augere potui, licet omnem lapidem mouerim. Si tamen successu temporis aliud quoddam munusculum curare potero, dabo operam, ut gratum me præstem. Libellus Euangelicarum precum quem composuisti iam meo suasu in tuum honorem, & Christianæ plebis utilitatem, in Bohemicam linguam est translatus ab erudito ac pio sacerdote: quem si placeret tibi, quamprimum prelo traderemus, pulcherrimis ornatum figuris, ut se Baronibus, & Principi FERDINANDO plurimum esset commendaturus. Quid hac de re statuas, suppliciter petimus certiores fieri. Porro edendarũ lucubrationum nostrarum, tibi totum negotium committimus, ut tandem quod coeptum est, propter sparsum rumorem, ad colophonem deducatur: quod ut possis scio, & uelis non dubito. Melchiorem Reihenaue- rum, præsentium latorem literarum, senatorem Buduicensem, tibi ita commendo, ut si fieri possit, ei bonum uinum uẽdere digneris. nam ea gratia Viennam se contulit, ut optimum falernum istic emptum, huc adueheret. Quare peto, si huic commodo esse poteris, mea causa facies: nam utor eo ualde familiariter. Valeas feliciter, tibiq; me clientem indignum committo. Data Buduicij, secundo decembris. Anno à salutis nostro exordio, &c. XLVIII.

IOANNES CRONVS IUNIOR, AVGVSTANVS, REVE
rendiss. Principi ac Domino, D. Friderico Nauisæ Episc. Viennen. &c.
Domino suo clementissi. S. D.

LL 2 Postquam



ostquam me, Reuerendiss. Princeps ac Viennæ Antistes dignissime, Cæsareæ Regiæq; M. serenissime consiliarie præstantissime, finita Vuormaciensi disputatione, siue Diæta, anno XL habita, in patriam, alioue, quo animū intenderem eundi, Reuerendiss. piæ memoriæ Princeps ac Dñs, D. Georgius Episc. Secouien. cui (ut nouisti) per annos aliquot à secretis fui, benignè ac uoluntariè, tenore Reuerendiss. sue D. literarū (uel ut uocāt, Saluaguardiæ) uigesimo nono die Martij Ratisbonæ scriptarū dimisit, Pictauiū, florens & frequens apud Gallos (quibus sua lingua Poyctiers dicitur) legum Gymnasiū petij. ibi duob. annis sacre Iurisprudentiæ, Gallicæq; linguæ simul addiscendæ operā dedi. Illinc Byturiges Galliarū profectus sum, atq; ibi etiā per spacium quatuor annorū cum dimidio legū interpretationem audiui. Nunc uerò, Reuerendissime Princeps, cū nuper è Gallia in patriā (Deo duce) bonis auib; redierim, sæpe mihi cogitanti, in quem nam usum diuturna mea studia ad innumerā in Academijs pecuniā expositam recuperandā, uictū & amictū posthac acquirendū, dirigere debeā; confestim scrupulus quidā sese offert, utrum Augustanæ paternæ nostræ reipub. an uerò extraneocuidam Principi, uel magistratui, labor & operæ meæ sint locandæ. Si patriæ amorem & reuerentiā perpendo, statim eloquentiæ fons Cicero in libro Officiorū, me cōuincit, attestans, pro patria, eiusq; libertate reuēda, etiā moriendū esse. E diuerso, quoties illud Christi saluatoris nostri dictū, animo circumuoluo, in quo habet, Nul- lum prophetā in patria sua esse acceptū: non iniustū, imò æquum & bonum esse existimo, industriā & operas extraneis locare. nam hinc fit, quod inter utramq; tam patriā, q̄ exteram, reipub. amicitia contrahit, & utriusq; status atq; conditio tali modo melior & magis quieta indies redditur, atq; cōsistit. Quamobrem Reuerendissime Princeps, ac Episcopo meritissime, dum gressus meos in dilecti patris mei Ioannis Croni piæ memoriæ (qui tēpore uitæ sue utriusq; tam Cæsareæ quàm Regiæ Maiestatis aulam, omni honorifici genere secutus est, ubi omnibus tam à Cæsarea, quàm Regia. M. tum alijs satrapis, cæterisq; aulicis acceptus gratusq; fuit: tandem in comitijs Ratisbonæ, Anno salutis nostræ XXXII habitis, uitā feliciter transegit) semitas dirigere cupio: neminem inuenio, in quem prædicta studia, operasq; meas conferre operæ precium esset. tandem diu multumq; mihi dubitanti, sese obtulit antiqua & stabilis inter utrūq; uestrū amicitia, nec nō singularis ille amor, quo Reuerendiss. Princeps ac Dñs meus, piæ memoriæ, colendiss. Dñs Secouien. in uita te prosequēbat. Demū etiam subuenit familiaris inter te & me indignum famulū tuū, aliquando Viennæ & Vormaciæ habita colloctio. Atq; hæc omnia me dubitantē atq; desertum, adeo ut quod caput inclinem uix scilicet cōsolantur, liberamq; omne

omne honestum, licitū, ac possibile petendi à te ansam præbent: ea spe ducto, hæc meas nō agrè laturū, imò bono animo suscepturum. Quapropter Princeps Reuerendissime, cū res meæ, Diuino aspirante auxilio, eò deductæ sint, ut mihi iam Dñs aut Patronus aliquis, apud quem honestam conditionem, uictū & amictum (de salario in principio nō curo) cōsequi possim, quærendus sit: nullū reperio, cui libentius laborē, operasq; meas, omni diligentia adhibita, exhibere, addicere, & locare, si supernè cōtingeret, q̄ tibi exoptarem. Quamobrem Reuerendiss. Princeps, me totū, quantus, qualisq; sum, simulac omnem laborē, omnē diligentia, oēs deniq; operas meas tibi soli dedico, atq; adscribo: rogans ac obsecrās, ut si aliquis locus, aliquæ uel honesta cōditio in curia tua, cuius uices gerere dignus æstimarer, uacaret, mihi ex gratia tua cedat. Promitto atq; polliceor me exactissimā diligentia in omnib; rebus honestis ac licitis exequendis, alijsq; negocijs hinc inde perficiendis, prestiturū. Si uerò nulla conditio, nullus ue status in aula tua uacuus extaret: rursus te imploro, & obsecro, ut me indignū apud Serenissimæ Regiæ Maiest. filios, Principes Illustrissimos, uel apud alios Regiæ Maiest. Procures atq; cōsiliarios, siue apud eiusdem Regiæ Maiest. per Galliam Italiam ue oratorem, siue secretariū, promouere nō dedigneris. Ex quo me in omnib; deuinctū ac paratissimū diu noctuq; tibi cōparabis. Sperans, me Deo opt. max. adiuuante, clementem, gratamq; responsionem per cognatū meum Ioannem Maysteter, ciuem Viennē, præsentū latorem, breui recepturū. Interea coelestis & omnipotēs Deus, per intercessionem Dñi Iesu Christi filij sui dilecti, te nobis in Nestorēds annos, ad suā diuinam gloriā & laudem, nostrarumq; omnium animarū salutem æternā, incolumem conseruet. Iterum atq; iterū me, meosq; tibi cōmendō. Datæ Augustæ, IIII Idus Decemb. Anno M. D. XLVIII.

C. VR. IOANNI COCHLABO DOCTORI THEOL. S. D.



Reuerendiss. clariss. D. Doctor, patrone omnium nostrū colendissime: post salutem & felicitatem in Christo, obsequia indefessa. Te non latere arbitramur, infectionem miserimi populi Silesiani, qui & uidiisti, audi- uistiq; cum nobiscū ageres, quomodo per totam dioccesim Vra- tislauianā oppidatim hæretici, etiā inter se dissidentes, miserimū populū, uarios in errores, periculosasq; hereses nemine prohiben- te induxerūt: in absentia aut tua, malū istud quotidie inualescit, & sermo eorū sicut cancer serpit, de quo morbo sic Poeta iussit:

Vtq; malum latè solet immedicabile cancer

Serpere, & illasas uiciatis addere partes.

Sic etiā doctrina hæreticorū inficiēdo fidelium corda, necdū cor- rupta, corrumpit, & uires acquirit eundo, ut ferorū flamina uen- tis agitata, sic omnigenæ hæreses totam Silesiam occupant, ut nihil supra pro ut tu hic expertus uidiisti: & audiuisti clarius quàm scri-

bere decet. Vnde fit, ut numerus presbyterorum, maximè catholico-
 corū, planè decreseat, ut diocesis Vratislaviens. eorundè penuria
 passim sic laboret, ut quingèsima quæq; ecclesia uix habeat Catholi-
 cum parochū. Verendū propterea, ne paganismus propediem in
 uniuersam Silesiā rediturus sit, quū modò paulatim incipiat (præ-
 dolor) Morbo uerò huic pessimo nō aliud remediū, nostro iudici-
 o, inueniri posset, quā si Reuerendiss. Domino Episcopo Vi-
 ennensi, in Ecclesia nostra Vratisla. honestè prouideret per Ponti-
 ficem Maximū. Id quod hoc tēpore fieri posset quā commodis-
 simè, quū Gabriel Xantus Præpositurā habeat in Ecclesia Vratisl.
 quæ per ipsius absentiam, tam in redditibus, q̄ in ædificijs eidem
 Præposituræ annexis, adeoq; in ipsa functione officij sacerdotalis
 planè corrui, quū breui tempore dictus Reuerendiss. posset refar-
 cire, restaurareq; exemplo bonæ uitæ, excellentia doctrinæ sanæ,
 industria ingenij, prudentia experiētiaq; rerū, & id genus alijs do-
 nis, suæ Reuerendiss. P. à Deo opt. max. collatis, qui toti diocesi
 Vratisl. multis deinde modis, sine dispendio Ecclesiæ suæ Viennens.
 tam apud Pontificem max. q̄ apud Imp. & Regē posset non parū
 prodesse: quippe qui modò Viennæ, modò Vratisl. cum utriusq;
 ecclesiæ magno cōmodo posset adesse, ut specimen quoddā totius
 cleri & gemma sacerdotū. Cuius Reuerendiss. D. Episcopi, si sin-
 gulas dotes, uigilantissimā circa grēgē Dominicū diligentia, quō
 Reuerendiss. sua paternitas cōsulendo, scribendo, dictando, hone-
 stissimè uiuendo, prædicando, docendo, & id genus modis alijs in
 Ecclesia Catholica profecerit, ad te scribere conaremur, & dies de-
 ficeret, & sus Mineruā doceret. Quocirca excellentiss. & egregie
 Dñe doctor, partiū tuarū esse arbitror, & ut facias, te hortamur &
 petimus, nempe quò summo studio promouere & cōmendare nō
 graueris eundem Reuerendiss. Dñm Episc. (qui alioqui nō habet
 aliud, q̄ Episcopatū Viennens. multo ære alieno grauatū, & ob si-
 nitimū Turcā in summo rerū omnīū discrimine positū apud eos,
 quorū interest, quo eiusmodi Prælatura dictus Reuerendiss. poti-
 ri posset. Optimā siquidem spem de eius paternitate Reuerendissi-
 ma concepimus, cum hic Vratislaviæ ter ad populū declamauerit,
 nec non Glogouia semel atq; iterū uerbum disseminauerit, aliaq;
 Episcopalia munera exercuerit: tantus fuit populū cōcursus, ut uer-
 bis consequi minimè possimus. ut interim taceam, q̄ turmatim ir-
 ruerint ad Reuerendiss. ipsius paternitatē, qui cōfirmationis sacra-
 mentū à sua paternitate suscipere desiderabāt: quos omnes uerbo
 diuino instructos, ac ritè super confirmationis sacramento prius à
 sese edoctos in fide Catholica cōfirmavit, etiā quadragenarios &
 quinquagenarios quosq; unde satis quilibet colligere potest, quā-
 tum Ecclesiæ Vratislaviianæ hic Præful dignissimus, ac undequaq;
 doctissimus doctrina sua, adeoq; uitæ probatissimè exēplo cōmo-
 dare

darè posset, etiam si Reuerendiss. ipsius paternitas huiusmodi præla-
 turæ sacerdotiū non ambiat, neq; aliud pingue beneficiū Ecclesia-
 sticum: tamen credimus, si ultrò suæ Celsitudini offerretur, Reue-
 rendissimam eius paternitatem non recusaturam. Si itaq; Ecclesiæ
 nostræ Vratislaviianæ, adeoq; nobis cōsultum uolueris, hoc nego-
 tium, primo quoq; tempore promouere nō graueris, Erimus rur-
 sus ad quæuis uota tibi exequenda paratissimī. His nos tibi com-
 mendamus, & te quā felicissimè & diutissimè ualere cupimus.

M. GEORGIVS NVGELIVS, &c. REVEREND.
 in Christo patri ac Domino, D. Friderico Episcopo Viennens.
 dignissimo, &c. S. P. D.



Emo ignorat, Præful digniss. te scholastico cœtui uel
 ex quauis occasione gratificari. Cuius quidem rei satis,
 ut dixi, manifestè, superuacaneum planè esset testimo-
 nia exhibere. Quam ob rem, Reuerendissime Præful,
 te oratū habeo, ut & mihi iliaca passione laboranti, uasculum uini
 ueteris, uix xv aut xvi mensuras continens, dari, tuo cellæ uina-
 riæ præfecto mandes. Idq; ubi conualuero, iusto precio exoluam.
 Misissimè ad ciues allatum tale uinum, sed præscribunt alius auste-
 rum, alius pendulum, quorum utroque morbus ingrauesceret:
 Id quod mihi superioribus diebus quoq; accidit. Nam postquam
 dolor dictæ passionis grauis. recesserat, malum ac acerbū uinum,
 quod bibi, grauiorem peperit. Idcirco, omnium studiosorum Me-
 cœnas probatissimè, me uoti compotem facias, etiam atq; etiam
 oro. Hisce me tibi quā officiosissimè commendo, Ex Collegio
 Archiducali, Viennæ. xxiiii Martij, Anno, &c. XLIX.

NICOLAUS TRIBICHERVS SOLBERGEN. RE-
 uerendiss. amplissimèq; D. Friderico Episcopo Viennens. &c. Domino
 & patrono suo incomparabili. S. D.



Tū minus hæcenus ad te literas dederim, quemadmo-
 dum iusseras, & ego me facturū promiseram, amplissi-
 me Præful: ne tamen esse me existimes, aut futurum un-
 quam immemorem munusculi & benignitatis tuæ, qua
 ne nihil promeritū in Spitz commorantem, quā benignissimè
 prosequutus es: quod donec uiuero, uel prædicare, uel meminisse
 non desinā: fuit quidem semper ardentissima scribendi uoluntas,
 sed pudor ingenij q̄ mei inopia obstiterūt. Nam quid ego homun-
 do, & nullius ferè eruditionis arte præditus, te uirū non modò di-
 ertissimū, uerum etiā eloquentiss. & grauissimis semper occupa-
 tum negotijs, inani mearū literarū strepitu insuper interpellarem?
 Anticyras equidem ipse me his literis nauigare arbitrarer, ni men-
 dacij semina, & ueritatis offensionē deuitare studerē. Si aut nō tan-
 tillū omnino grauitatis, aut te dignū scripserim, ignoscas obsecro:
 quando quidem nō quæ uolui, sed quæ possum, præsto. Hoc itaq;
 literarū quicquid est, te hilari fronte accepisse si sciuerō, animū mihi
 proca-

proacissimum studendi scribendiq; calcar non mediocre excitabit. Non lineam profecto diu (quod aiunt) duxi, nec unquam quisquam eruditissimorum hominum fuit, qui me uel literula ad Musarum palæstram prouocasset. Tandem penitus ruditate ne perirem, mihi te uirum doctiss. huius militiæ exercitusq; ducem esse Deus ipse uoluit. Nonne donum summū bonitatemq; dei q̄ benignissimi, hic mihi largitam, cui non solū eruditissimus, sed & ueræ religionis obseruantiss. contigerit fautor? etiam nostræ, quæ iam magis ac magis indies puerorum multitudine augetur, ornaturq; honestissimis literis iuxta & pijsissimis, Deo opt. max. iuuante, nec non & Musica, quoad tempus patit, solummodo Bassum, qui caneret ad festum diui Georgij (ut uereor) deficiet, scholæ semper qui bene cupit? Etenim multos doctrina & pietate præcellis Episcopos, dignosq; uel primo loco optimorum Antistitum, clarissime Præsul, qui ex omni prorsus parte, omnium quæ S. Paulus in Episcopo desiderat, nō tantū nomine, uerū Episcopali quadam uirtute præpolles. Te columnā Ecclesiæ, Euangelij tubam, & doctrinæ Christianæ promptuariū esse, nemo dubitat. At assentationē magis q̄ laudē adferre ne uidear, doctissimis uiris, Lydijū qui tenet lapidem (ut fertur) & apud quos nomen celeberrimū tuū durare non desinet, propagandam relinquam. Tantam enim laudis tuæ, qua dignus, materiam sufferre nequeo. Cæterum concionem funebre, Domino Sebastiano Millauero, prædicatori nostro, dono quā dederas, de obitu serenissimæ Regine & Dnæ Annæ, sapius legi: qua breuiter, ordinatè, planissimèq; sanæ doctrinæ & ueræ fidei concluditur summa, quæ & me ambiguum, diuicq; inuolutum, quibusdam erroribus amplius sollicitum, anxiumq; in illis non fuit: pro quo satis nec agere, nec referre grates, ut deberem, unquam tibi potero: sed spero, oroq; Deum omnipotentem, qui ut bonus est, ita nihil non repensatum cumulatus esse sinit, ut ipse uberius rependat, utinam meæ facultatis esset, plura editionis tuæ emere quò possem, quod hætenus intermisi, paupertate coactus. Iam demum puerū, tibi literas has qui præsentat, ad bibliopolam Paulum Strofferum, à quo nuper etiam emi quædam Græca uolumina, mitto, literarum tuarum aliquid, & explicationes in Epistolas S. Pauli Apostoli, Diui Ambrosij, si habeat, ut per eundem mihi renunciaret, & opera Platonis græca mihi (si quid habet fidei) mitat. Quæ mox undecunq; tantū pecuniæ corradere potero, partim mutuo, partim sudore quotidiano persolua: meq; tali librorū thesauro, præcipuè tuorū, felicè arbitror. Qui etiā personā ipsam, ex cuius ingenio tanta proficiunt, uidisse, & iam fautricem habere, ipse mihi maximè gratulor. Cui me totum dedo & commendo: quam mihi diuturnam Deus opt. max. beneuolamq; ut sinat, precor. Valeas in annos Nestoreos: & Nicolaum Tribicherum, ut

cepisti,

cepisti, ames, & beneuolentia iuues & excites. Valeas iterum atque iterum, pancratice & basilicè. Ex ludo literario nostro Oxypolitano, XIII Calend. April. Anno ab incarnatione uerbi æterni, M. D. XLIX.

MARTINVS A GVZMANNIS ROM. &c. R. M. CONSILIARIUS, & Caroli Illustriss. Austriæ Archid. &c. Aetnarcha, &c. Reuerendissimo in Christo patri ac Domino, D. Friderico Episc. Viennen. &c. Domino & amico obseruando, S. D.



Reuerendissime Domine, Literas tuas XXII mensis præteriti accepi, ad quas statim responsum dedissem, si non obstitisset Regiæ Maiestatis, Dñi nostri clementissimi absentia, quæ hinc oblectandi animi causa ad castrum Kostoletz diuerterat, & per tres dies abfuit: sed quamprimum sua M. huc redijt, eidem petitionem tuam ordine exposui, cui Maiestas sua gratiosè annuit, hac tamen lege, ut ita te compares, ut ultra illos duos menses non differas tuum reditum, quem faustum felicemq; opto à Deo opt. maximo, tibi: cui me commendo, & seruitia mea offero. Datum Pragæ, III die mensis Maij. Anno, &c. XLVIII.

CASTILLEGIVS REGIVS SECRETARIVS, &c. Reuerendiss. Domino, D. Friderico Episc. Viennen. S. D.



Reuerendissime Domine: ne studia tua magis necessaria, si coram uenero, præsentia mea interrumpam, per hanc schedam tibi supplico, ut me de eo quod in presbyteri Petri Valuerdæ negotio factum est, certiores reddere digneris: quatenus & ego quid facto opus sit, clarius intelligam ex uerbo tuo, cui me solita deuotione, debitaq; obseruantia a dedo, atq; commendo, &c.

IDEM CASTILLEGIVS, ETC. EIDEM REUERENDISSIMO Domino Episcopo Viennen. &c.



Reuerendissime Domine, opto tibi foelicia, & lata, post tot quadragesimales exhaustos labores, paschalia festa: quo tempore, quando tibi aliqua forsitan uacua à pastoralis tua cura & sollicitudine dabitur hora (de ea autem cupio à te certior fieri) te adibo & uisitabo, tibi non nihil, minimè in gratum, imò (uti credo) lætum indicaturus. interim me tibi debita obseruatione tum offero, tum commendo, &c.

REUERENDISSIMO DOMINO FRIDERICO EPISCOPO Viennensi, Ludouicus Berus S. P. D.



Reuerendiss. tuæ Amplitudinis literæ, hesternò die ex Vualdkirchen ad me datæ, gratissimæ mihi extiterunt, cum alijs nominibus: tum uel maximè, quod illis certior sim redditus, de Reuerendissimæ D. T. & prospero aduentu, & bona ualitudine: quam ut diutissimè duraturam uelim, ita & spero Reip. Christianæ maximè profuturam. Quod autè ad Epistolarum librum, Basileæ forsitan typis excudendum, attinet:

MM inter

inter typographos Basilienses non est mihi alius notior, quam D. Ioannes Oporinus, latine & graece admodum doctus. Cuius characteres impressorij quam sint elegantes, potes cognoscere ex libello septem Psalmorum poenitentialium, &c. quem anno superiori misi ad R. T. Paternitatem. An uero in eiusmodi epistolis, mihi non uisis, aliquid sit, quo Basilienses grauius offendi possent, & ab impressione quiuus chalcographorum Basiliensium retraheretur: tua Dignitas cum ipso chalcographo exactius diiudicabit. Quod autem noui quippiam a me rescribendum petis: Reuerend. D. AMBROSIVS A' GVM PENBERG, Praepositus Basiliens. Cels. T. (uti arbitror) cognitissimus, apud nos est Friburgi. D. Doctor Valentinus Ecclesiam nunc agit Constantiae. Et quum Heluetios partim inuasit petitis, coelum tamen, diuino munere, apud nos adhuc perseverat saluberrimum, in primis bene ualentibus. Mihi autem profus debili & ualetudinario, ex hoc seculo nequa et tumultuoso, alio demigrandum est: ubi Dei omnipotentis, & CHRISTI IESU Saluatoris nostri gratia (uti precor, & confido) iuuentus mea breui renouetur, in coelesti et aeterna beatitudine. Quae est mea Christiana et potissima in Domino consolatio: aliqua ex parte indicata in opusculo, ad Reuerendiss. T. P. et eiusdem censuram, cum hisce literis transmissio. ad cuius libelli, quamuis nullius aut parui momenti editionem, quidnam uel renitentem perpulerit, uere praefatus est D. Oporinus typographus. Quam foelicissimè ualeat Reuerend. T. P. excellentia, & insuperabilis uirtus. Friburgi Brisgoiae, XXIII Junij. Anno salutis M. D. XLIX.

FERDINANDVS DEI GRATIA ROMANORVM,
Hungariae, Bohemiae, &c. Rex, &c. Venerabili Friderico Episcopo Viennen. Consiliario nostro, &c.



Reuerende, chare, deuote: nos tibi clementer significamus, Reuerendum ac Generosum Ernestum, confirmatum Salisburgi Archiepiscopum, sedis Apostolicae legatum, ad Rhenum Comitem Palatinum, superioris & inferioris Bauariae Ducem, agnatum nobis charum, & Principem, nec non charitatis suae comprouinciales Episcopos & Praelatos, nobis obnixè scripsisse et orasse, ut nostros spectabiles consiliarios & commissarios ad ipsos mittere, per eosdem super statutis Synodalibus iam conceptis, alijsque Reformationibus, deliberari, et quae necessitas requireret tractari, uellemus. Et si quidem prima proxime futuri mensis Augusti dies ad hoc negotium Salisburgi constituta & nominata fuerit, tamen quia commissarios nostros tam subito paratos habere non potuerimus, praemissam itaque diem ad primam Septembris diem prolongare & differre fecimus. Quoniam uero singulari quam erga te gerimus, fide, ad id negotij te nostrum unam cum alijs commissarium clementer proposuerimus: requirimus ergo te clementer & seruo, secundum nostram, quam in te habemus, fiduciam, huiusmodi commissionis negotium obedienter ac beneuolè suscipere, ad primam proxime uenientis mensis

mensis septembris diem, Salisburgi, apud alios Commissarios nostros certo comparere, simulque cum ipsis secundum instructionem & mandatum, quae ibidem reperies, omnia prout dicta instructio nostra continet, tractando, concordandoque adiuuare uelis: eaque in re te nihil impedire, remorarique patiaris. Hoc nobis de te omnino pollicemur: in eo etiam, quod finaliter uolumus & sentimus, facis. Expensas autem & sumptus, quos in eo Commissionis negotio facies, profectionis & commissionis negotio peractis, tibi soluendos competenter ordinabimus. Datum in arce nostra Regia, Pragae. XX die Iulij, Anno MDXLIX. Regnorum nostrorum, Romani quidem XIX, aliorum uero XXIII.

FERDINANDVS DEI GRATIA ROMANORVM, ETC.
Rex, &c. Venerabili Friderico Episcopo Viennen. Consiliario nostro deuotissimo, &c. noto, fideli, nobis dilecto.



Venerabilis, chare, deuote. Nos iam ex Misnia redeuntes, literas tuas, octauo praesentis mensis Augusti die, accepimus: obediētemque promptitudinem tuam, quia unam cum alijs tibi coordinatis Commissarijs in Salisburgem. Synodalis commissionis negotio operam tuam libenter adhibere uelis, complacencia singulari intelleximus. Quanquam negotium Synodale unam cum Instructione confecta, quoad necesse fuisset, uideāda & perlegenda tibi mittere inclinati fuissēmus, nisi absentia tua a Vienna, & noster paucis ante diebus a Misnia reditus, in mora fuissent. Vnde acta ista Synodalia ad te transmittere non potuimus: nec nunc quidem propter termini breuitatem, priusquam Vienna tibi abeundum erit, mittere poterimus. Hic autem tibi tuisque coordinatis Commissarijs, negotium hoc Synodale, instructionemque nostram mittimus: quae quatenus necesse fuerit uidere, unaque cum Concommissarijs tuis, ea quae necessitas postulabit, agere poteris. Porro quod in praetactis literis tuis mentionem facis, quando quidem in rebus spiritualibus summo Pontifici immediate subiectus esses, ob id tibi in eius Sanctitatis praedictum quidquam facere non licere, &c. Ad quod te celare nolumus: sicut nec antea huius uoluntatis mentisque fuerimus, ita nec nunc quidem sumus, Pontificiae Sanctitati, eiusque iurisdictioni spirituali quicquam detrahendi: seu aliquid, quo quicquam antiquae, uerget, & catholicae religioni nostrae adimeretur instituendi, agendi. Sed & econtra clementer & indubitanter confidimus, Sanctitatis Pontificiae uoluntatem & mentem non esse detrahendi nobis quicquam, quod ad Archiducalis Celsitudinis auctoritatem, potestatem, introductam iurisdictionem nostram, priuilegiaque prouincialia, laudabiles mores praescriptos, & consuetudinem antiquam pertineret. Propterea, quoniam quidem hoc in negotio nobis nouitatem nullam assumimus, nec usurpamus: sed auctoritatem, potestatem, imperium, iurisdictionem, a maioribus nostris ab antiquo ad nos deriuatam, introductionem & consuetudinem laudabilem, prout com

petit, & æquum est, salua esse, manuq; tenenda celsimus: idcirco te mandatum hoc nostrum instructionis nostræ tenore, cum commissarijs tibi coordinatis, ope tua peracturum, nec ullam impedimenti causam præstiturum esse, clementer cōsidimus. Tuq; in eo uoluntatis mentisq; nostræ placito satisfacies: id quod clementer tibi aliquando rependendum existimabimus. Hæc autem ad literas tuas respondentes, omittere nolimus. Datū in arce nostra regia Prage, uigesimotertio die Augusti. Anno millesimo quingentesimo quadragesimo nono. Regnorū nostrorum, Romani quidem decimo nono, aliorum uerò uigesimotertio.

REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, Domino Friderico, Episcopo Viennensi, amplissimo heroi, &c. Georgius Pictorius S. D.



Vanta nuper animi perturbatione à tua Reuerendissima discesserim Dominatione, Reuerendissime Princeps, nec qui cētum haberet linguas eloqui, nec qui centum manus, quales Briareo attribuit poesis, scribere posset. Tam etenim tuo præsens delectabar colloquio, ut ipse admiratione ductus, te uel Gygis annulum, uel Orci galeam, quibus amicos in tui alliceret amorem, habere facile crediderim. Sed de his satis, ne uulneris pristini recrudescat dolor, qui temporis spacio mitior est redditus. Præterea quia nullum scribendi argumentum ob nuncijs uelocem abitum præstò est, id saltem repeto, quod amor suadet: eandemq; cantilenam, imperiti cantoris instar, frequenter recinò. quippe ut filium meum, Joannem Iacobum, tibi commendatum habeas: eundemq; ad magistris gradum, si sponte nolit, compellas. Spero, uel olim fata emerfura iterum candida, quæ te incolumem nobis restituant: uel etiam aliquibus nolentibus, quos denuò Pfaltis suafu in uirga ferrea regas. Harum literarum baiuli, optimorum parentum sunt filij: hos, uelim, ut Ioannes Iacobus optimo Collegio, uel Bursæ (quod aiunt) adducat. studiosi enim sunt, & Mineruæ cupidi. Dominus te diu sospitet ac prosperet, in omnibus, ut Christianæ religionis sentiamus profectum, in secula seculorum, Amen. Datæ uigesimoprimo Augusti, Anno Virginei partus sesquimillesimo quadragesimo nono.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. Friderico Episcopo Viennensi, Consiliario Regio, &c. præpotenti in sermone & opere, Domino suo gratioso, & Patrono colendissimo, Ioannes Cochleus S.

Reue-



Euerendissime Domine, Præful ornatissime: literas tuas, datas nuper Viennæ, XXI Augusti, magna diligentia & fidelitatis recepi hic, XXVIII die eiusdem mensis. Hoc mane in ecclesia dixit mihi R. D. Doctor Brockendorffius, si uelim ad te scribere, se certum scire nuncium. At ea sum erga te obseruantia, & antiqua pro meritis tuis reuerentia & charitate, ut piaculum existimem, negligere ullam occasionem salutandi te. Quod autem de tuis magnis & periculosis profectioibus, non solum admiror, sed uehementer etiam sollicitus sum & anxius, facit profectò non solum priuata charitas, sed multo magis publica cura de tua salute, ne Deus iustissimè peccatis nostris irritatus, indicesq; magis ac magis exulceratus, te nobis eripiat: cum non alium habeamus efficaciorum Ecclesiæ propugnatorem & athleticum pugilem, qui Ecclesiæ hostibus hæctenus per tot annos inuictò animo, ultra omnes corporis uires, uerbo & scriptis tam potenter obstitit. Digni profecti sumus hac quoq; clade, si Dei misericordia non superexaltet iudicium. De mea paruitate non oportet curare, quid de me fiat, quia nihil iacturæ est in Ecclesia de interitu meo. Feci iam per gratiam Dei, quod facere decreueram. De cætero spectatorem agam, qui tam securus hic Ecclesiæ pericula (si qua potest, salua conscientia, in tali rerum statu, animi securitas consistere) spectare poterit, quàm alij possunt, domini & confratres mei, qui per sex iam annos meam inter sese partiti sunt portionem, qua præsens in ocio hoc frui potuissim. Quod de magnis aliquando conquestus sum Prælati, factum est ex urgentissimis angustijs, circa impensarum onera. Sub tempus tamē recessus mei ex Moguntia, percepi pia quorundam subsidia, per quæ grauescens debitor onus releuare potui. Pijssimi confratres & domini mei, Lobelius, Brockendorffius, & D. Kriekau, curarunt me huc reduci commodissimè, per fidelissimum uectorem suum, quem in hoc conduxerunt ære suo. Qui & huc reuersum nuper II Augusti, omni pietatis & humanitatis officio susceperunt. Nec suauius est mihi quicquam gratissima illorum conuersatione. Vna nos turbat uehementer molestia, quod pijssimus & prudentissimus uir, D. Fran. Loebelius, diutius priuatur auditu officio, quem magno cum dolore uidemus surdastrum in Ecclesiæ negotijs: cum non habeamus alium, qui uel acutus uideat & intelligat quid agatur, uel fidelius in medium consulere possit. Te suppliciter oro, ut nobiscum pro eo intercedas, apud Dominum, ut in publicam Ecclesiæ utilitatem huius uiri consilij uti possimus. Spero me ex nundinis Franckford. breui recepturū literas, & quædam alia. Nec minori teneor tuarum literarum desiderio, si qua detur tibi scribendi opportunitas. Bene ualeas, syncerissime & inuictissime propugnator fidei & religionis Catholicæ. Ex Vratisslauiæ, die XII Septembris M. D. XLIX.

MM 3 FERDI

FERDINANDVS DEI GRATIA ROMANORVN, ETC.
 Rex, &c. Venerabili Friderico Episcopo Viennen. Consiliario nostro
 deuoto, fideli, nobis dilecto.



Enherabilis, dilecte, deuote. Epistolam tuam datam Salisburgi quinta praesentis mensis Septembris die, accepimus, ex eaque quae tu sentire, teque ad ea beneuolum ac promptum accommodare uideris, clementia singulari intelleximus. Quod autem te ad ista negotia cum alijs Commissarijs nostris proposuerimus & ordinauerimus, hoc clementi peculiarique, quam erga personam tuam gerimus, fiducia, factum est. Praecipue uero ex eo, quod & nos benigniter considerauimus, quia in prouincia Salisburgensi non comprehensus, nec eius iurisdictioni subiectus, sed ab ea plane liber & exemptus esses: nobisque in hoc casu, hisque magnae importantiae rebus, praes alijs utiliter & fideliter inseruire posses. Nobis autem propositum & opinio prorsus nulla fuerunt, nec modo sunt, quibus uel tibi aliquid contra obligationem tuam imponere, uel contra res, Pontificiam sanctitatem, ueram, sanctam & Christianam religionem nostram concernentes, aut agere aut quaerere uellemus. Verum hoc ex animi sententia sentimus & uolumus, ut omnia quaecumque ad sanctae Religionis, Christiani cultus, & Ecclesiastici status, eiusdemque ordinariae iurisdictionis augmentum & incrementum unquam utilia & promouentia esse possunt, instituamus, in opusque deducamus. Ideo nos clementer confidimus, te hoc commissiois negotium, diligentia fideli subiturum & suscepturum esse. Quod uero tibi Synodalia acta, una cum super his concepto decreto nostro, ad ea sufficienter uidendum & perlegendum tempestiue mittere, sicut libenter quidem uoluimus, minus potuerimus, cum ex nouissimis literis necessario rationem accipies: tum ex ea causa, quod nos huiusmodi acta prius magistratibus nobis inferioribus ad prouincias transmittere, eorumque super eisdem actis informationes intelligere oportuit: quas tamen informationes adeo tarde seroque accepimus, ut post reditum nostrum in Misnia, nosmetipsos in palatio nostro ad institutam & praescriptam dietam difficulter praeparauerimus, diemque cum legitima literarum conclusione uix assecuti fuerimus.

Caeterum quia ex tuis, tibique coordinatorum commissariorum literis, iam nunc in negotio coepto, nosque ex eo tuam aliorumque commissariorum nostrorum mentem fidelem ulterius percipere possimus: te iterum atque iterum clementer requirimus, petentes una cum praedictis commissarijs, tibi coordinatis, etiam nunc, quae nostra in te est fiducia, optimum conficere, res eo dirigere, tuaque adiuuare uelis, ut in effectu ad operationem fructuosam tractentur, sinemque bonum consequi ualeant, quem admodum te facturum & clementer & indubie speramus. Tuque in eo uoluntatis mentisque nostrae beneplacito satis

to satisfacies, id quod clementer tibi, Viennensi Episcopatu ali-
 quando rependendum existimabimus. Datum in arce nostra re-
 gia, Prage, XII die Septembris. Anno MDXLIX, Regnorum nostro-
 rum, Romani quidem XIX, aliorum uero XXIII.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI ET DOMINO,
 D. Friderico Episcopo Viennensi, Domino suo colendissimo, Conradus
 Brunus D. Cancellarius Landesbutensis, S.



Pravi saepe, Reuerendiss. Praesul, & idem clementiss. Do-
 mine, ut per aliquam occasionem tecum colloquedi, & concilia-
 liae gratiae & beneuolentiae tuae facultas mihi offerret, id quod & doctos quosque optare uideo, quorum alij non contenti, doctissima, & eadem disertissima scripta tua legisse, in super tua etiam gratiam & fauorem ambiunt; alij hoc uno contenti sunt, si tui tantum uidendi copia nacti, uoluptate aliqua uel ex aspectu personae tuae concipiunt. Cuius rei & ego testis esse possum, qui in hoc conuentu, in quo ambo nos legatione fungimur, tu quidem Sereniss. et Inuictiss. regis FERDINANDI, ego uere illustriss. Principis & D. G. VILELMI utriusque Bauariae Ducis: alij uidi & inter hos etiam, qui longinquis nationibus aduenientes, te ob id tantum inuisere uoluerunt, ut cuius antea doctrinam & eruditionem, cum summa pietate coniuncta, cognouerant, eum coram quoque & (ut dicitur) de facie contemplari possent. Quid igitur mirum, si idem quoque mihi ratum fuerit, ut qui haec tenus ex scriptis tuis non raro summam uoluptatem coepei, tandem dulcissimis etiam & eruditissimis colloquijs frui, & inde sumpta occasione, gratiae quoque & beneuolentiae tuae, qua erga doctos quosque afficeris, ego quoque si non doctus, bonarum certe & honestarum disciplinarum studiosus, particeps fieri possem. Cuius quidem uoti pulchre mihi copios etiam factus esse uideor. Non solum enim colloquedi mihi tecum facultatem dedisti, sed in eorum etiam numerum me recepisti, quos & gratia & beneuolentia tua dignos esse iudicas. Id quod ex eo etiam facile colligo, quod praefato Sereniss. & Inuictiss. Regi Ferdinando, D. meo clementiss. commendaturum te, tum operam etiam daturum recepisti, ut in consiliarium Regiae Maiestatis tuae assumar. Quare non uideo, quod maius & efficacius tuae singularis erga me gratiae et beneuolentiae argumentum esse possit. Certe uero quia ea de re meam quoque uoluntatem scire desideras, equidem aperte dicam quod sentio. Ac primum quidem omnium facile, ex familiaribus illis, quae uarijs de rebus commiscuimus, colloquijs nostris, percipere potuisti, nihil gratius mihi contingere posse, quam si Christianiss. huic & Catholico Regi meis quibuscumque consilijs, studijs & operis prodesse possem. Quae Dei assistente mihi gratia, si conditio mihi aliqua apud R. M. suam contingere posset, non minore integritate & constantia, quam te in hoc conuentu, in me expertum esse, aliquies testatus es, praestaturus essem. Deinde non ignoras animum & propositum meum continuandi, quae paucis antea annis coepei, studia mea: ad quam rem, quiete aliqua mihi opus esse, facile conijcere potes. Quae

Quæ quoniam in aula non datur, omnino decreui deinceps à quotidianis illis & illiberalibus negotiis, in quibus plus laboris est, quam ingenij & prudentiæ, abstinere. In grauioribus uerò negotiis, si humeris tamen meis non imparibus, nõ graue aut molestum erit, pro meâ mediocritate consulere, siue scriptis, siue uoce, latine & germanice. Postremò quod ad conditionem ipsam pertinet, quam procuraturum te mihi apud Regiam Maiestatem recepisti, rem omnem tibi apud Regem pro tua prudentia, tum proponendam, tum curandam relinquo: tum me, meaq; studia humiliter commendo. Vale at R. D. T. quam Deus optimus maximus in multos annos, in Ecclesiæ utilitatem, incolumem conseruet. Datum Salisburgi, XII. Octobris. Anno M. D. XLIX.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI AC DO.
Domino, D. Friderico Episcopo Viennen. &c. Aloysius Lypomanus,
indignus Episcopus Veronensis, idemq; Legatus
Apostol. S. P. D.

Reuerendissime Domine, magna cum animi mei iucunditate binas literas legi, cum quia in utrisq; magna uirtutis tuæ habeatur ratio, & uterq; scriptor tanquã ad egrum Christianæ fidei propugnatorem literas se mittere arbitratur, prout reuera facit: tum quia utræq; literæ à uiris meiamantissimis datæ sunt, & quorum consuetudine quamdiu mihi per occupationes licuit, ualde delectatus sum. sed ego uirtutum & meritorum tuorum testimonium aliud habeo, Ioanne maius, quod est realis & facialis tui cognitio, & rerum per te doctissimè & pietissimè scriptarum lectio: qua ad eò per dies hos pauculos delectatus sum, ut nil mihi in hac Germanica legatione foelicis accidisse crediderim, quàm tanti me uiri amicitia compotem esse factum. Offeratur mihi occasio aliqua, & cognoscat Reuerendissimus Dominus meus Viennensis, qua charitate ei deuinctus sim. Interim rogo, ut è conuerso ipse me seruum suum amare dignetur: sicut ipse à me non diligitur solū, sed obseruatur, & colitur. Quem in utroq; homine plurimum ualere exopto, Salisburgæ, XXI Octobris. Anno salutis humanæ M. D. XLIX.

BALTHASSAR BASTA CANONICVS OLOMVCE.
ac Romæ causarum sollicitator, &c. Reuerendiss. in Christo patri ac Domino, D. Friderico Nauſeæ Episcopo Viennen.
digniss. &c. S. P. D.

Non possum sine magna esse admiratione, quòd ad tot literas meas, superioribus mensibus ad te missas, in negotio, quod ipse maximè fieri optabas, nihil adhuc respondes. Quia proinde incertus sum, sint ne priores illæ literæ meæ redditæ tibi, sit, ut eas nunc paucis repetam. Quod igitur iam diu optasti, fauore cum multorum, tum Reuerendissimi Domini Cardinalis Sanctæ Crucis, magni amici tui, tandem

tandem impetratū est: quodq; uoluimus, consequuti sumus. Quid itaq; deinceps ad eam rem fieri uelis, sciam facito pro tua, quæ summa est, prudentia, cui quicquid huius est negocij cōmitto, quæ ad Celsitudinem tuam colendam & obseruandā pertinebunt, summa cum fide præstaturus. Deus opt. max. eandem Celsitudinem tuam feliciter conseruet, ad augmentum & tranquillitatem ecclesiæ suæ. Vale decus Pontificū, cui me humiliter commendo, do, dico, dedicoq; tanquam patri meo colendis. Iterum uale, Romæ, Kalend. Martias. Anno uirginæ partus M. D. XLIX.

THOMAS BABELIUS PAROCHVS BYDVICEN.
Reuerendissimo in Christo patri ac Domino, D. Friderico Episcopo
Viennensi, Domino suo benignissimo, S. D.

Reditæ mihi sunt literæ Reuerendissimæ P. T. Reuerendiss. Domine Præsul & Patrone, mihi multis nominibus obseruandissime: quæ nimirum tantum gaudio cumulum mihi detulerunt, ut eis mihi nihil desideratius & charius accidere potuerit. Licet uerò nõ mediocriter animum meum perculerit, tantis esse te laboribus exhaustum, & diutinis negociorum labyrinthis pro Christiana religione susceptis esse debilitatum; tamen nihil aliud in uotis est, quàm ut diuina Maiestas dignè R. P. T. perquam diutissimè incolumè, ad asserendam doctrinæ Christianæ pietatem conseruare. Nam indubitatā spem foueo, præsidio & studio tuo omnia in pristinæ pietatis & obedientiæ Catholicæ concordiam redigi posse. De edendis lucubrationibus tam piè sollicitum esse te, non possum non gaudere & gratulari. Nec uerò inficias eo, magnum me laborem & onus tuis humeris imposuisse: sed profecto, sicut non dubito de operis effectu, sic etiam gratum me, donec uiuero, pro tãtis in me beneficijs collatis præstabo. Nec tantopere id efflagitarem toties, nisi uel maxima &ürgens necessitas me cogeret. Intelligis enim ad tanti officij dignitatem, cuiusmodi ego sustineo, multum & laboris & studij requirerim, meq; plurimum hęc Annotationibus in quotidiano propagandi seminandiq; uerbi Dei ministerio posse iuuari. Porro etiam atq; etiam oro, ne in malam partem rapias, quia hęc literis munusculum aliquod nõ adiunxerim, uti par fuisset, mea quidem causa. Quandoquidem breuitas tēporis obstitit, & ratio. Volebam enim non nihil domestici munusculi adhibere, quum mihi sit pinguis & pressi copia lactis. uerum nosti nondum maturos esse caseos, nec esui idoneos. Quod scribis breui te hic ad futurum, dici non potest quantum id expetam. Nam & prudentissimus huius ciuitatis senatus aduentu tuo mirificè exhilarabitur. Mitto autem exemplum Epistolæ præeliminariis, in libellum tuarum Christianarum præcationum, quas in Boemicū idioma transferri curauit, ut perlegas, & quæ displicuerint, immutes. Valeat Reuerendiss. tua Paternitas felicissi-

NN tas felicissi-

tas felicissimè, quã Christus opt. instaurandæ ueræ pietati bonisq;
omnibus euehendis diu tueatur incolumem. Datum Buduicij
Boemiæ. xv Maij. Anno post Christum natum, M. D. XLIX.

CHRISTOPHORI HECYRI CRVMNOVIA-
ni, in Domini Thomæ Babelij, Parochi Buduicij Bohemici, Lucubra-
tiones euangelicas Decastichon.



*Vi cupis eloquio turbam formare deserto,
Quam Christus cælo morte sua asseruit:
Hos studio uigili, curaq; euoluito libros,
Quos tibi Babelij docta Minerua dedit.*

*Inuenies, fateor, permulta aliunde petita,
Sed tamen hoc nullum crimen habere putes.
Namq; legens, ut apis, tibi profutura relinquit
Erroris prudens nigra uenena mali.
Vsurpat Maro Mæonidis sic carmina: clauam
Se extorsisse putans Amphitryoniadi.*

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PA-
tri ac Domino, D. Friderico Viennen. Episcopo dignissimo, &c. Domino
ac Meccenati suo meritijs. Ioannes Chryostomus S. Iacobi
apud Moguntiam Cœnobita, S. P. D.



Esam Christum omnium nostrum seruatorem, salu-
tis loco. Cum apud Deum mortalesq; nullum reperia-
tur malum, quod ingratitude superet uitium, Pater
ac Domine in Christo Reuerendiss. Idcirco rubore suf-
fundor non minimo, cum nihil in promptu habeam, quod trans-
mittam ei, cui totum acceptum fero quicquid in meo cœnobio
dignitatum atq; honoris possideo. Ante sexennium ferme, cum in
non minima uersarem trepidatione, ob Lutheranas turbas, pas-
sim inter uulgus dispersas, tu per clientulum tuum, Ioannem Pfler-
ger, consolatus es me, mandans mihi, ut si periculum Moguntia
timerem, ad te confugerem. Quapropter pro hac tua humani-
tate immensas habeo gratias. Nam uerè in maxima fuimus hacten-
us angustia constituti, præsertim Reuerendus Dominus noster
Abbas, qui senio confectus nō modico, nusquam fugere poterat,
nec uolebat. Cum enim milites Comitatus Prouincialis, Rheni litto-
ra undiq; obsiderent, nec ulli fugiendi usquam locus erat, hortaba-
tur idem Reuerendus Dominus noster Abbas, ut ad tutiorem ali-
quem locū sese cōferret: dixit semper, quoniam fugeret, cum mor-
tis hora sibi iam iam immineret? Verum in aduentu Comitatus de
Beuren, omni cōfestim ex metu erepti fuimus, quē hoc anno diem
obijisse extremum ferunt. Iam dudum scripsissem ad tuam Domina-
tionem Reuerend. uerum uiarū distantia hactenus impedimento
fuit.

fuit. nec modò scripsissem, ni Ioannes Pflieger me ad scribendum
concitasset. Noui nihil scribere possum, nisi quod omni hora expe-
ctaturi sumus Clementissimi Domini nostri Imperatoris filij ad-
uentum. Faxit Deus optimus maximus, ut omnia quæ præ foribus
sunt, prosperum habeat successum. Timeo uehementer, Saxones
uirga ferrea uisitandos. Nam quieti (ut audio) esse nolunt, maxi-
mè eos incitante Nicolao quodam Amsterdamo, qui contra libel-
lum, qui INTERIM uocatur, scripsit. Cui egregius & uerè pius
Dominus, D. Ioannes Cochleus libello respondit, quem Ger-
manicè uerti. uerti & alium eiusdem Domini libellum quendam,
quem Philippicam septimā inscripsit, contra Philippum Melanch-
thonem: qui & ipse cōtra libellum INTERIM scripsit, sed non im-
piè ad eò ut præfatus Nicolaus, qui se Episcopum nominat Nun-
burgensem, expulsus. Mirum dictu, quod turbulenti isti homines
quiescere nequeunt. Maximos certè & infatigabiles labores bonus
ille Dominus Ioannes Cochleus (mihī summa necessitudine de-
uinctus) perfert: miror equidem uehementer, quoniam pacto hu-
iufmodi sufferat labores, senio haud modico confectus. Domina-
tio tua Reuerend. æqui boniq; consulat epistolæ breuitatē me ex-
cessisse. nam rara ad T. R. D. scribendi consuetudo in causa fuit: &
uerè copiosius scripsissem, nisi alijs modò occupatus fuisset nego-
tius. Nam cum præfatus Ioannes Pflieger ad scribendum me incita-
ret, describendam acceperam orationem Synodalē, habitam Ma-
guntia XIX Nouembris, per doctissimum uirum Georgium Ne-
andrum, sacrae Theologiae candidatum, quæ prælo committenda
erat: quàm & R. T. D. misissem, si typographus eandem absoluif-
set. At mittam eandem aliās, cum certum denuò nuncium ad Vien-
nam habere potero. Modò claudenda est epistola, licet minus eru-
ditè elaborata. Verum quod hac uice tēpus minus opportunum
suppresit, aliud opportunum magis omnia refarciet. Valeat inte-
rim Dominatio tua Reuerenda, cui me totum, & quicquid habeo,
commendo. Ne autem omnino ingratitude arguar, mitto Do-
minationi tuæ Reuerendæ xeniolum perexiguum, annulum, sed
paruum, aureum, hic inclusum, quem & ipse ab amico quodam fa-
tis bono ac familiari muneris loco accepi. Hunc rogo D. T. R. bo-
ni consulat. Nam supellex mea tenuis & breuis est. Vbi autem fa-
cultas uberior adfuerit, pinguiora mittam. Denuò ualeat D. T. R.
in Christo Iesu quàm felicissimè. Salutant plurimū. R. D. T. senior
Pater noster Ioannes Baptista, Pictor, & Custos nostri Monaste-
rij. Datum raptim Moguntia, ex monasterio sancti Iacobi, x x v i
Februarij. Anno Domini M. D. XLIX.

NN 2 Reuerendiss.



Oleo ipse mihi persæpe, Reuerendissime Pater, uel tacitus subiraſci, meamq; plerunq; detestari fortunam: quod his, à quibus maxima indies beneficia suscipio, dignè retribuere nequeo. Cumq; in eos gratus & esse & uideri maximè cupiam, (nullum enim uitij genus æquè ut ingrati tudinem horreo) hunc tamen animi mei affectum rebus ipsis declarare non possum. Redditæ mihi sunt literæ Paternitatis tuæ, septimo Aprilis Viennæ datæ, à Domino Cyriaco optimo iuvene, solitam in me charitatem ac beneuolentiam tuam præseferentes. Eas cum legi, iterū atq; iterum relegi, ac deosculatus sum. tuam enim in me ornando atque extollendo curam ac diligentiam quāti me facis optimè cognoui, meq; Paternitati tuæ ad eò deuinctum obligatumq; esse iudicauī, ut nullo pacto quicquam paræquumq; tribuere possim: longè enim superat tuorum in me beneficiorum magnitudo uires meas, quarum imbecillitatem quoties considero, toties me in foelicem censeo, qui licet gratum habeam animum, gratitudinem tamen operibus nequeo exhibere. quo fit, ut forsitan apud plerosq; ingratus iudicè: qui cum animi mei conscij esse non possint, opera uerò nulla conspiciant, ingrati tudinis crimine me facile condemnabunt. Verū quoniam tibi soli susceptorum abs te beneficiorum mihi reddenda est ratio, quo possim modo tuæ in me beneuolentiæ retribuere curabo: neque magnificiam, quid alij plerunq; de me sentiant. Libellum Pastoralium inquisitionum per te editū, cui titulus, Elenchi tres, Reuerendissimo & Illustrissimo Cardinali Sanctæ Crucis legendum tradidi. Qui de tuis uirtutibus sanè permulta graui ter & disertè dixit, & coram multis in hæc uerba locutus est: Ego quidem eum uirum cum doctum & grauem, tum uerò etiam in primis prudentem, ac propterea iurè clarissimo illi Rom. Regi Ferdinando gratū probatumq; esse iudico. Hæc ille. Laudauit insuper ipse & ingenium & animum tuum, adserens te nunquā ab ingenuitate solitaq; tua probitate discedere. Insuper retulit quā cupidus esses rerum Christianæ religionis bene restituendarum, quodq; in eiusmodi pio studio & uoluntate uehementer flagrares: quodque ferres ægerimè, tot tantaq; quotidie accumulari impedimenta, quæ Synodi Oecomenicæ negotiū plus æquo remora rētur. In summa, non facile dixerim, quāti is idem grauis simus Cardinalis te faciat. Qui etiam dedit mihi in mandatis, ut suo te nomine quasi internuncius plurimum salutare: tibiq; sine dubio persuaderes, se tuū amicū esse, fore que semper amantissimū. Quid multa? Dabitur

tur aliquādo tempus (si Deus uoluerit) in quo mutuo de id genus rebus ad saturitatē loquuturi sumus. Interea felicissimè ualeat Reuerendissima Dominatio tua, tanquā unicum Pontificum decus: cui me totū do, dico, dedico, & perpetuum seruitorem adprobo, adfirmoq;. Romæ, xv Maij, Anno Domini M. D. XLIX.

PROSPER DE SANCTA CRUCE, ROMANUS, Episcopus Kysanien. Pauli III. Pont. max. ad Inuictiss. Romanorum, &c. Regem per uniuersam Germaniam nuncius, Reuerendiss. Domino Friderico Naufæ Episcopo Viennensi. uti fratri amantissimo, S. D.



Reuerendissime Præsul, quod factis magis quā uerbis D. T. Reuerendissimæ literis respondere desiderauerim, factum est, ut me nunc negligentia ferè nomine accusaueris. Etenim cum fato nescio quo factū fuerit, ut quoties abs te aliquid petitū à me est, id uel præreptum ab alio antea fuerit, uel certè in mea potestate non fuerit: statueram non antè ad tuas ornatissimas literas respondere, quā aliqua mihi occasio significandi tibi amorem meum daretur. Sed quoniam tam acerbè nunc me interpellas, cogor à meo proposito discedere, tibi que uerbis respondebo, cum factis non possim. Nam simulatque nunciatum est de morte Præpositi Vratislauiensis, Serenissimus Rex à me petijt, ut Præposituram Vincentio Hortensio conferrem: hoc ego Maiestati suæ denegare nullo modo potui, cum præferim illum residentiam, ut dicitur, facturum, Maiestas sua præceperit. Quare posthac si taciturnitatem meā molestè ferēs, ego te quotidianis epistolis obtundam, ociumq; illud tuū Vitiinianum, quo mihi ipso Crasso ditior, & quouis alio beatior uideris, perturbabo. Bene ualeat D. tua Reuerendissima, quam Dominus Deus custodire dignetur. Pragæ, VII Junij. M. D. XLIX.

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI AC Domino, D. Friderico Episcopo Viennensi. Ecclesiæ & fidei Catholice assertori disertus, &c. Ioannes Cochleus.



Reuerendiss. Domine, Præsul doctissime, ornatiss. pijs sime, S. P. & deuota obsequia mea semper & in primis. Desidero quidem prolixissimè rescribere Reuerendiss. D. T. ad gratiosiss. literas tuas, quas à Martino nostro die XXI Februarij, post longā & anxiā expectationem recepi. Ago itaque primum plurimas & immortales gratias Reuerendiss. Domini. T. pro tam liberali ac diuturno gratiose ei præstito hospitio & mensa, atq; etiam pro liberali quatuor Talerorum dono, super omnia alia beneficia in eum, atque ad eò in me ipsum tua, superaddito. Ex quibus sanè facile conijcio, quā liberalem habituri essent labores mei Patronum, si facultates uoluntati tuæ

NN 3 respon-

responderēt. Reuerendissima D. T. tot annis certa experientia didicit, quomodo cōsiderandi & æstimandi sint huiusmodi labores & studia, præsertim tantis sumptib. & impensarū oneribus aggravata. At ut uideo, nescio quo fatali prælatorū torpore negliguntur ea quæ religionis sunt: & æstimantur magni, ac toto corde & studio quæruntur, temporalia & secularia. Quæ tamen perdentur aliquando, uel ipsi inuitis, per bella & seditiones, ut fiat, quod uulgo dicitur: Religio peperit opes, & filie perdunt matrem, & quod ait Aristoteles, Multi perierunt propter diuitias: ideoque in eis non potest consistere uera felicitas. Sed non est mihi nunc uel tempus, uel ocium scribendi, quantum uelim. Accipiat Reuerendissima D. T. paucis, quæ necessario scribenda sunt. Amicissimus noster Ioannes Pfleger promittit mihi commoditatem mittendi ad Reuerendiss. D. tuam, quæ scribenda sunt & mittenda.

Quantum igitur ad opus Epistolarū tuarum attinet, allocutus sum mox affinem meum typographum nostrum, quem uideo Reuerendiss. D. tuæ addictissimum, qui seruire cupit fideliter Reuerendiss. Domin. T. in omnibus operibus tuis, ubicunq; poterit, & quidem præ omnibus alijs: nisi forte ea excipiat, quæ ad me attinent. Curabit quoque, ut indies bonis literis & characteribus instructior fiat eius officina. Emit iam dudum ære meo literam, ut uocant, antiquam, mediæ formæ: qualis est ea, qua usus est in mea ad lectorem in opera D. Bruni præfatione. Quam hætenus habuit, commodè diutius adhibere non poterit: attrita enim iam est, & longo usu hebetata. à nouo igitur exemptis, & iam accuratè hic ap paratis formis fundetur hac æstate, ut habeat uarietatem. Habet & conductum iam semper correctorem domi, qui non aliud curæ aut laboris habet, nisi ut diligenter corrigat. Ego tamen quamdiu hic fui, & adhuc ero, semper reuidi omnia folia in secunda correctione. Credo itaq; Reuerendiss. D. T. non facillè inuenturam esse alium uel fidelio rem, ac magis ueracem, minusq; dolosum, quam ille est, qui ab antiquo Reuerendiss. D. T. nouit & obseruat. Est quidam in Italia doctus uir, Mylenfis Episcopus, qui uellet ei mittere opus Theologicum nouem (ni fallor) librorum. at ego in proximis literis distuasi, ne fortè exemplar per tantam locorum distantiam mittendum pereat. uellet (credo) gratuitam sibi locari operam. sed cum sit apud nos Germanos ignotus, non potui consulere affini meo, ut suis aut meis impensis excudendum acceptaret. Quantum uerò ad opera Reuerendiss. Domin. T. attinet, longe melior nobis spes foret, præsertim super efficacissimis ac diuersis uarijs que concionibus tuis. Et tantum de prompta seruiendi Reuerendissimæ Domin. T. uoluntate nostra, quæ certè nunquam deerit nobis, modò Deus disponat, ut uolun-

tati

tati semper suppetat facultas. Nam periculosissima adhuc timeo restare tempora, dum Dei cultum & honorem ita negligunt passim omnes, à maximis usq; ad minimos, tam Ecclesiastici q̄ seculares.

Graua mina, quæ Clerus totius diocesis Patauiensis proposuit in sua supplicatione, maximam poterunt (ut uereor) excitare turbationem. Quod enim illi queruntur, queruntur & alij. Nos hic sexto Maij habebimus Synodum Prouincialem, à qua tamen ego, ut hospes, omnino extraneus ero: utpote qui in hac prouincia, quantumuis lata, nullum amplius habeo beneficium, præter unam Erdfordiæ in Ecclesia S. Seueri Vicariam, cupio autem redire Vratislauiam, si fieri queat, ut pacificè ibi uiuam, cum charis. quibusdam fratribus meis. Vidi præterea graua mina Reuerendissimæ Dominat. T. in exactionibus & relictis debitis antecessorū, quorum non es hæres in bonis. Miror equidem, si Regia Maiestas supplicationem tuam semel perlegeret, copiosissimè simul & artificiosissimè etiam in punctis iuris instructam & fundatam, quod non interponeret partes suas pro causæ tuæ iustitia & æquitate. Cæterum de graua minibus Episcopatus tui, nescio quid scribā: Timeo enim plus odij, quam effectus boni inde consequi posse. Quamuis enim sapienter commemoras, & æquitatem proponis: uereor tamen, Ne fortè Episcopus Patauiens. aut Aulici, dicant illud Prouerbiorum, Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Hæc omnia remitto cum debita gratiarum actione, Reuerendiss. Domin. T. ea spe, ut charis. Ioannes Pfleger certam & securam inueniat uiam, transmittendi ad R. D. tuam, cum opusculis hac hyeme à Francisco nostro hic excusis. De quib. magnoperè tuū expectabo iudiciū, præsertim super antiquis autoribus in lucè sero postliminio diuturnæ in tenebris captiuitatis reproductis.

Dominus Balthasar Pengel nihil prorsus mali, quantum mihi audire licuit, de Reuerendissima D. T. sentit, aut loquitur: Martinus autem meus omnem de eadem R. D. T. prædicat gratiam & humanitatem. Ego nihil magis anxie timeo, quam ne fortè nimis laboribus ita exhaurias tandem omnem succū radicalis humoris, ut amplius durare non possit. Non putassem equidem Reuerendissimam D. tuam tot annis in tam grauib. concionandi pariter & scribendi laboribus perdurare potuisse. Nec potuisses profectò expuris naturalib. tuis, nisi Deus superaddidisset, supererogationis gratiarum suarum uires. Habes iam mentem & typographi, & meā. Rescribat R. D. T. & iure suo nobis imperet, ac bene ualeat, cum omnibus suis. Ex Castello S. Victoris, die xi Aprilis. Anno M. D. XLIX.

Ampliss.

AMPLISSIMO PRAESVLI, AC DOMINO;

D. Friderico Episcopo Viennen. &c. Mæcenati suo in primis colendo, Ioannes Oporinus typographus
Basilien. S. D.

Vltum fanè debere me Domino Doctori LVDOVICO BERO, cognato meo in primis colendo, ingenue fa-
teor, qui nō cessat pro solita erga me beneuolentiā sua
passim optimis atque doctiss. quibusq; uiris me sub-
inde commendare: quōrum in numero tuā quoq; Celsitudinem,
Reuerendissime Antistes, uel primum obtinere locum, planè per-
suasum habeo. Cuius certè Amplitudini non minus debere mea-
gnosco, quòd ita humaniter se adduci illius hortatione sit passa, ut
non solum gratiam atque fauorem erga nos conceperit singula-
rem quendam, sed eundem literis quoq; ad me, idq; per prop-
rium tabellarium misiss. declaratum testatumq; uoluerit. Qua qui-
dem amplitudinis tuæ humanitate atque beneuolentiā, an quic-
quam mihi obtingere non modò præstantius, sed etiam gratius,
hoc quidem tempore potuerit, dicere haud quæā. Equidem pro-
bitate ac eruditione claris hominibus, Ecclesiæq; Catholicæ pro-
ceribus (inter quos uel primas partes hoc seculo Amplitudo tua
magno suo merito uendicæ sibi possit) non displicuisse, summæ
ego felicitatis ac uelut diuini muneris existimaui hætenus: sem-
perq; dedi operam, quāquā moribus alioqui paulò fortè inciui-
lior sum, inq; colloquijs, familiari cum præstantioribus cōgressu,
præcipuè apud Principes ac raræ dignitatis uiros, pudore quo-
dam rustico impeditus, ferè ineptiorem quāam uel deceat, uel de
mea plerunq; sit, me præbere solèā: animi tamen candore, atq; in
curandis negocijs dexteritate, si quæ fidei nostræ unquam à quo-
quam cōmittantur, non facile cuiquam ut cederem. Id ipsum ego
nunc apud tuam quoq; Celsitudinem polliceri solum de me pos-
sum, utq; ita de me illa sibi persuadeat, uehementer oro atq; obte-
stor. Quia uerò etiam uocare me ad se Celsitudo tua dignatur, &
ut statim ueniam hortatur, curabo sedulo, ut compositis saltem
unius diei spacio necessarijs officinæ nostræ typographicæ ne-
gocijs, cōfestim me postridie itineri committam, intracōbiduum
(uti spero) ad C. tuam, uolente Domino, me conferam. Quod ut
felix ac faustum utrique ac reipublicæ sit, Deum optimum maxi-
mum precor: qui Celsitudinem tuā diu nobis seruet incolumem,
& ad promouendam nominis sui gloriam & Ecclesie salutem cōn-
fortet. Ignoscat Amplitudo tua lituris, & tumultuariæ scrip-
tionis, necq; enim per occupationes typographicas, in præsentia saltem,
licuit aliter. Basileæ, xxvii Iulij. Anno Domini M. D. XLIX.

REVEREN-

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI

D. Friderico Nauseæ, Episcopo Viennen. Patrono suo obseruando,
Ioan. Meyerus S.

*Esco qua tandem surget mihi carminis ordo
Parte, uias numerus uirtutum torquet in omnes,
Hinc tua me pietas rapit, & miranda per omnes
Vita modos, rapit hinc stupor, & ueneratio tantè
Numinis ó Præsul, pietas me talia cogit
Verba loqui, tua iusta fides, & plena pudoris
Libertas, animusq; mala ferrugine purus.
Nunc sicuncta uelim breuiter percurrere, plenum
Si Chaos innumeris, rerum Friderice tuarum
Laudibus euoluam, positissq; in aperta tabellis
Ostendam, quàm falsa premat fiducia mentem,
Quin prius emenso Titan uersetur Olympo,
Quàm mea tot laudes euoluere carmina possint.
Nec scio quæ series, quæ rerum turba tuarum
Vlla fuit: ueniet, quæ non sperabitur, hora,
Cum mihi Mæcenas tereti cantabere uersu.
Si Deus ultor abest, superest animosa uoluntas,
Ipsaq; nescio quid mens excellentius audet.
Quare age Calliope Friderici limina mecum
Læta pete, & partes oculos inflecte per omnes.
Forsan adhuc superest inuenta, penatibus ipss
Laudum turba grauis, clari monumenta triumph
Forstan in memori loquitur domus alta columna.
Fœlix, & longa Præsul dignissime uita,
Eximiumq; tuæ gentis decus, accipe nostrum
Munus, & hoc ueri complectere pignus amoris,
Quòd si nil tanto dignum studuisse uidebor
Principe, quam subitis extrusa poemata uentis
Accipiunt ueniam, petimusq; damusq; Poetæ.
Tu modò lætus ades, forsan meltora canemus.
Et uires dabit ipse fauor, dabit ipsa feracem
Spes animum, tandem magnis subnixæ columnis,
Dummodo qua tenui premitur caligine fatum,
Possumus impositis caput exonerare tenebris.*

OO

PHILIBERTVS



Ici non potest, Oporine charis, atque amicorum integerrime, quam frequenter apud me & amicos repetere soleam, incredibilem illam humanitatem, quam erga nos exhibuit uir ille omni laudum præfatione maior, D. IOANNES FRIDERICVS NAVSEA, Episcopus Viennensis. Tametsi enim nos, dum ab eius reuertentes Amplissima Dignitate, læti ac hilares domum repeteremus, fidem illius quæ per charitatem ac munificentiam operata in nos fuerat, mutuis colloquutionibus admiraremur: nondum tamen cessare interea potui, quin semper hominem etiamnum habeam præ oculis. Cuius nomen mihi melle dulcius, & suauius quouis nectare semper erit: etiam si forsitan malè feritatis quibusdam, ac ueritati Christo que aduersantibus sit nausea. Nullum certe unquam mihi officium præstitisti æquè gratum, mi Oporine, licet multa & magna præstiteris, quàm quod, dum ab eodem Dignis, Episcopo uocareris, me tibi comitem esse uoluisti. ubi singulari Dei prouidentia factum reor, ut ex multis alijs te potissimum sibi delegerit, qui illustrium uirorum ad ipsum Epistolas excuderet. Quarum equidem cum nobis uel obiter inspiciendarum copiam fecisset, non potuit non magnopere placere, tot præstantissimorum uirorum, ac reipublicæ Christianæ procerum, Cæsarum, Pontificum, Cardinalium, Episcoporum, pari ardore seruens in promouenda Christi gloria, fide, spe, charitate, ac præcipuè Ecclesiæ concordia stabilienda conatus ac studium: id quod nobiscum, uti planè persuasissimum habeo, sentient, omnes qui illas à te in publicum editas perlustrabunt. Neque enim dubium mihi est, qui multis argumentis perspectam habeo tuam & animi integritatem, & erga rempublicam Christianam singulare studium, quin statim id curaturus sis, uti in lucem edantur, ac suauitatis odore perfundant domum Dei, atque corda eorum qui delectantur pulchritudine pacis: quorum non paucos ego noui, & illarum spe iam breui fruendarum animos eorum ita excitaui, ut nihil magis habeant in uotis, nihil que sibi ita certò polliceantur, quàm te non ita multo post expectationi ipsorum satisfacturum. Inter quos præfulget communis amicus noster D. ANTONIVS LVLLVS, ordinarius sacræ Theologiæ professor in celeberrima hac nostra Academia Dolana: uir, ut ipse nosti, in literis Hebraicis, Græcis, & Latinis absolutissimus. Cuius iam quoque nonnulla opera ad te mitto, ut cum primùm commodè poteris, excudas, interea dum in Galliam proficiscor. ubi si quid noui reperero, uel ad te perferam ipse, uel mittam illico: tuasque ad amicum nostrum Sebastianum Gryphium literas bona fide reddendas curabo: eo auxiliante, sine quo nil

quò nil possumus. Qui te, tuamque familiam suis præmuniat benedictionibus: simulque doctis, uirum Hieronymum Vuolsium, cui dioces, me literas ipsius claris, uiro Ludouico Carino, cuius familiaritate ac eruditione mirum in modum delectamur, iam pridem fideliter reddidisse. Bene uale. Dolæ, ex Collegio Diui Hieronymi, 14 Cal. Augusti, 1549.

EPISTOLARVM MISCELLANEARVM
 libri decimi finis.

FRIDERICI NAVSEAE BLANCI-
CAMPIONI, EPISCOPI VIENNENSIS, LVCVBRA-
tionum ab ipso diuersis rerum diuersarum argumentis
conscriptarum Catalogus.

REVERENDISSIMI PATRIS, ILLUSTRISSIMI
 Principis ac Domini, Dn. Ioannis. S. R. E. TT. S. Sixti, Cardinalis
 Burgenfis, Hispani, ad Dominum Fridericum Nau-
 seam, Episcopum Viennen. Epistola.



Dprimè Reuerèdissime Domine, uti frater honorande,
litteras, quas D. V. R. ad nos dedit unà cum opusculis, &
se compositis, mihi sunt redditæ, quibus ualde sum delecta-
tus, multis quidem nominibus, sed eo præcipuè, quòd à D.
V. (quã propter eius singularè doctrinã plurimè semper fecimus) pro-
fecta fuere. Opuscula uerò legimus, illaq; ualde probauimus, uisq; no-
bis sunt uestra eruditione digna, sed in primis de bonis à Clericis mortuis
relictis, quod summè nobis placuit. De Catalogo uerò, què de uestris
operib. fecistis, laudo D. V. in eo cõsiliũ: uestrisq; studijs, meo iudicio,
cõsulistis, quũ nullus hæreticorũ deinceps futurus sit, qui opus aliquod,
munus Catholicũ, his quæ à D. V. composita & adnumerata sunt, con-
texere audeat. quod periculum non parui pendendum est, ijs præsertim
temporibus, quibus maximo nostro malo omnia susq; deq; feruntur. De
negotio uerò Episcopi Olomucensis dabimus operam, ut respectu D.
V. illius desiderio faciamus satis, præsertim si, quæ expeditioni negocij
necessaria sunt, ad nos miserit, quemadmodum per Secretarium nostrũ
eidem scribi mandauimus. Bene ualeat D. V. R. cui me commendo, &
paratum offero. Romæ, XVII. Martij, Anno Christi 1547.

FRIDERICVS NAVSEAE BLANCI-CAMPIANVS, EPISCO-
 pus Viennen. Reuerendis, nobilibus, præclarisq; uiris, D. insignium Vratislauen. & Glogo-
 uensis Ecclesiarum Præpositis, Decanis & Canonicis, etc. amicis suis tanquam fratri-
 bus in Domino Iesu Christo charissimis, S. P. D.



TI non dubitamus, Reuerendi, nobiles, præclarisq;
uiri, Domini & amici tanq; fratres in Domino Chri-
sto Iesu charissimi, eos quõndam ualdè malignam fe-
cisse imposturã, qui uel nascente adhuc Ecclesia, uel
illa toto terrarũ orbe subinde succrescẽte, sanctis ho-
minibus eas adscribere lucubrationes, quas illi nun-
quam lucubrauerunt (quemadmodũ falsò nimirũ diuo Petro Apo-
stolo pseudoeuangelion, Paulo pseudoepistolã, Mattheo Euangeli-
stæ librũ de ortu et natiuitate Deiparæ uirginis & infantia Saluato-
ris nuncuparunt: eodemq; modo deinceps paulò quidem posterioris
Clementi Apostolorũ discipulo, Clementi et Dionysio Alexandriae
 præsulibus,

præsulibus, Origeni Adamantio, Hilario Pictauiensi, Cypriano
 Carthagineũ. Episcopo & martyri, Tertuliano presbytero Carthagi-
 neũ. Hieronymo presbytero Stridonensi, Hugoni Cardinali, Bedæ
 presbytero uenerabili, Ioanni Scoto, idq; genus alijs multis non mi-
 nore sanctitate quàm doctrina claris hominibus factitarunt: utpote
 quibus aut suos aut aliorum falso libros adscriptitarunt: uel qui sin-
 stra quadam temeritate suis ueros autores nominibus, titulis & in-
 scriptionibus immutarũt, ueluti Gregorio Nysseno Episcopo fece-
 runt, quem minime Nyssenum, sed Emislenum falso uocarunt: uel
 qui lucubrationes aliorum, scriptis alienis intermistis, contamina-
 runt, aut obscurarunt, ueluti sigillatim Cypriani, Hieronymi (que li-
 bris iniquè factitarunt) ita planè credimus, eos in odium nuper nõ
 stri multo maligniorem fecisse imposturam, qui nobis adscripse-
 runt, nostro que sub nomine ediderunt ea, quæ nunquam nec uidi-
 mus, nec audiuius: nempe, quæ prorsus à nobis nostrisq; Catho-
 licis studijs aliena, planeq; notha & spuria, quamuis alioqui non in-
 docta, sed aliqua tamen ex parte hæreticorum dogmatibus confi-
 nia. Id quod sanè dignius admiratione censemus, quàm quod
 præmemoratis autoribus esse factum non ignoramus. Qui enim
 illis, aut suos, aut aliorum libros inscripserunt, aut illorum libris &
 operibus aliena uel admiscuerunt, uel intersperferunt, falsæ suæ
 inscriptionis, admixtionis & intersersionis rationè, quamlibet ad-
 umbratam, habere potuerunt: quàm, qui nobis sua uel aliorum
 scripta falso inscripserunt, nostro quidem iudicio, erga nos et libros
 nostros habere nequaquam possunt. Quod enim ipsi quõdam
 hæretici sua illis paulo antè præmemoratis autoribus Catholicis
 subq; ipsorum nominibus & titulis dogmata nominatim, quàm si-
 bi ipsis inscribere maluerunt, duas omnino præcipuas rationes in-
 ter cæteras habere potuerunt. In primis, ueluti credi par est, insu-
 darunt hæretici, quò suis hæreticis erroribus, quos, uti nunc fieri so-
 let, passim spargere moliebantur, ut autorem quempiam insignem
 & fauissorem conquirerent, & ut sui uoti compotes fierent, autorũ
 paulo antè præmemoratorum Catholicorum prorsus insignium
 abusi sunt titulis & nominibus, nacti nimirũ errorum suorum per
 librorum corruptionè patronos, id quod sibi de me nostræ tempe-
 statis nec hæretici, nec schismatici quoquo modo persuadere que-
 unt: quippe qui non ignorãt, me inter reliquos religionis orthodo-
 xæ doctores haud esse uel haberi alium, quàm Saulem inter prophe-
 tas olim, me que propterea nec sibi nec suis erroribus ullo pacto
 patrocinari posse. Deinceps inscripserunt isti hæretici uel pro-
 inde sua dogmata nominibus et titulis insignium uita et eruditione
 Catholicorum, uel certè Catholicorum libris errores suos admiscue-
 runt, ut ipsorum gloriam, gloriosamq; eorum famam suis hæresi-
 bus obnubilarent & obscurarent. Quũ enim iisdẽ hæretici uiderent
 famam

famam suam gloria Catholicorum in ecclesia crescente, non secus atque sidere quodam infirmamento caeli splendescente, quotidie magis ac magis obnubilari, plane que modis omnibus obscurari, in uvidia, non aliter atque cestro quopiam perciti, uenena conficere, cōspirationes meditari, milleq; obfuscandæ illorū gloriæ nocendi modos moliri fategerunt. Sed hac de causa inuidiam aduersus me illi nec Catholici, nec schismatici, nec hæretici habere possunt, quum nihil minus sim, quam cui quispiam iure debeat aut possit inuidere: nempe qui tam meo sum iudicio nullus, ut in me planè nihil aliud esse, de uel in quo gloriari me posse uerius putem, quam in & de ipso Domino Iesu, de que ineffabili eius gratia, quam sic ille misericorditer & clementer in me, uerè omnium minorum longè minimum cōtulit, ut uerissimè, rectissimèq; dubio procul cum Apосто lo illo Tarfense dicere cogar: Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me uacua non fuit; haud nescius, quod sim ipse me seducturus, si existimaturus sim, aliquid esse me, quum planè nihil sim. Qui proinde fieri possit, ut quispiam uereatur, suam per nos gloriam obscurari, propterea que nobis inuidere, nihil que mali contra nos & ad infamandum nomen nostrum, uel quamlibet prius obscurum, ad fingere, meditariq; quoquo modo debeat. Quandoquidem constat, inuidiam semper humilium securam alta petere, ipsam que propterea præclaros optimorum laudatissimorum que uirorum, quibus ut connumeremur, non est ut ambigamus, conatus à multis retrò seculis sugillare consueisse: atque ob id nullum fuisse unquam extra communem ingeniorum aleam positum, qui nō suos emissarios, obrectatores, æmulos, ofores & calumniatores sit expertus. Ipse uerò quū nullius sim gloriosæ fortis homo, non possum nō uehementer admirari, cur isti siue sint Catholicæ, siue hereticæ nomenclaturæ, tã nobis immeritò uelint inuidere, ut ob inuidiã alienas lucubratiões, & eas quidē suspectas, adscribere nobis cupiãt.

Hinc tametsi usque aded diu multum que nonnulli, non contēndæ conditionis ac fortis homines, quotidianis propemodum conuicijs à nobis efflagitauerint, ut librorū, quos authore Deo (nec uti speramus, sine magno multorum fructu) multis iam annis summa nimirum fide, nec minore nostri corporis nostræ que propriæ facultatis & substantiæ iactura, pro tam reparanda quam tuenda Republica Christiana, pridem (proh dolor & dedecus) multis sanè modis pessum iri cœpta, conscripsimus, aut indicem, aut regestum, aut Catalogum potius uarijs de causis ipsi contexeremus, ut propter iactantiæ notam, falso nobis fortasse per nasutos aliquot Momos, qui nihil non, quamlibet mercede laude que dignum, in sinistrorem semper fermè partem uertere consueuerunt, inurendam, nec clam nec palàm scribere ausi simus: usque aded diu multumq; tamen illorū flagitatibus uarias ob ausas reluctati sumus; ut eorum

eorū uotis ac petitionibus haud antea condescenderimus, quam nos ingens tuendi nostri nominis necessitas, qua non est telum durius aliud, condescendere coegerit.

Quū enim nuper non ex alijs solum fide dignis hominibus audi remus, sed ipse nostris etiam oculis aliquot passim scripta non minus ingenio quam odio contra nos apud quosdam præfertim Catholicos paulo morosiores, oppidò perquam plena nostro sub nomine circumferri uideremus, & ea tamen nequaquam pro nostris, cuiusmodi nec erāt, recognosceremus, sed ueluti planè supposititia rejiceremus: uisum nobis est tali tanto que in nos nostrarumq; lucubrationum lectores periculo, non alia uia rectius, facilius & efficacius, quam compendioso quodam nostrorum operum & librorum per nos ipsos scribendo proferendo que catalogo obuiam iri posse: quo uidelicet de nostris illi tandem lucubrationibus certiores facti, deinceps easdem non aliter atq; dubio procul nostras paulo tutius & securius legere possent, fortasseq; paulo propensius.

Est autem is à nobis in hoc ipso nostrarum lucubrationum Catalogo seruatus ordo. In primis operam dedimus, ut lucubrationes, quæ nobis tempore fuere priores, & ipsa dignitate facultatis inferiores, in suis perinde classibus præirent: & subsequerentur, quæ nobis tempore posteriores & dignitate superiores fuere, quemadmodum suo clarius est loco uidere. Id autem non casu, sed ex disposito, & quidem hac potissimum ratione fecimus, ut uidelicet eis, qui fortassis olim, nobis uita defunctis, quicquid nostrarum est lucubrationum suos in Tomos digesturi sunt, uiam qua facturi sunt hoc ipsum commodius, præscriberemus. Esse autem futuros, qui tale quid conaturi sint, hinc facile conijcimus, quod hoc etiamnum tempore nō parum multi sunt, qui se magnis id ipsum precibus à nobis exoraturis confidunt. Sed omnino ueremur, eos Hylam uocare: cū, quia tot tantisq; diu noctuq; negotijs obruti uerius, q̄ occupati, tanto labore minus suscecturi simus: utpote tam multis, tamq; non omnino uulgaribus iam antea pro Republica Christiana curis, uigilijs, laboribus sudoribus, & hoc genus modis utcunque pijs, ita profus exantlati & exhausti, ut uitrei cœperimus esse, non autem ferrei: tum quia non sit, qui ad tot tantosq; Tomos typis excudendos suppeditet impensas. Quandoquidem nostræ non sit neq; facultatis, neque opis, ut ex hoc misello nostro, eo que plus satis ere alieno pridem grauato Episcopatulo eas, quibus opus esset, impensas præstare possimus: nempe Codro longè pauperiores. Ad damus, quod Chalcographi sic usque aded per sectarios istos distendere cœperint, fieri que opulentiores, ut nunc per uniuersam superiorem Germaniam uix unus aut alter inter eos reperiatur, qui suis impensis ad tantum opus sufficeret. Hinc apud illos triplex inuenta est excudendi ratio. Sunt enim, & ij quidem cæteris ditiores,

ditiores, qui negotium suo periculo suscipiunt, sed raro, ut potest, quum uolumina sunt paulo minora, in quibus periculosa minus est alea. Sunt deinde, qui rem suscipiunt alterius periculo, ipsi tantum pro opera sua paciscuntur mercedem. Sunt insuper, qui rem communi periculo sociorum peragunt, uerum quorum, sicut nec illorum, modò paucos passim sit inuenire. quamuis non desint, qui factis pulchrè ad nostra sint animati, dubio procul nobis ob Christianaenae Reipublicae salutem gratificaturi, si ad sumptus sufficerent ipsi, quemadmodum nos, quib. curta domi supellex obstat, deficiamus.

Cæterum futuri fortasse sunt, qui propter easdem expensas partitionem Lucubrationum nostrarum nò intermittent, uerum potius ad cõficiendum opus omnem mouebunt lapidem. Qui ubi rem prouinciam que Chalcographiæ aggressuri sunt, in primum Tomum, nostro quidem iudicio, non inordinatim referre poterunt res Grammaticas, Poeticas, Musicas & Arithmeticas: in secundum uerò Tomum, res Dialecticas, Rhetoricas, Oratorias & Historicas: in tertium, res ipsas Physicas, Astronomicas, Miscellaneasq;: in quartum uerò Tomum, res Iuridicas: in quintum uerò & sextum, fortassis que in septimum usque, res Theologicas optimo iure relaturi sunt.

Deinde, uti prorsus omni deinceps imposturæ uiam, qua nuper contra nos abusi sunt nonnulli, intercluderemus, omnesq; in hoc genere diligentiae, synceritatis et fidei numeros absolueremus, addidimus singulis operibus & libris initia, numerumq; capitum, quoad fieri potuit, adiecimus. id quod in eis facere nequiuimus, quorum, quum uel nostra uel nostrorum uel aliorum negligentia et incuria, uel furto, uel incendio perinde fatali pridem perierunt, uel penes nos, quando hæc meditabamur, non fuerunt, meminisse non potuimus: qui & adiecturi fueramus singulorum capitum argumenta, nisi Catalogus ipse libro, sua etiam mole laboraturo, quam Catalogo similior, aut certè superuacaneus labor futurus fuisset.

Postremò hoc nostro non contenti labore, coniunximus subinde titulos & nomina eorum, quibus non tam ob morem non nuper, sed iam dudum toto terrarum orbe receptum, quam ob multiplicem rationem, quæ sicubi opus fuit, à nobis reddita est, dedicauimus, ne sua pro merito quisquã uel apud posteros in nostris operibus, profectò non ut ederentur illa, conscriptis, defraudaretur memoria: si modo nostra, posteritate digna ad posteros, in diuturniorem aliorum famam peruentura sint.

Quicquid autem Reuerendi, nobiles, præclari que uiri, domini & amici charissimi, huius nostri in hoc nostro nostrarum lucubrationum Catalogo conatus est & laboris, uobis præter innúmeras aliàs, & eas quidem uerè legitimas honestas que rationes, uel ob id inscribi perplacuit, quia nostrorum pro Ecclesia, fide, religioneq;

religioneq; Christiana studiorum uos ita studiosos accepimus, ut perquam plurimi uestrũ sint, qui uniuersas sibi nostras Lucubrationes etiam coniunctim comparare contendant, eas in gratam nostri pariformiter memoriam in uestras reposituri bibliothecas. Quod sanè tam nobis gratum fuit intelligere, ut nobis propterea placere quodammodo cõperimus: quoniam uos, tanti scilicet uiri, tantillas lucubrationes nostras hospitio tantarum suarum bibliothecarum, quas multo pluris ipsi cedrinis, in Apollinis templo, capsulis facimus, dignemini: nimirum longè digniores maioribus, uiuacioribus que monumentis, quæ, Deo bene propitio, non multo post (si lucis huius usura longiore fruemur) in animi erga uos nostri gratitudinis argumentum, daturi sumus.

Quod modò superest, summopere desideramus, ut quicquid huius nostri uobis oblatus est monumenti, perpetuum pariter nostri erga uos amoris sinatis esse pignus & monumentum. Inter quos ob frequentiore, & eam quidem literariam consuetudinem nominatim uerè nobiles, multisq; nominibus insignes uiros, Dñ. Franciscũ à Loeben, Dñ. Do minicum à Brockendorff Doct. Dñ. à Kriekau, Doct. D. Ioan. Logum Doct. D. M. Ioan. Neumeisterum, Dñ. Ioa chimum à Lidlauu, Dñ. M. Ioannem Milde, & horum collegas omnes, nostrosq; sine personarum acceptione confratres, indiscriminatim in D. nostro Iesu Christo, nobis chariss. semper incolumes & esse feliciter saluos magnopere cupimus. Viennæ Austriæ, VIII. Nouemb. Anno salutis humanæ MDXLVI.

FRIDERICI NAVSEAE BLANCI

CAMPIANI, EPISCOPI VIENNENSIS, LVCV-

brationum ab ipso diuersis rerum diuer-

farum argumentis conscriptarum, Catalogus.

RERVM IN PRIMIS GRAMMATICARUM scriptus est ab ipso.

Lib. I. id est, unus, Regularum de octo Orationis partium constructione ex Varrone, Diomede, Phoca, Donato, Seruio, Prisciano, Valla, Perotto, Mancinello, Lanciloto, Manutio, & hoc genus alijs tam antiquorum quam recentiorum Grammaticorum prole tarijs & antesignanis, ad compendium redactarum, ad Grammatices studiosos & auditores: uerum qui liber pridem uel negligentia periit, uel fortassis apud auditores, qui illum audientes in scholis exceperunt, adhuc delitescit.

Lib. II. Scholiorum in singulare quoddam opusculum D. Erasmi Roterodami de octo Orationis partium constructione, cuius initium est: Interpretaturus artis quædam Grammatices præcepta. Dedicatus Hieronymo Pullastrello à Vitalibus, Patauino.

PP Lib. I.

Lib. I. Amusset VII habens, de conficiendis Epistolis. cuius exordium est: Epistola, quam & unas literas numero multitudinis tantum adpellamus, &c. Inscriptus Friderico à Stampa, Rhœto, & Vuolphgango Rolingero, Patricio Augustano Vindelico.

Lib. I. Cōsiliōrum de puero literis instituendo, Cōsilia XXXIII continens. Cuius est exordium: Primum, parentibus, qui puerum, quem habent, arte quapiam institutum iri uolunt, &c. Guilielmo ex Baronibus à Schuuartzenberg, Christophori à Schuartzēberg filio, & Hieronymo Pullastrello dicatus.

RERVM POETICARVM.

Lib. I. Sectiones XLIII habens, de primordijs Poeticis, quo ad omnia carminum & uersuum genera. Cuius est auspiciū: Quod uobis optimi adolescentes, mea carminis condendi, &c. Dñ. Paulo Zabarellæ, Archiepiscopo Parieñ. consecratus.

Libri III. diuersi generis Centuriarum, Epigrammaton, ad ipsos diuos Cœlites, Max. Pont. Cardinales, Episcopos, Abbates, Monachos, Presbyteros, Imp. Reges, Duces, Principes, Comites, Barones, Regulos, & id genus Nobiles, Satrapas, ciues, uiros & iuuenes, præcipue doctrina pietateq; præcellentes. Cæterum, qui libri non coniunctim, sed sparsim seorsumq; nec quidem omnes, prodierunt, olim fortasse perfectius & absolutius prodituri.

Lib. I. Distichorum in omnia capita omnium librorum Lactantij Firmiani, utpote VII. Diuinarum Institutionum. I. de Ira Dei, I. de officio Dei, I. Epitomes, I. in Phœnicem, I. de passione Domini nostri Iesu Christi, I. de eiusdem Domini nostri Iesu Christi resurrectione. Christophoro à Schuuartzenberg inscriptus.

Lib. I. Encomij Patauinae ciuitatis in Italia, sub dominio Venetorum. Cuius est frontispiciū,

Cur foelicio omnibus per orbem

Terrarum urbibus (ut ferunt ubiq;)

Urbs dicor Patauina, quæris? an non?

Lib. I. de causa, propter quam ipse Fridericus Nausea paulo tardius redierit ex Italia in Germaniam. Ad Georgium Nauseam, fratrem germanum. Cuius initium est: Rectè, Georgi charissime mi frater, &c.

Lib. I. Encomij uillæ Pronumia, ad dñ. Franciscum de Doctoribus, Iurisconsultum, in Patauina Academia Pontificij Iuris ordinariū professorem: cuius exordium est: Splendida Doctorum, Francisce, corona uirorum, Quiq; tua doctos stirpe tenes titulos:

Lib. I. Genethliacus, in natiuitatem Dñ. Maximiliani et Dñ. Ferdinandi, Archiducum Austriae. cuius est auspiciū:

Huc descende polo, & hic age tibia,

Iam nunc diua nouum Calliope melos.

Huc quoq; ad res poeticas pertinent aliquot chiliades uersuum & poe.

& poematon, partim in lucem editorum, partim uerò adhuc latentium.

RERVM MUSICARVM ET ARITHMETICARVM.

Lib. I. Isagoges in Musicen, sed qui nondum prolatus in lucem, Viennæ Austriae in edibus D. Ioannis Cuspiniani, apud quem eundem lib. cum multis alijs nostris lucubrationibus, quarum nunc omnium meminisse nominatim nequimus, deposueramus, perijt (proh dolor) eo horrendo incendio, quo anno post Dominum nostrum Iesum Christum natum, MDXXV. maxima ferme pars inclytæ Viennæ ciuitatis in cineres abiit.

Liber I. Isagoges in Arithmeticen, qui pari modo cōsumptus eodem est incendio, nobis tum Romæ degentibus, in causa dominorum Teutonicorum.

RERVM DIALECTICARVM.

Liber I. Isagoges in Dialecticen, tractatus VII. complectens, ad emulationem VII. tractatum Logices Petri Hispani, ad Balthasarem Scipionem Vveissenburgen. nondum typis excusus, cuius ne unum penes nos est exemplar, sed unicum duntaxat reperiri putamus apud ipsum Scipionem, cui liber inscriptus est ipse, sub hoc initio, Isagogen Dialecticis traditurus.

Liber I. Principiorum Dialectices, continens in se Tomos VI. Quorum initium est: Isocrates, papæ, Gorgia: Liber uerò ipse dicatus est Dñ. L. Campegio, Cardinali.

RERVM RHETORICARVM ET ORATORIARVM.

Libri III. Rerum Rhetoricarum, quibus nomen Rhetor, multorum sanè capitum, haud dum editi, sed intra parietes adhuc delitescentes. Quorum est initium: Rhetor uariè nimirum, sed meliore quidem modo, &c.

Lib. I. Excerptorum ex lib. cui nomen Rhetor, & eius est exordium: Diximus in opere ipso, Oratorem in causis uersari, &c. Dedicatus est, & Venetijs impressus, Dn. Theodorico ab Haslach, Teutonicæ domus Patauij gubernatori, &c.

Orationes tam multæ quàm uariæ, ex quibus adhuc, quatenus meminisse possumus, supersunt paulo post subsignatæ.

In laudem Francisci Philelphi, & illius operum, ad auditores eorundem. Cuius initium est: Franciscus Philelphus, uir Italus, clarus, ut dicitur, parentibus ortus.

In laudem Iuridicæ facultatis, in susceptione insignium nostrorum Doctoralium LL. Imp. siue Iuris ciuilis, in archigymnasio Patauino. cuius initium est: Quum sciam P. C. hoc apud priscos illos Romanos in more fuisse positum, &c.

In præfatione repetitionis L. edita. C. de edendo: nondum typis excusa, cuius est initium: Circumspiciens PP.

In laudem Epistolarum Plinij unioris, cuius exordium est: Quum nuper Colophonem Ciceronianis Epistolis imposuisssem, &c. nondum edita, nec apud nos extans in praesentiarum.

Pro sedando plebeio in Germania aduersus Ecclesiasticum Equestremq; ordinem tumultu, ad Imp. Carolum V. semper Aug. cuius est initium: Etsi futuros non ignorem, &c.

In precellentem Christianae religionis, Christianiq; sacerdotij dignitatem, cuius initium est: Plurima sunt Reuerendi in Dn. PP. Ad Ecclesiasticam in inclyta Ecclesia Maguntina Synodum.

Ad ~~Erasmum Roterodamum~~ Roterodamum, hortans ipsum, quod se conferat ad Conuentu ordinum & statuum sacri Rom. Imp. Spirae, in negotio Christianae religionis, cuius exordium est:

Cuius quidem Orationis ipse idem Erasmus in quadam ad nos Epistola sub hysce uerbis meminit: Redditus est tuus libellus, qui uel hoc nomine fuit gratissimus, quod a Nausea ueniret, homine mihi longe charissimo: uell tamē istud operae tibi in argumento foelicioris sumptū fuisse, etiāsi consiliū, ut erat conceptū, processisset. Quo magis nunc friget tuus labor, postquam abrogatum est, quod tractas, etc.

Ad Dñ. Fridericum, Ducem Saxoniae, Imp. Electorem, &c. in negotio quoq; religionis, cuius initium est: Quum Christus Iesus, Seruator noster, omnis uerae pacis author, Friderice Princeps inclyte, idemq; Saxoniae Dux illustrissime, debellaturus erat huius mundi principem, &c. sed perijt haec quoq; prorsus Oratio, incendio Viennenē, non sine magno nostri animi dolore.

In utramq; Iesu Christi Opt. Max. natiuitatem, cuius exordium est: Quod dicturus apud uos, &c. ad Clerum Moguntinē, in uigilia Natalitij Christiani.

In annum Iubileum Heinrici Reuffen, ex Baronibus à Blauen, Ecclesiae Coloniae. Decani, cuius initium est: Etsi non parum multa sint PP. ad Clerum Moguntinum.

De reformanda Ecclesia, ad Ecclesiasticam in Ecclesia Moguntina Synodum, cuius est auspiciū: Quum anno superiore PP.

In gloriosā diuā Deiparae uirginis Mariae assumptionem, ad Clerum Mogunt. in uigilia assumptionis eiusdē Virginis Mariae, cuius est initium: Non casu PP. sed diuino planē nutu fieri crediderim, &c.

In annum Iubileum Dn. Thomae ex Comitibus à Reyneck, Ecclesiae Moguntinae Custodis, &c. ad Clerum Mogunt. cuius fronspiciū est: Nescio PP. quo uel casu uel fato comparatur.

In humanam Iesu Christi Dei Opt. Max. filij unigeniti natiuitatem, ad Clerum Mog. in uigilia natalitij Christiani, cuius exordium est: Non possum non esse uehementer anxius, &c.

In Coenobiticam uiuendi rationem, ad Religiosum montis S. Iacobi Moguntiae Conuentum, in ferijs S. Benedicti, quae sic exorditur: Non deerunt fortassis, Abbas in Christo Reuerende, &c.

De

De libris eorū, qui et quomodo sint à Christianis sub hęc nouissima tempora tuto legendi, ad eundē mōtis & coenobij S. Iacobi Mog. Coenuentum, cuius initium est: Inter tam multa q; praecleara laudū praeconia, &c. Quae quidem oratio deinde dicata est Dom. Valentino à Dieteleben, Doctōri Iurifcon. nunc Episcopo Hildeshaymensi.

In susceptione Imp. Caroli V. et Ferdinandi Hungariae Bohemiaeq; tum Regis & Archiducis Austriae, &c. & D. L. Campegi S. R. E. Card. & Clementis VII. Pont. Max. ad uniuersam Germaniam, &c. Legati, aliorumq; Principum, Ducum, Regulorū, & id genus multorum Saraparum ordinis Ecclesiastici & secularis Moguntiam ingredien. Anno post Christum natum M. D. XXX. mense Decemb. cuius in hęc uerba est initium: Inuictissime & gloriosissime Imp. August. Carole V. Serenissime & potentissime Hungariae Bohemiaeq; rex Ferdinande, Reuerendissime & amplissime S. R. E. Cardinalis, S. D. N. Clementis VII. à latere Legate, L. Campegi.

In sacrosancam Iesu Christi Opt. Max. natiuitatem, cuius exordium est: Haud sanē crediderim defuturos PP. ac FF. &c. ad Clerum Mog. Quae deinde consecrata est D. Matthaeo Langio, Card. & Archiepiscopo Saltzeburgen.

In obitu diuā Catharinae, Angliae reginae, Henrici Regis Angliae coniugis, cuius initium est: Quando quidem Ferdinande Caesar clementissime, Anna consors & huius Regina pietissima, &c. ad Mariam pridem Hungariae Reginam.

In ~~Erasmum Roterodamum~~ Erasmum Roterodamū, nuper uita defunctū, ad uniuersos Christianae pietatis professores, cuius inscriptio est Monodia, atq; sic incipit: Quod ingeniosus quondā Poeta.

In exequijs diuā Helisabethae, inclytae dudum Imperatricis, Caroli V. Imp. Rom. semper Aug. coniugis, cuius auspiciū est: Inter non parū multas & horrendas iniquitates & tyrannides, &c. in frequentissimo tam Ferdinandi Caesaris & Annae Reginae, Archiducum, Regulorū, caeterorumq; nobiliū, & tam Imp. & Max. Pont. quam Venetorū legatorum & oratorum, in superq; totius aule Regiae plebeiorūq; auditorio cathedralis Ecclesiae S. Stephani Viennae habita.

Pro ineunda in Christiana religione concordia, cuius est exordium: Abundē satis constat, &c. ad uniuersos in colloquio Vornat. Theologos et Oratores congregatos. Anno salutis humanae M. D. XL.

In exequijs diuā Helisabethae, Ferdinandi Caesaris, &c. filiae primogenitae, Sigismundi Augusti, Poloniae Regis conthoralis inclytae, cuius auspiciū est: Dicturus iuxta Catholicae Ecclesiae ritum, non nuper, sed iam olim pie receptum, &c. Ad uniuersos & proceres & plebeios frequentissime multitudinis in Ecclesia S. Stephani tum existentes habita.

Ad hanc classem orationum fortasse non ineptē referri possent praefationes, quas initio professionum & praelectionum autorum

PP 3 & libro

& librorum frequentes habuimus, prætereaq; dedicatorias ad eos, quibus pro loco & tempore nostras lucubrations ex more antiquitus obseruato, & à nostris pridem recepto, dicauimus epistolas. Quas tamen multis de causis suo tempore, si tantisper uixerimus, seorsum pariter in uno uolumine coeuntes edituri sumus.

Huc quoq; pertinent Chiliades epistolarum, quas adeò non scripsimus, ut ederentur, ut earum penè nullarum apud nos exemplaria reseruauerimus.

RERVM PHYSICARVM, ASTRONOMI-
carum, Miscellanearumq;

Lib. I. de terræ motibus, VII. cap. complectens, ad L. Truchseesium à Bomersfelden, Moguntinæ Ecclesiæ Decanum, cuius est initium, carmine:

Nostri Laurenti speciosa toto
Orbe laus, & dulce decus, leuamen
Maximum, tu gloria nostra magnum

Magna per orbem.

In soluta uerò oratione sic incipit: Quàm fuerit olim de terræ motu inter Physicos haud sine controuersia disputatio, &c.

Lib. I. de Natura cõmendationeq; thermarum, fontis præsertim Aponi Italiæ, à Patauio VI millia passuum distantis, ad Georgium Sonnensteiner, cuius est exordium: Verum esse fermè Georgi, inter paucos emunctissimè, &c.

Lib. I. Explorationis cometarum, ad Cæsarem Ferdinandum, Archiducem Austriæ, &c. cuius est principium: Tameñ omnifariam eruditus homo, &c. Complectitur autem liber ipse XVII. cap.

Lib. VII. Rerum mirabilium, quorū singuli sua singula continent capita. Primus lib. cap. habet V. Secundus IX. Tertius X. Quartus XI. Quintus VI. Sextus XVII. Septimus VII. capita complectitur. Ipsum uerò totum opus incipit: Si uel iam olim nõ defuerunt, &c. De dicatum Domino L. Campegio Card. & D. Thomæ Campegio, fratri Card. germano, Episcopo Feltren.

Lib. I. Genethliorum, siue super natiuitate Ioannis, Cæsaris Ferdinandi, Archiducis Austriæ, &c. tertio geniti, ad uniuersos inclytę Bohemiæ regni status & ordines, & ad Sigismundum Augustum, Regem Poloniæ, cuius initium est: Quum nuper è Praga Moguntiam per frequentiora Romani Imp. loca proficisceremur.

Lib. I. de Locustis, cuius initium est: Quum duobus hęc, quod constat, annis, &c. ad Dominum Maximilianum & D. Ferdinandum, Archiduces Austriæ.

Lib. I. Topothesiæ Coloniæ Rheni, & Ratisbonæ ciuitatum, cuius exordium est: Si quot & quales ex omni, quæ sub cœlo est, natione, &c. Ad Dominum Otthonem Truchseesium in Vualtpurg, Card. & Augustanum Episcopum.

RERVM

LVCVRAT. CATALOGVS.
RERVM HISTORICARVM.

Lib. I. Restitutionis & in ordinem seriemq; digestionis lib. Aenæi Syluij, qui deinde P. P. II. de origine, progressu, decoreq; Rom. Imperij, Ad D. Martinum Guzmanum, Ferdinandi Cæsaris Consiliarium, & intimum Cubicularium, cuius initium est: Compellit me, diue Friderice, Cæsar Auguste, Imperator pijsime.

Lib. I. Epitomes uitarum Pij II. Pont. Max. & Friderici III. Imp. Rom. semper Augusti, ad eundem D. Martinum Guzmanum, cuius est initium: Fridericus Romanorum Rex atq; Imperator, &c.

Lib. I. Annotationum in Anonymi Philaleti Eusebiani in uitas, miracula, passioneq; Apostolorum, rapsodias, ad D. Guolphangum à Grunensteyn, Abbatem Campidonen, cuius exordium est: Si non prorsus clam est Reuerendiss. pater, &c.

RERVM IURIDICARVM.

Lib. I. Repetitionis L. edita, C. de edendo, cuius initium est: Ex more repetiturus famigeratissimā L. edita, C. de edendo, sed nondum prolatus typis chalcographorum in lucem.

Lib. I. Problematon in tit. ff. de Regulis iuris, cuius auspiciū est: Non opus censuerim, ut in præsentem nostram prouinciam multis præsemur. Hadriano VI. Pont. Max. consecratus.

Lib. III. Paratilorum in III. lib. institutionum Iustitiani Rom. Imp. quorum initium est: Quoniam præstantissimi auditores, hoc uos tempore, &c. sed quorum librorum unus tantum Venetijs excusus, & Clementi VII. Pontifici Maximo consecratus extat: reliqui uerò tres, qui iam iam debebant excudi, nescimus quorum familiarium incuria furto sublati sunt, fortasse sub alterius nomine sic uel proditi, uel prodituri, ut cum doctissimo poetarum merito simus dicturi,

Hos ego uersiculos feci, tulit alter honores.

Sic uos non uobis nidificatis aues.

Sic uos non uobis uellera fertis oues.

Sic uos non uobis mellificatis apes.

Sic uos non uobis fertis aratra boues.

Libri LXII. Ilagoges in omnes titulos Pandectarum, siue Digestorum iuris civilis, quorum est initium: Puer olim rimandæ ueritatis paulo auidior, &c. sed qui in lucem nondum prolatus sunt. Quemadmodum penes nos adhuc intra parietes delitescit aceruus collectaneorum in leges Imperial. & canones pontific. haud dum editorum.

Lib. I. Decisionis controuersiæ, qua controuersum est, An acceptationi uigore gratiarum sit locus, gratijs per Papam suspensis: cuius initium est: Pontifex Maximus, adeoq; S. D. N. PP. suum ex Roma misit Legatum ad Regem Roman. &c. Ad Augustinum Fabium.

Lib.

Lib. I. Responsorum, unâ cum eorundem declarationibus et moderaminibus sacrosanctæ sedis Apostolicæ, ad aliquot Germanicæ nationis aduersus illam grauamina. Cuius quidem lib. initium est: Haud sanè dubitandum est, &c. Ad uniuersos Christiani orbis statûs & ordines: Qui deinde lib. dicatus est Domino Alexandro Farnesio, S. R. E. Cardinali & Vicecancellario. Ad quem dedicatoriæ epistolæ exordiū est: Quod in edendis sacrosanctæ sedis Apostol.

Lib. I. Locorum insignium utriusque iuris, iuxta ordinem & seriem elementorum alphabeti. Cuius est initium: Absentia eius, qui reipub. causa abest, et in altera parte, actio est de iure ciuili. Sed liber iste nondum prodijt in lucem.

Lib. III. de legibus interpretandis, quibus est titulus Scauola, in quo colloquitur Q. Scauola magister, & M. T. Cicero discipulus; uerum, qui nec idē ipse liber adhuc excusus est, incipiens: Instituenti mihi Q. Scauola præceptor, paucos intra dies patriâ repetere, &c.

Lib. I. Quæstionum & solutionū super bonis per Clericos post mortem relictis, & eorum testamentis & successoribus, cuius est initium: In primis uenit in quæstionem, &c. Quæstiones XIII. complectens, consecratus Dom. Vuolphgango ex comitibus à Salmis, Episcopo Patauiensi.

RERVM THEOLOGICARVM.

Lib. I. Primitiarum theologiarum, in decantatissimum S. S. Ambrosij & Aurelij Augustini hymnum, cuius auspiciū est: Te Deum laudamus, te dominū confitemur, &c. sed in lucem nondū prodijt, uisus autem & cum commendatione lectus ab insigni D. Ioan. Cochlearo, præceptore nostro non pœnitendo. cuius est exordium: Haud sanè tam suppliciter quàm piè *παινωδῶς* auspicatur.

Lib. I. de uenerabili Eucharistiæ sacramento, initium eius est: De sacrosancto tremendoq; Eucharistiæ sacramento loquuturus, &c. ad discipulos communicaturos. Cæterum qui quoq; liber, uti uere mur, negligentia periit, aut apud alios delitescit.

Lib. I. Decisionum & declarationum in XII Christianæ religionis articulos, cuius est auspiciū: Quos nuper P. C. ad me isthinc iuxta fidei Christianæ atque religionis articulos, &c. ad Senatum Norimbergensem.

Lib. I. Distichorum in omnia opera C. Lactantij Firmiani, cuius exordium est:

O mihi si celso labatur ab æthere uirtus,

Quæ tibi Lactanti dogmata sacra tulit.

Ad Christophorum ex Baronibus à Schutartzenberg.

Lib. XII. Diuorum, uitas illorum iuxta numerum mensium anni continentes, sed quorum nunc nec initium, nec finem propterea meminisse quimus, quoniam illos rogati ante non parum multos annos deposuimus apud Reuerendiss. & Illustriss. Principem ac Dominum,

minum, D. Albertum Marchionem Brandenburgensem, Card. & Archiepiscopum Mog. à quo per nullam hactenus commodam occasionem rehabere potuimus. Qui si quoquo modo perierunt, nihil est ob quod magis dolere possimus. Siquidē opus sit iustæ magnitudinis, & à pietate, quatenus ipsi censemus, nusquam abhorrens.

Lib. I. Crisis de Diuinis in Ecclesia officijs, in uernacula lingua agendis. Cuius initium est: Eorum qui Latinam Diuinarum in Ecclesiarum agendarum formam commendant, etc. Ad Senatum Norimbergensem.

Lib. I. Præcludiorum in eisdem Diuorum libros, continens XII. cap. Eius est exordium: Quos pleriq; omnes abusione magis quàm consuetudine sanctos adpellarūt, haud sanè ideo hac in parte alijsq; Diuos nominandos duximus, &c. ad D. Ioannem Matthæum Giberum, Episcopum Veronen.

Lib. I. Homiliarum in communes aliquot Euangeliorum locos, partim in Ecclesia Fræcforden, apud Moenū, partim in Ecclesia Moguntinen. pro concione habitatum, Quarum priorum initium est: In nomine Iesu Christi opt. max. hodiernam meam, eandemq; primā ad uos, fratres in Domino charissim, icōcionem auspico, &c. Ferdinando tum Archiduci Austriæ, & in Rom. Imperio locum tenenti, dicatus.

Lib. I. Interlocutoriorū in XXXIII. Articulos cuiusdam nouæ reformationis & ordinationis Ecclesiæ, Cuius est frontispiciū: Si, quemadmodum constat, iura Cæsarea, quæ nec in hac parte sine Deo constituta sunt, &c. Dedicatus autem Decano & Capitulo Ecclesiæ Moguntineni.

Lib. I. Quinq; singularium Concionum in Teutonico pariter idioma. quarum Prima est, de uera in Christum fide. Secunda, de uera Christianorum charitate. Tertia, de Christiano luctu & planctu pro mortuis. Quarta, de uera consolatoriaq; fidei constantia aduersus Turcam. Quinta, de efficacibus contra pestilentiam remedijs. Domino Laurentio Truchsefsio à Bomersfelden, Decano Moguntino dedicatus.

Lib. I. Censuræ, unâ cum solutione trium quæstionum, Zuingliana dogmata concernentium. Cuius initium est: Quales sint habēdi, qui Zuinglianae fidei sunt: Nulli dicatus.

Lib. I. Metaphraseos in Euangelion Matthæi, capitā cōplectens XXVIII. Quod sanè opus satis iustæ magnitudinis, quia modò cum quibusdam alijs nostris nondum per typographos excusis operibus ad manus haud est, eius initium huc certo referri nequit. Id quod parum, uel nihil referre crediderimus.

Lib. I. Catholicorum, in XII. Articulos fidei Christianæ symboli Apostolici, contra uniuersos Catholicæ fidei aduersarios. Cuius initium est: Quam sim & periculosam & difficilē subiturus prouinciā,

QQ etc. Carolo

&c. Carolo Quinto Imperatori Augusto, et Ferdinando Cæsari consecratus.

Lib. I. Appendicis Catholicorum, in qua & fidei tractandæ atque hæreseos discernendæ qualitas, & hæreticorum multa aperitur. Cuius est auspiciū: Quandoquidem fratres charissimi, non addubitauerim futuros.

Lib. I. Miscellaneorum pro horis Canonicis, XXII. capita comprehendens. Cuius principium est: Quamuis charissimi in Domino fratres, haud absque animi mei dolore, &c. Domino Marquardo à Stein, Moguntinen, Bambergens, & Augustens, Ecclesiarum Præposito & Canonico dedicatus.

Lib. I. Miscellaneorū pro sacrosancta Missa & eius officio, cōtinens XLII. capita. cuius exordiū est: Reueris à predicatione, ad quā missi erant, ad Iesum discipulis, etc. Dn. L. Truchsesio à Bommersfelden, & Dn. ab Erenberg, Decanis Moguntinēsis in scriptus.

Liber I. Consiliorum super negotio coniugij Sacerdotum, uotoꝝ Monasticorum, Iurisdictionis Ecclesiasticæ, magistratuumq; prophanorum. Quem lib. ad instantiam & iussione Dn. Alberti Brandeburgen. Card. & Archiepiscopi Mogū. &c. cōcinnauimus, pro negotio religionis, quod tum Augustæ Vindelicorum in Comitibus illis Imperialibus, anno à Christo Iesu nato M D. XXX. tractandum erat: uerū, qui liber editus haud est, nec edendus tam facile, nisi in quodam Oecomenico Concilio. id quod pariformiter expectant lib. VIII. Syluarum Synodalium, à multis summo opere desiderari coepti.

Lib. I. cuiusdam paulo prolixioris Homilij, primitiarū Sacerdotium. Cuius est auspiciū: Ut quæ (duce Deo) dicturus sum, facilius accipiantur, &c. Domino Ioanni Monstero, Episcopo Vicecomponen. Suffraganeo Moguntino, et Domino Ioanni Abbati S. Iacobi Mog. consecratus.

Lib. I. Idemq; Panegyricus in diuam Deiparam uirginem Mariam, cap. XIII. complectens. Cuius frontispiciū est: Quod Herculi quondam inclyto heroi, in interficienda hydra accidit, &c. Domino Bernardo à Gles, Episcopo Tridentino consecratus.

Lib. I. De patientiā, continens VIII. capita. Cuius est principium: Ut nemo est, qui modò mentis sit compos, qui uelit suam saluatam iri animam, &c. Domino Guilielmo, Episcopo Argentinensi dedicatus.

Lib. I. Annotationum, instar scholiorum, in cuiusdam Anonymi Philaleti Eusebiani Rapsodias uitarum, miraculorum, passionumq; XII. Apostolorum. Eius initium est: Quum uenisset Paulus Romam, &c. Dicitur Domino Guolphango à Gronenstein, Abbati Campidonen.

Lib. I. Enarrationum in lib. Tobie, comprehendens XIII. cap. Quorum

Quorū primum periodos habet VIII. Secundū IIII. Tertium IIII. Quartū VIII. Quintum IIII. Sextum III. Septimum II. Octauū VI. Nonum II. Decimum II. Undecimum II. Duodecimum III. Tredecimum I. Quartumdecimum unam quoque habet periodū. Subiuncta est deinceps Allegoria eorum, quæ in lib. Tobie traduntur. Est autem huius Enarrationum libri frontispiciū: Qui ædibus nō una in parte, sed passim incēdio laborantibus succurrit, etc. Domino Hieronymo Aleandro, Cardinali & Archiepiscopo Brundusino dedicatus.

Lib. I. Heptalogon, in VII. gloriosissimæ Deiparæ uirginis Mariæ ferias. Cuius initium est: Magnæ prorsus & admirandæ diei agimus memoriā, &c. Domino Ioanni Fabro, Episcopo Viennen. & Nouæ ciuitatis in Austria Coadiutori, consecratus.

Lib. IIII. Centuriarum, id est, CCC. Homiliarum ueritatis Euangelicæ super totius anni Euangelij, quæ usitato more in Ecclesia ordinatim legi solent, & super locis communibus eorundem tam de tempore quàm de Sanctis. Cuius operis sua propemodum mole laborantis initium est: Sacrosancti nimirum temporis initium hodie agimus, &c. Et est id operis Domino Ferdinando Cæsari, & Domino Alberto Brandeburgen. Marchioni, Card. & Archiepiscopo Moguntino, &c. consecratum.

Lib. I. Duarum Centuriarum, id est, CC. Homiliarum ad instantiā Annæ, Rom. laudatissimæ Reginæ, à nobis in linguam uernaculam translatarum, super omnibus Euangelij totius pariter anni tam de tempore quàm de Sanctis. Eius est operis initium: Fratres et sorores in Domino charis. Dicitur uerò Ferdinando, Romanorum, &c. Regi, Archiduci Austriæ.

Lib. I. Christianarum precationum, in idiomate Germanico, continens IIII. partes. Prima earum complectitur paraphrases Symboli Apostolici, Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, & alias preces diarias. Secunda possidet preces ad omnes partes sacrosanctæ Missæ compositas. Tertia preces occupat, quas uocant Collectas, & preces in Epistolas & Euangelia, quæ legi solent in officio Liturgiæ tam Dominicis diebus, quàm per aduentum Domini & Quadragesimam. Quarta continet preces cōsimiles ad ipsos cœlites, orari solitas in eorundem ferijs. Quinta de mum complectitur orationes ad Deum opt. max. pro concedendis bonis, & submouendis rebus malis tempore tribulationū & aduersitatum. Et est hic liber à nobis dudū conscriptus ad instantiā Annæ, inclytæ Rom. Hungariæ, Boemiæq; Reginæ, eidemq; propterea in prima editione dedicatus: deinde uerò recognitus & auctus. In secunda editione consecratus est unā cum domina matre inclytis Principibus, Domino Maximiliano & Domino Ferdinando, Germanis fratribus, Archiducibus Austrig.

Lib. I. Serm. super eo quod Christus ait: Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei. Cuius initium est: Inter perquam plurima charissimi, &c. Inscriptus Domino Matthiæ Heladio, Doctori, tunc Imp. Caroli V. Vicecancellario.

Lib. I. Homiliaticæ Apologiæ pro salutatione Angelica aduersus Schismaticos. Cuius est initium: Quoniam superioribus diebus apud non parum multos in quæstionem ueniret, &c. Inscriptus est autem Illustrissimo Principi, Domino Georgio, Duci Saxoniae, &c.

Lib. I. Metaphraseos in XIX. Psal. Dauidis, Exaudiat te Dominus in die tribulationis, &c. Initium est, Metaphraseos, &c. Inscriptus autem Cæsari Ferdinando, bellum & prælium commissuro contra Turcas, Hunguriam tunc magnis exercitibus inuadentes.

Lib. I. Catholicarum in totius anni tam de tempore quam de Sanctis Euangelia Postillarum & Homiliarum Epitomes, duas complectens partes, quarum prior est de tempore, posterior uero de Sanctis. Prioris initium est: Quam magnopere conueniat charissimi, &c. Posterioris autem: Quoniam Catholica Ecclesia die hodierna agit memoriam Dñi Andreae Protoapostoli Iesu Christi, nostri seruatoris, &c. Domino Maximiliano, & Domino Ferdinando fratribus, inclytis Austriae Archiducibus inscriptus.

Lib. I. Metaphraseos in LXXVIII. Psal. Dauidis: Deus uenerunt gentes, &c. unâ cum paraphrastica ex eo Psal. precatio. Eius est lib. exordium: Quanquam præsens Psalm. &c. Consecratus idem uero Psalmus est Domino Paulo à Vuarda, Archiepiscopo Strigonien. totius Hungariæ Regni Archicancellario, locumq; tenenti.

Lib. I. Sermonum Aduentualium. Cuius frontispicium est. Tametsi cuncta sint momenta & tempora, creatione quidem paria, necnon æquæ sancta, &c. Domino Alberto, Marchioni Brandenburgens. S. R. E. Card. Legato nato, & Archiepiscopo Moguntino, &c. dedicatus.

Lib. II. Sermonum Quadragesimalium, quorum priores habent initium: Faxit Deus ille opt. max. in Domino charissimi, sua Diuina gratia & misericordia, &c. & sunt à nobis Domino Bernardo à Gles, S. R. E. Card. & Episcopo Tridentino consecrati. Posteriores autem exordium habent: Si iuxta scripturam propter peccata ueniunt tam temporalia quam æterna aduersa, &c. Consecrati uero sunt Domino Matthæo Langio, S. R. E. Card. Legato nato, Archiepiscopo Saltzburgen.

Lib. I. Fragmentorū LI. Homiliarū tã de tempore, q̄ de Sanctis. Cuius

Cuius libri frontispicium est: De Dominico Christi opt. max. aduentu, cuius hodie solennitatem Catholica Ecclesia recolere incipit, aliquid ex more dicturus &c. Consecratus est Dñ. Erhardo de Marca, S. R. E. Card. Archiepiscopo Valentino, & Episcopo Leodiensi.

Lib. I. Metaphraseos in I. cap. Euangelij S. Ioannis: In principio erat uerbum, &c. Cuius exordium est: Vestram equidem dilectionem, charissimi, oratam mangnoperè uelim, &c. dicatus est Dñ. Georgio, Episcopo Secouienfi.

Liber I. Pragensium XXXIII. concionum, super eo quod Christus ait: Omne regnum in se diuisum desolabitur. Cuius est exordium: Quandoquidem Catholica Ecclesia tanquam pia mater, &c. de dicatus Domino Ioanni Morono, S. R. E. Cardinali, & Episcopo Mutinensi: & Domino Ioanni Vuesæo, electo Archiepiscopo Lunden. & confirmato Episcopo Roschilden. nunc autem Episcopo Constantien.

Lib. I. in Dominicam Iesu Christi passionem. Cuius est auspiciū: Regius ille ecclesiastes et bibliacus in VII. sui libri capite dicit, &c. Domino Vuolphgango à Gronenstein, Campidonensi & Domino Geruico Plarero, Montis Sancti Martini de Vineis, Abbatibus.

Lib. I. Concionum Pragensium XV. super eo quod scriptum est, Prouerbiorū XXI. Equus paratur ad bellum, Dominus autem tribuit salutem. Cuius auspiciū est: Etsi uerba præsentis, hodierniq; Euangelij iuxta literam planè referenda sint ad ipsos Domini discipulos, &c. Consecratus autem Domino Ernesto Duci Bauariæ, Archiepiscopo Saltzburgen. &c. & Domino Guolphgango Præternero, supremo ordinis S. Georgij magistro.

Lib. I. duarum concionum in lingua Theutonica, de institutione, conditione, conseruationeq; status Christiani matrimonij. Cuius initium est in latino idiomate: Opinor, equidem, nobis hodie Euangelion satis suppetiarum contra omnes hæreticos laturum, &c. Dedicatus Domino Guilielmo ex Baronibus à Rogenдорff, supremo curiæ Ferdinandi Cæsaris magistro: & domino Ioanni Hoffmanno, inclyto Baroni, Rom. Regis Ferdinandi consiliario intimo, &c.

Lib. I. de præcipuis huius temporis aduersitatum causis. Cuius initium est: Agimus hodie charissimi, iuxta non nuper, sed anti quitus receptam maiorum nostrorum consuetudinem, &c. Dedicatus Domino Carolo Capellio, senatori & oratori Veneto, ad tã Imp. Carolum V. quam Ferdinandum Cæsarem.

Lib. V. Rerum conciliarium, quorum primus habet XII capita. Secundus XVI. Tertius XVII. Quartus XX. Quintus XXI.

QQ 3 Quorū

Quorum initium est: De concilio, deq; rebus & conditionibus ad concilium pertinentibus pro loco & tempore, ut poterimus, perquam breuissimè scripturi; &c. Consecrati sunt omnes libri Domino Paulo III Pont. Max.

Lib. I. Responsorum ad aliquot Germanæ nationis grauamina. Cuius est exordium: Haud sanè dubitandum est, &c. Domino Alexandro Farnesio, S. R. E. Card. & Vicecancellario consecratus. Quamquam hunc quoq; lib. reposuimus in ordinem rerum iuridicarum, quòd magna etiamnum ex parte Cantonibus Põtificijs sit & legibus Imperialibus communitus.

Lib. I. Paraphraseos orationis Dominicæ in uernacula lingua. Cuius initium est: Primum de uerbo ad uerbum subsequitur, &c. Ad senatum Regium, quem Regimen uocant Viennæ.

Liber I. de exemplari & formula Concionis Latinæ & Germanicæ; tempore belli ad milites Christianos contra Turcas habendæ. Cuius initium est: Quandoquidem domini & amici, &c. Dicitur autem Domino Marco Becken à Leopoldsdorff, Decurioni, & Ferdinandi Cæsaris. Prætorio, per Austriam Protonotario, siue Cancellario.

Lib. I. Recognitionis declamationis Erasmi illius magni Roterdami in encomium matrimonij, cuius est initium: Quamquam pro tua singulari sapientia, &c. Ad Guillelmum Montioium, dicitur diuæ Helisabetæ, Poloniæ Reginæ, Ferdinandi Cæsaris filia primogenitæ.

Libri VI. Catholici Catechismi. Quorum primus est in prælu dia Catholici catechismi, habès capita XIII. dedicatus tribus S. R. E. Cardinalibus, Domino uidelicet Reginaldo Polo, Domino Petro Paulo Parrhisio, Domino Ioanni Morono, sedis Apostolicæ, a deo que Pauli III. Pont. Max. ad Oecumenicam Tridenti Synodum Legatis & commissarijs. Secundus est, de duodecim Christianæ Catholicæq; fidei articulis, habens duodecim articulos, D. Marcello Ceruino, S. R. E. Cardinali dicitur. Tertius est de septem Catholicæ ecclesiæ Sacramentis, quorum singuli tractatus singula sua complectuntur capita. dedicatus autem D. Alexandro Farnesio, Card. & S. R. E. Vicecancellario. Quartus est de x præceptis Decalogi, in se continès cap. x VIII. dedicatus D. Marino Grimano Veneto, S. R. E. Cardinali. Quintus est de Catholicis Ecclesiæ Catholicæ precationibus & orationibus, complectens x XIII cap. deditur D. Hieronymo Verallo, Archiepiscopo Rosano, Pauli III Pontificis Maximi ad Ferdinandum Cæsarem, nunc uero ad Carolum V. Imp. Legato. Sextus est de Catholicis ecclesiæ Catholicæ ceremonijs, habens duas partes. Quarum prima continet ceremonias de tempore, complectens XLII cap. Domino Alberto Marchioni Brandenburgensi, Cardinali et Archiepiscopo Moguntino, &c.

&c. Secunda continet ceremonias in ferijs sanctorum fieri solitas, habens capita XIII. Dedicata Domino Ioanni à Maltitz, Episcopo Misnensi dignissimo. Est autem hoc ipsum totum Catholici catechismi opus cum singulis ipsius coniunctim libris VI. consecratum S. D. N. Paulo III. Pontifici maximo. Nec est, ut hoc loco huius operis Elenchum fufius extendamus, quum eidem operi, quòd dudum ad Dei optimi maximi gloriam & eius ecclesiæ decus & cõmodum, non sine (sicuti uulgo prædicant) multorum fructu prodijt, index sit unà cum argumentis capitum prepositus satis ingens. Ipsius autem operis auspiciu est: Quum Iudæi uel in hæc usque tempora, &c.

Lib. I. Enarrationis Decalogi, cuius initium est: Quoniam Deus ille omnipotens à principio creator, pater ac Dominus, &c. Helisabetæ Reginæ pridem Poloniæ, Archiducissæ Austriæ, &c. dedicatus.

Liber I. Christianæ expositionis in principium Euangelij S. Ioannis: In principio erat uerbum, &c. Eius est exordium: Quandoquidem omnium hominum salus et beatitudo in uera fide sita sit & pendeat, &c. Generoso Domino Gaudetio à Madrutseh, Regio in timo consiliario, &c. dicitur.

Lib. I. Secretorum, narràs causas calamitatum Principum & Potentatum huius temporis. Ad Cæsarem Ferdinandum, haud dum editus, nec adeò statim edendus.

Lib. I. Consolationis, ad eundem Dominum Ferdinandum Cæsarem, in quo Maiestas sua Regia Philosophicè Theologicèq; consolatur, ob ingens et horrèdum fataleq; propemodum istud incendium, quo Anno post Christum natum MDXLI. magna ex parte Pragæ templum S. Vuenceslai, quo uix pridem fuit aliud aut maiori amplitudine, aut adparatu magis uisendo, simul cum magnifica uere que Regia illic arce, paruaq; ciuitate (sic enim uocant tertiam, & eam quidem minorem, Pragensis ciuitatis partem, & alio pariter nomine paruuum latus) non sine summa multorum Boemorum, eorum que inclyti Regis iactura, penè conflagrauit, rebus eodem ferme tempore, belli reiçq; militaris in Hungaria parum feliciter, uti ferebatur, administratis.

Libri VIII. Syluarum Synodaliu. Quorum primus est ad sacrosanctam Synodum, habens periodos XII. Secundus habet partes quidem duas. Prima est, de in ipsa Oecumenica Synodo per Catholicos inibi seruandis: habens periodos XI. Secunda est de petendis & stipulandis per Catholicos à Schismaticis, habens periodos XIII. Tertius liber est de ordine progrediendi in Synodo in negotio religionis & fidei, habens periodos IIII. Quartus liber de Christiana Catholicorum confessione, aduersus Augustanam Protestantium confessionem, super controuersis Christiana

Christianæ religionis articulis, habet confessiones xxvii. Liber v. de præcipuis quibusdam Clericorum & Laicorum abusibus pro reformanda ecclesia tollendis, à max. Pont. usq; ad infimum clericum, & ab Imp. Romano usque ad infimum Laicum. Sextus lib. de modo tollendorum & moderandorum omnium abusu, quotquot sunt in ecclesia militante. Vbi additur Appendix habens duas periodos. Prima est, de singularibus quibusdam obseruantijs in Clero, citra omnem dispensationem, partim omnino obmittendis, partim prorsus faciendis. Secunda, de quibusdam singularibus obseruantijs per Laicos partim seruandis, partim obmittendis. Septimus lib. habet periodos x. quas suo loco uidebis. Octauus lib. habet periodos xxii.

Lib. iiii. Appendicis præmemoratorum viii. librorum Synodaliũ syluarum, qui suo loco & tempore (sicubi necessitas exoptulauerit) proferentur.

Lib. i. Consultationis super reconciliandis in religione Christiana dissensionibus, nondum prolatus in lucem, sed ad Cæsarem Ferdinandum, ad ipsius iussione[m] conscriptus. Cuius auspiciu[m] est: In primis, ubi suo loco & tempore tractatores siue colloquutores conuenerint &c.

Libri v. de consummatione seculi, super eo quod Christus ait: Amen dico uobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fient. Quorum singuli capita sua habent singula, sed nullus adhuc editus, omnes autem adsignati Domino Ioanni à Maltitz, Episcopo Misnensi dignissimo.

Lib. i. Consolatoriorum sermonum, super eo quod Dominus Iesus ait: Beati qui lugent, quoniam consolabuntur. Qui quoque liber nondum prodijt, nec alicui dicatus, sed S. P. Q. V. id est, Viennen. deputatus, nec immerito dedicandus, quum ipsi illos quidem Sermones pro concione in tempore summarum calamitatum uiua uoce dixerimus ad eundem S. P. Q. Viennen.

Lib. iiii. de Antichristo, sua quoque sigillatim capita continentes, sed nondum in lucem prolata, nec alicui consecrati: uerum consecrati, Deo opt. bene fortunante, Domino Sebastiano ab Heusenstain, Archiepiscopo Moguntino, Principi electori.

Libri iiii. Methodi de ratione concionandi, dudum lectori Centuriarum promissi, & ab omnibus, ut fertur, diuini uerbi præconibus diu multumque desiderati, sed Colophona nondum nacti, atque proinde nulli adhuc dedicati, sed quibusdam non illauidatis Austriae Prælatiis dedicati. Eorum autem est exordium: Quum quod factis abunde constat, non modo multum proficit, sed magnopere quoque necessarium censeatur, &c.

Lib. i. Enarrationum in lib. Iudith, qui capita continet xvi. & eorum quodlibet suas distinctas habet lectiones. Quem nunc ita pro lo-

pro loco & tempore Viennæ in Ecclesia nostra Cathedrali S. Stephani, pro concione declaramus & exponimus, ut arbitramur, eum nos debito (utinam non sinistro fato) tempore finituros, Cuius initium est: Quum Christus Dominus, idemque Seruator noster unicus, &c.

Libri iiii. De nouissimo huius seculi die, idemque supremo eius iudicio. Qui quum sint à nobis, eundem diem, idemque iudicium meditantibus, & non absque causa quocumque momento expectantibus, non tam concepti, quam concepti, haud sanè est, ut quispiam eorum sit, uel initium, uel capita, uel argumenta desideraturus: maximè, quia plus nimio præforibus sit, quod inibi seriò, nec obiter, nec oscitanter tractamus.

Lib. iiii. de noua Hierusalem. Quos, quum similiter magis conceperimus, quam inceperimus, haud opere precium censemus, ut illorum capita & argumenta nondum definita, definiamus. Faxit autem Deus ille Opt. Max. ut, quæ concepimus, perfectis, in eius gloriam, & eius Ecclesie nostris omnium salutem fortiter & constanter cum sancto Apostolo dicere queam: Desiderium habeo dissolui, & esse cum Christo multo magis melius, permanere autem in carne propter uos, utpote cui uiuere Christus, & mori lucrum sit. Nec minus interim opto, ut hilariter & ex animo nunquam non cum diuo illo Martino, absolutissimo modis omnibus Episcopo Turonensi, ad Dominum dicturus sim: Domine, si adhuc populo tuo necessarius sum, non recuso laborem. Fiat uoluntas tua. Quanquam paulo tristiores huiusce nostræ tempestatis malignitatem animo reuoluens, fortasse tutius cum Tobia Patriarcha dixerò: Et nunc Domine, magna iudicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, & non ambulauimus sinceriter coram te. Et nunc Domine, secundum uoluntatem tuam fac mecum, & præcipe in pace recipi spiritum meum.

Hæ sunt lucubrationes & uigilie, quotquot (præter aliquot Myriades Homiliarum, Sermonum, Concionum, Elegiarum, Epigrammaton, Epistolarumque, de quibus nullam in hoc nostro Catalogo mentionem fecimus) de literis melioribus, deque uera pietate & religione bene mereri cupientes, in hunc usque à Christo Iesu, Dei Opt. Max. unigenito, Seruatore nostro, nato annum MDXLVI, maxima ex parte non modo scripsimus, sed pro Concione pariter diximus & edidimus, & posthac, si quæ editæ non sunt, fauente eodem Deo Opt. Max. edituri sumus. Si quid propterea præter hæc nostras lucubrationes, & eas quæ manu nostra scriptæ nobis solis, apud nos delitescunt, nostro sub titulo editum est, aut edetur, nothum & spurium esse dignoscant omnes.

Ut autem paulò strictius, angustius, & arctius, et modis quidem omnibus omnem falsarijs istis (ne posthac ipsi scriptis & editis per nos hactenus in medium lucubrationibus imposturam faciant) ui-

am præcludamus & intercludamus, paulo post subiicimus & nomina & titulos eorum, quibus eas ipsas nostras lucubrationes, more iam dudum toto terrarum orbe, nec citra legitimam quidem causam, recepto, dicauimus, & earum ciuitatum, in quibus eadem nostræ lucubrationes primum typis excusæ sunt, haudquaquam taceamus. Id quod dubio procul scriptis nostris fidem non dubiam faciet, et quidē propterea maxime, quia illi, quibus nostra dedicauimus, plerique ferè omnes in humanis adhuc sunt, ita iudicio polleant, ingenio, consilio, fide & ueritate, ut perinde testes omni exceptione maiores, esse nostras & nō alterius, quas hoc in Catalogo recensuimus lucubrationes, nec eas à pietate Christiana quo quomodo dissentire, sed esse, quæ pietatem Christianam, fidem & religionem Catholicam non fabulis, sed scripturis sanctis ubique promouent, propagant & defensant, testari possunt.

CATALOGVS ALPHABETICVS EORVM, QUI-
bus dicatæ sunt Friderici Nauseæ, Episcopi Viennen. lucubrationes, &c.

A

Anna Romanorū, Hungariæ, Boemiæq; &c. Regina, &c. Ferdinandi Cæsaris uxor.

Alexander Farnesius S. R. E. Cardinalis & Vicecancellarius.

Albertus, Marchio Brandeburgens. S. R. E. Cardinalis, & Moguntinus, Magdeburgensisq; &c. Archiepiscopus, & primas Germaniæ, Princeps Elector.

Augustinus Fabius Iurifconsultus, Alexandrinus.

B Vu

Bernardus à Gles, S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Tridentinus.

Vuolfgangus ex Comitibus à Salms, &c. Episcopus Patauiensis.

Vuolfgangus à Gronenstain, Abbas Capidoneñ. (Quæstor, &c.

Vuolfgangus Prantnerus, supremus ordinis S. Georgij magister.

Vuolfgangus Rholingerus, Patricius Augustanus.

Vualdassar Scipio, Vueissenburgus Presbyter.

C

Carolus v. Romanorum, &c. Imperator Opt. Max.

Clemens Papa vi. Pont. Max.

Carolus Capellio, Patricius Venetus.

Christophorus, Baro ex Schuartzenberg.

E

Erasmus ille magnus Roterodamus, Polyhistor.

Erhardus à Marca, S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Leodiē. &c.

Ernestus, Bauriæ Dux, & Rheni Palatinus, Archiepiscopus Saltzburgen. (dux Austriæ, &c.

Ferdinandus Romanorum, Hungariæ, Boemiæq; &c. Rex, Archi-

Ferdinandus eius filius secundo genitus, Archidux Austriæ.

Fridericus, Saxoniae Dux, Princeps Elector.

Fridericus à Stempa, Rhætus.

Fran.

Franciscus à Doctoribus, Patauinus, Iurifconsultus ordinarius eminentiss.

G

Guilielmus ex Comitibus ab Honstein, Episcopus Argentinensis.

Geruicus Plarerus, Abbas S. Martini de Vineis.

Gaudentius à Madrutz, Consiliarius Regius.

Georgius Nausea, Blancicampianus, &c.

Georgius Sonnensteiner, Tyrolensis Eques.

Guilielmus, Baro ex Schuartzenberg.

Georgius, Saxoniae Dux inclytus.

Georgius, Episcopus Secouienfis, &c.

Guilielmus, Baro ex Rogendorff, Consiliarius Regius intimus.

H

Hieronymus Verallus, Archiepiscopus Rosanus, Legatus apud Rom. Imp. Carolum V. Apostolicus.

Hieronymus Alexander, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopus Brundusinus, &c.

Hadrianus Papa vi. Pont. Max.

Helisabetha, Poloniae Regina, Ferdinandi Cæsaris filia primogenita.

Hieronymus Pullastrellus à Vitalibus, Patauinus ciuis.

I

Ioannes Moronus S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Mutinensis, &c.

Ioannes à Maltitz, Episcopus Misnensis.

Ioannes Fabri, Episcopus Viennensis.

Ioannes Matthæus Gibbertus, Episcopus Veroneñ.

Ioannes Monstterus, Episcopus Vicecomponenñ, & à Suffragijs R. Dn. Archiepiscopi Moguntinen.

Ioannes Vuesæus, Episcopus Lundenenfis & Constantienfis.

Ioannes Hoffmannus, Baro inclytus, Regius intimus Consiliarius.

Ioannes, Abbas S. Iacobi, Monasterij Moguntineñ.

Ioannes ab Erenberg, Prepositus Spirenfis, & Decanus Moguntinensis.

L

Laurentius Campegius, S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Bononiensis, &c.

Laurentius Truchsefsius à Bomersfelden, Decanus Mog. & Senior, Iubilarisq; Herbipoleñ, & Mog.

M

Maximilianus, Archidux Austriæ, primogenitus Ferdinandi Cæsaris filius.

RR 2 Mat.

Matthæus Langius, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopus Saltz-
burgensis, Legatus natus.
Maria Hungariæ Regina, inferioris Germaniæ, nomine Caroli
Imp. v. gubernatrix, &c.
Martinus à Guszmannis, inclytus Regulus, Ferdinandi Cæsaris pri-
marius Cubicularius, & Consiliarius.
Moguntinense Cathedralis Ecclesiæ Capitulum.
Matthias Heldius I. V. Doctor, Caroli Rom. Imp. Vicecancellarius,
Moguntinensium.
Marquardus à Steyn, Moguntinensium, Bambergensium, & Augustanensium,
Præpositus & Canonicus, &c.
Marcus Beck à Leopoldsdorff, Decurio, & per Austriam Cancellarius,
&c.
Marcellus Ceruinus, S. R. E. Cardinalis, &c. intimus Pauli III. Põt.
Max. Consiliarius.
Marinus Grimanus, S. R. E. Cardinalis, & Legatus Sedis Apostoli-
cæ Placentinus.

N

Norimbergensis Senatus.

O

Otho Truchsessius ex Vualtpurg, S. R. E. Cardinalis, & Episcopus
Augustanus.

P

Paulus Zabarella, Archiepiscopus Papiensis digniss.
Petrus Paulus Vergerius, Episcopus Iustinopolitanus, Orator A-
postolicus.
Paulus Papa III. Pont. Max.
Paulus à Vuarda, Archiepiscopus Strigoniensis, totius Hungariæ Re-
gni Cancellarius & Locumtenens.
Petrus Paulus Parrhisius, S. R. E. Cardinalis.

R

Regimentum, siue Regimen, Regius'ue Senatus per Austriam Vi-
ennæ.
Reginaldus Polus, Anglus, S. R. E. Cardinalis.

S

Sigismundus Augustus, Poloniæ Rex.
Sebastianus, ab Heulenstein, Archiepiscopus Moguntinensis, Prin-
ceps Elector, & Archicancellarius Rom. Imp. per uniuersam
Germaniam.

T

Theologi in Colloquio Vormaciensium.
Thomas Campegius, Episcopus Feldrensis, & Orator Aposto-
licus.

Theo-

Theodericus ab Haslach, domus Teutonicæ Patauij gubernator,
&c.

V

Valentinus à Dieteleben, Episcopus Hildeshaymenfis,
Viennensis in Austria Senatus.

NOMINA CIVITATVM, IN QUIBUS
typis excusæ sunt præmemoratæ Friderici Episcopi
Viennensium lucubrationes.

Mediolanum.
Papia, siue Ticinum.
Venetiæ.
Parrhisijs Galliarum.
Antuerpia.
Colonia Agrippina Rheni.
Oppenhaymium.
Moguntia.
Herbipolis.
Lypsia Misniæ.
Vienna Austriae.

Quæ si uel alijs typis excusæ sunt, uti fortasse sunt, nos ita fugit
ac latet, ut nostram nobis ignorantiam fraudi fore non speremus.

F I N I S.

SERIES CHARTARVM.

α A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T
V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm
Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz AA BB CC
DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO
PP QQ RR. Omnes duerniones.

BASILEAE, EX OFFICINA IOAN-
nis Oporini, Anno Salutis humanæ M. D. LXX
Mense Martio.

IN VIA VIRTUTI NULLA
EST VIA.
FATALE INVENIUNT.



Invisis piratis enclam.